Pharmacopoeia Bateana, seu pharmaca e praxi Georgii Batei ... excerpta ... Nec non Arcana Goddardiana;& Orthotonia medicorum observata. Item Tabula posologica; atque appendix ad Pharmacopoeiam Bateanam, ex autographo eximii auctoris [ed. by T. Fuller] ... / [George Bate].

Contributors

Bate, George, 1608-1669.
Fuller, Thomas, 1654-1734.
Goddard, Jonathan, 1617-1675.
Mort, Jakob le, 1650-1718.

Publication/Creation

Venetiis : Apud Jo. Gabrielem Hertz, 1703.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/cgnzq3hb

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

1257/B

L XXVII

17/6



PHARMACOPŒIA BATEANA

Venetijs. inoß. Apud
IO: GABRIELEM HERTZ.

PHARMACOPŒIA BATEANA,

SEU

Pharmaca è Praxi

GEORGII BATEI,

Regis ANGLIÆ Medici Primarii, excerpta, cum Viribus & Dosibus annexis.

Necnon ARCANA GODDARDIANA; & ORTHOTONIA MEDICORUM OBSERVATA:

Item TABULA POSOLOGICA; atque APPENDIX ad Pharmacopœjam Bateanam, ex Autographo Eximii Auctoris.

Cum INDICE Morborum, Curationum, &c.

Huic tandem Novissimæ Editioni accessit

JACOBI LE MORTII

Chymia Vindicata, & Comparata, Philosophia Medica, atque Theoria Hominis, & Morborum.

VENETIIS, M. DCCIII.

Apud Jo: Gabrielem Hertz.

Superiorum Permissu, ac Privilegio.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

LECTORI.

EN tibi (*Lector Optime*) *Batei* M. D. Collegii Regalis *Londinenſis* Socii *Pharmacopœjam* damus: Cujus fuit dixiſſe ſatis: nemini enim, qui *Medicinam* ad Limina ſalutavit, ignotum eſt Nomen; *Regis Magnæ Britanniæ* Archiatrus, & apud exteros etiam Clarus.

Hic *Medicus illuſtris Medicinam* ornare ſemper ſtudens, & ejuſ-

dem

dem Amœniora Prata peragrans, *Hanc* (inter Cætera) concinnavit *Opellam* Feliciſſimus *Medicus*, quam tibi non invidimus.

Vale Lector & Fruere.

No-

Notandum, *Medicamenta ſingula, quibus præponitur Aſtericus* *, in uſu fuiſſe frequentiori apud Autorem, cujus *Praxin ac Præſcripta in re Medica* non potui non animadvertere, quippe qui ſub *Ille* ἐν τῷ φαρμακοποιεῖν aſſiduè ſolebam verſari viginti circiter annorum ſpatio.

Noi

Noi Riformatori dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. Fr. Raimondo Aſperti Inquiſitore nel Libro intitolato *Pharmacopœja Bateana Georgij Batei &c.* non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, & buoni coſtumi; concediamo Licenza à Gabriel Hertz che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padoa.

Dat. li 19. Marzo 1703.

(Gio: Lando Cav. Proc. e Rifor.
(Sebaſtiano Foſcarini Cav. Proc. e Rif.
(Franceſco Corner Proc. e Rif.

Agoſtino Gadaldini Segretario.

PHARMACOPŒIA BATEANA.

AC.

* *Acetarium Scorbuticum.*

℞ Fol. Cochlear. mar. ſelectiſs. ℥ iij. Sacchar. albiſ. ℥ vj. Sal Cochlear. ℥ j. contuſis opt. adde Succ. Aurant. ℥ vj. m. *In iſto intingatur omnis Cibus Scorbuticorum.*

Acetum Lithargyrites.

℞. Pulveris Litharg. aur. ℥ iv. Acet. opt. ℥ viii. digere dies 3. ſæpe agitando, & filtra. *Pro Facici Rubore, Puſtulis, &c. curandis.*

Acetum Mellis.

℞. Mel. ℔ j. Acet. opt. ℔ iii. ex Arena deſtilla ac rectifica. *Præter alios Uſus, ſolvere & lapides ſine ulla præcedente calcinatione, dicitur.*

Acetum Peſtilentiale.

℞. Rad. Angel. Zed. an. ℥ i. Bacc. Junip. ℥ ii. Rutæ M. iii Aceti opt. ℔ iii. macer. ac cola. *Pro Suffitu, & Oris collutione, graſſante Peſte.*

* *Æthiops Mineralis.*

℞. Fl. Sulphur. p. ii. Mercurij crud. p. i. exactiſs. mixta incende, ut ſ Pulvis nigerrimus ſ a. *Uſus in Lue Venerea, Hydrope, &c. Ptyaliſmum non movet.*

* *AlKeKengi Conditum.*

℞. Bacc. Halicacab. rec ʒ vi. contuſ. affunde Aq. Lactis ℔ iſs. exprime ſuccum, & clarifica cum album. ovor. Adde bacc. rec. Halicac. integras, & leniter coq. cum Nuc. m. ʒ iii. Troch. Gord. ʒ ii. Rad. Eryng candefact. ʒ ii. ad teneritudinem. Baccis coctis & exemptis, Liquor cum an. Sacchari coq. in Syr. conſiſt. in quo Baccæ condiantur. *Nephriticum, Diureticum ac Lithontripticum.*

* *Allium Conditum.*

℞. Rad. Allii mund. ℔ i. coq. parùm in Aqu. font. quæ abjiciatur. Tum coq. in Aq. Hyſſop. ad mollitiem perfectam. Liquor cum ℔ i. Sacch. opt. coq. in Syr. circa finem adendo Allium, cum Ambr. griſ. gr. 24. Moſch. gr. 4. in nodulo ligatis, Sp. Hormin. ʒ ii. *Uſus in Colica flatulenta, Tuſſi, Aſthmate, Calculo, Arthritide,* &c.

Alumen Dulce.

Solve Alumen in aqua, & coagula. Repete opus ter, ut Alumen dulceſcat. Vocatur & *Sacchar. Aluminis. Commendatur in Pectoris morbis, præſertim ex minerarum halitu contractis, Odontalgiam ſedat, gingivæ impoſitum. Doſ.* ∋ ſs.

Alu-

Alumen Febrifugum.

Solve Alumin. ℥ iii. in Aquæ Carduib. Sanguine Draconis probè tinctæ ac filtratæ ℔ iſſ. & exhala ad ſiccitatem ſ. a. *Doſ.* ℈j. *ante Paroxyſmum Febrilem, Sudorem movet, &c. v. Mynſicht.*

* *Aluminatum.*

℞. Succ. Limon. ℔ i. Alumin. ℥ ſſ. coq. ac deſpuma ſ. a. *Optimè valet in Rubore Faciei, Puſtulis, &c. interim bibendo Cereviſiam Catapſoras.*

Amuleta Peſtilentialia.

℞. Auripigmenti ℥ iſſ. Rad. Angel. ℥ vi. Mucil. Tragac. q. ſ. ut f. Paſta: exinde f. Amuleta N 12. globoſa, ſerico obvolvenda, *Ad Cordis regionem geſtanda.*

Anima Hepatis, v. Vitriol. Martis.

Antifebrile Concharum.

Teſtis concharum oblongarum affunde Acetum, & macera horis 24. Abrade mucorem extern exicca, ac pulveriſa, inſtillato ſæpe inter pulverandum Aquæ cardui coch. 1. quo Pulvis volatilis retineatur exicca ad uſum. *Doſ.* ℈j. *Febrifugum eſt nobile. Ciet Sudorem ſat largiter.*

* *Antihecticum Poterii.*

Fit ex Regul. Antimonij Martiati & Jovis Anglic. an. colliquatis, cum triplo Nitri detonatis, &

Aquâ edulcatis, ſ. a. *Doſ.* gr. vj. *ad* xx. *in Lue Venerea, Hydrope, Scorbuto, Tabe, &c.*

* *Antim. Diaphoret.*

F. ex Antimonij p. i. Nitri p. iii. detonatis ac Aquâ edulcatis ſ. a. *Doſ.* ℈j. *bis in die per plures dies, augendo quant. gradatim quotidie uſque ad* ʒi. *pro doſi. Uſus eſt ad Sanguinem mundificandum; in Cachexia, Hydrope, Scorbuto, Lue Venerea, &c.*

Antim. Diaphor. fixum.

℞. Antimonij & Nitri an. Detona, ablue & exicca. Tum miſc. cum an. Nitri; detona, ablue, ſicca: dein miſce iterum cum an. Nitri, ac detona. Maſſam hanc in aqua coctam filtra, & præcipita cum Aceto deſtill. Tum ablue & ſicca. *Vires eaſdem obtinet cum priori in eadem doſi.*

Antim. Medicamentoſum.

℞. Antimonij p. v. Salis com. p. iv. Salis Tartari p. i. funde in Regulum ac edulcora. *Parum differt à priori in viribus.*

Antim. Reſuſcitatum.

Sublima Antimonium & Sal Armoniacum an. cum tribus cohobiis: Digere ſublimatum cum Acet. deſtill., exhala & ablue ſ. a. *Diaphoreticum habetur; leniter Vomitum ciet.*

Apo-

Apozema potenter Expectorans.

℞. Decoct. Pectoral. ℔ j. Syr. Scabios. comp. & Oxym. squillit. an. ʒ ii. Aq. Jugland. comp. ʒ iſs. Infus. croc. metall. ʒ i. m. *Dentur Cochlear.* iii. *ad* vii. *omni manè, ità ut provocentur tres circiter Vomitiones.*

* *Aqua Aluminosa.*

Alumen. & Vitriolum alb. an. commixt. coq in vase terreo igne lento, donec indurescant Lapidis instar. Injice Pulveris hujus coch. i. in Aquæ bullientis ℔ ii. donec solvitur, ac filtra. *Ad Ulcera, Vulnera, Fistulas, &c. lavanda.*

* *Aqua Animalis.*

℞. Sulphuris Equi non defatigati rec. globulos N. xii. misc. cum Leucœn ℔ viii. Adde Sem. Fœnic. d. Petrosel. an. ʒ ii. Theriac. Januens. ℔ i. Polypod. qu. Ruſci, Fol. hepat. an. m. ii. ZZ. ʒ iii. destilla lento igne s. a. *Dos. ad* ʒ iv. *super sudando, in Pleurisi, Doloribus, Rheumatismo, &c.*

* *Aq. Antiphthisica.*

℞. Sang. vitul. rec. agitatione à fibris separati, ℔ iii. Terebinth. Ven. ʒ x. Glyc. ℔ i. Uv. pass. exacin. ʒ xii. Ficus ping. N. 100. Limac. hort. N. 70. Rad. irid. rec. ʒ vi. Fol. Tabaci Hisp. incis. ʒ ii. Micar. panis alb. ℔ i. destilla s. a. *Dos.* ʒ ii. *cum debita olei quantitate supernatante, omni manè cum Syr. Pectoral. per dies* 15.

* *Aq. Antiſcorbutica.*

℞ Fol. Fumar. Naſturt. Aq. Cochl. utriuſque, Becabung. an M. xii. Ling. Cerv. Cichor. Pini Cham dr. Praſſ. Agrimon. Centaur. min. an. M. x. Abſinth. Rom. Hepatic. an. M. iv. Rad. bryon. ℥ viii Filic. ſem. Lapath. cort. Dulcamar Fraxin. intern. an ℥ vi. Sem. fraxini ℥ iſ℈. angel. ℥ ſ℈. contuſis omnibus rec. adde Vin Rhen. ℔ vi. in quibus Chalyb. Limat. ℔ i. vigecies extincta fuerit, exprime prelo & deſtilla in Baln. Mariæ (addendo Troch. de Cappar. Pulveriſator. ℥ vi Luti Martis ℥ iſ℈.) ad mellaginem; quæ poſtea exhaletur ad conſiſt. *Extracti*; quod ſervetur pro *Extracto Antiſcorbutico Bat.*

Aqua Antiſcorbutica.

℞ Fol. Ari, Cochlear. hort. Naſturt. aquat. Abſinth vulg. an m. vi. Cort. aurant. rec. ℥ iv. Nuc. M. ℥ ii. infunde per noct. in Cereviſ. Brunſvicenſ ℔ viii. & deſtilla ſ. a. *Micleth.vv.*

Aq. Arthritica. v. Aq. omnium Florum.
Aq Aſthmatica. v. Aq. Pectoralis.

Aq. Bechica.

℞. Fol. heder. ter tuſſilag. botryos, an. ℔ iii. Hyſſop Roriſm. Puleg. marrub. an. ℔ iſ℈. Rad. enul. glyc. an. ℔ iſ℈ irid Fl. ℥ xii ficuum inciſ. ℔ iii. croc. opt ſem. aniſ. fœnic. d an. ℥ ſ℈. Spir. Vini ℔ x. Aq Font ℔ 48 macer. ac deſtilla per veſicam ℔ 24. vel 30. *pro Syr. Tolutano magiſtrali conficiendo.*

Aq.

* *Aq. Benedicta.*

℞. Calcis vivæ ſonantis ℔ i. cui affunde Hydropeg. bullientis ℔ viii. Poſt complet. ebullit. & debitam reſidentiam, filtra ad uſum. *Doſ* ʒiii. *vel* iv. *ter in die, vel pro potu com. per menſem. Multùm facit in plurimis Caſibus epota; ſc. in Faciei Rubore, Puſtulis, &c. In Strumis, Aſthmate, Phthiſi, Empyemate, Dyſenteria maligna, Tumoribus Scroti aquoſis, Profluvio albo, Arthritide vaga, Ephelidibus, Herpete, Gangræna, OEdemate, Tumoribus genuum, & tibiarum, Ulceribus omnibus cum affluxu humorum, &c. In Diabete curanda opt. Remed.*

* *Aqua Benedicta comp.*

℞. Glyc. rec. ʒ i. cort. Saſſafr. ʒ ß. uv. paſſ. exacin. ʒ vi. Nuc. M. ʒ vi. Aqu. Bened. ℔ vi. infund. in frig. dies ii & f. colat. *Idem præſtat cum priori, efficaciùs autem in aliquot Caſibus.*

* *Aqua Camphorata.*

℞. Vitrioli Rom. Bol. Armen. an. ʒiv. Camphor. ʒi. M. f. Pulvis, de quo projice ʒi. in Aquæ bullientis ℔ iv. amove ab igne, & ſubſideant fæces. *Iſtâ tepidâ fove quævis Ulcera: Fluxiones omnes tollit: Mundificat, Siccat, Roborat, Dentes firmat, Putredinem arcet, Ignem ſacrum, & manus Scabioſas curat. In Ophthalmia, Epiphora, &c. mira præſtat.*

* *Aq. Caryophyllorum.*

℞. Fl. Caryoph. hort. rec. ℔ ii. Dactyl. ℔ i. Anis. Glyc. an. ʒi. macer in fœcum Vini ℔ 24. & destilla per Alembicum ℔ iv. quibus adde Sacch. Cand ʒiv. & suspende in nodulo Caryoph. aromat. Num 3. vel 4. cum Mosch. & Ambr. gris. an. gr. v.

* *Aq. Cephalica.*

℞. Rad. Pæon. mar. ʒiv. Angel. Valerian. an. ʒiſs. Caryophyllat. ʒi. Fol. Salviæ, Rorism. Beton. Majoran. Melis. Fl Lavend. Beton. Pæon. Calend. Salv. Rorism. Lil. conval. tiliæ an. Mi. stœch. ʒiſs. ros. r. Paralys. an. M. ii. Lign. Rhod. Sant. Citr. an. ʒvi Nuc M. ʒiſs. Galang ʒſs. Cardam. Cubeb an. ʒiii. Infund. in vin. alb opt. ℔ xiv. dies 10. deinde adde cinam. opt. ℔ i. macer. per dies 2. & destill. s. a. *In capitis Intemperie, Cephalalgia, &c. Dos. coch.* ii. *Attrahe internares, fricentur optimè Tempora, loca pone aures, Ore teneatur & Auribus : Linteolum eá intinctum nuchæ adhibeatur. Plurimis levamen conciliavit, aliis incassum exhibitis.*

* *Aq. Cerasor. comp.*

℞. Cerasor. n. cum nucleis opt. contus. ℔ x. lactis rec. vaccæ rubræ cong. ii. Fol. violar. Rubi, Prunell. Caprifol. an. M. v. destilla s. a. *Dos.* ℔ ſs. *bis in die. In Tympanite curanda Præstantiss. Remedium.*

* *Aq. Chalybeata.*

℞. Chalyb. Limat. mund. ʒiv. Vini alb. ℔ iv. Insolentur ac agitentur quotidie ad nigredinem Vi-

ni

ni, & Martis diſcolorationem: dein adde fragor. recent. leniter expreſs. ℔ iv. Sperm. Ceti, Rhab. Mumiæ, an. ʒ ſs deſtilla ad fæcum ſiccit. *Doſ.* ʒ iii. *vel* iv. *bis in die, ad fiſtulas, præſertim Urin. partium, Apoſtemata, Hæmorrhoid. dolorem, Mictionem purulentam, Contuſiones, Sanguinem coagulatum, &c.*

* *Aq. Chamæmeli comp.*

℞. Fl. Chamæm. rec. dupl. flore M. xxx. incid. contund. & infund. in Aq. ſtil è fol. Chamæm. ℔ x. Vin. Hiſpan. ℔ xvi. Hor. 24. exprime & infund. ſecundâ vice Flor. rec. M. xx. In tertia expreſſione infund. Flor. rec. M. xii. addendo flaved. Cort. Aurant. rec. ʒ ii. Fol. Abſ. pont. Centaur. Puleg. orig. an. M. ii ſs. Sem. Aneth. ʒ ii. Aniſ. Fænic. Carvi, Cumin. Cardui ben. Card. Mariæ, an. ʒ i ſs. Bacc. laur. Junip. an. ʒ ſs. Nuc. M. ʒ iii. poſt macerationem debitam deſtilla ſ. a. *In Flatu, Colica, Calculo, Menſibus obſtructis, &c.*

* *Aq. Cinamomi Cardiaca.*

℞. Succ. Borrag. reſidentiâ depurat. ℔ 24. Caryoph. ſimp. flore M. ix. croc. ℈ ii. Cinam opt. ℔ i ſs. Flor. Borrag. M. iv. deſtilla ſ. a. in Baln. Mariæ. *In Syncope, Animi deliquio, &c. Inſignis.*

* *Aq. Cinamomi Hordeata.*

℞. Aq. Hordei depurat. ℔ viii. Cinam. opt. ʒ xii. macera ac deſtilla ſ. a. in Baln Mariæ. *Cum* an. *Oxym. Scillit. cochleatim ſumpta mirificè prodeſſe ſolet in Aſthmate.*

Aq.

Aq. Cordium comp.

℞. Corda vituli valdè recentia per fruſtra ſect. N. vi. micæ panis à lacte vaccino inebriatæ ℔ i. Aq. Roſ. Dam. Aqu. fl. Aurant. an. ℔ i. Mala Citria inciſa Num. 3. Cinam. ʒ iv. Macis ʒ i. Gelat. C.C. cum Vino alb. fact. ℔ iv. Sanguin. Agni, Vituli, à fibris purgat. an. ℔ ii. Vini Hiſpan. ℔ iii. deſtilla ſ.a. *In virium dejectione mira præſtat.*

Aq. Coſmetica.

℞. Pedes Vitulin. confractos Num. vi. Leptopityri ʒ vi. Pulveris Myrrh. ʒ iv ſſ. Oenogalact. ℔ vi. deſtilla ſ. a. *Cum iſta facies abluatur, perfricando aluminis fruſto lævigato.*

* *Aq. Crinalis.*

℞. Muſcar. vivent. ℔ iv. mel. ℔ i. lactis ℔ ii. deſtilla ſ. a. *Præterquam quod in Alopecia mirè prodeſt, in Surditate etiam valet auribus inſtillata.*

* *Aq. Cucumerum comp.*

℞. Succ. Cucumer. hort. ℔ iv. Vin. alb. ℔ vi. Thecar. fabar. ℔ iſſ. Fol. cum radic. Ononid. ℔ i. Bacc. junip. ʒ vi. Nuc. M. Num. xxi. Sem petroſel. ʒ iv. Saxifrag. alb. ʒ iſſ. Fl. Geniſt. m. viii Sambuc. Lamii alb. an. m. vi. Deſtilla ſ. a. ad ſiccitatem. *Doſ.* ʒ ii. *omni mane, præmiſſis pil. ex terebinth. Cypr. in Calculo & Arenulis expellendis.*

Aq. Cynosbati comp.

℞. Fruct. Cynorrh. cum sem. contus. ℥vi. Sem. Rapha .℥ß. Petrosel. ℥i. Saxifrag. ℥ii. Rad. Saxifrag. alb. ℥i. Glyc. ℥iii. Alth. ℥vi. Seri lactis ℔ x. Destilla s. a. *Dos.* ℥iv. *bis in die cum Syr. de Alth. & de Portulac. præmiss cons. Cynosbati.*

Aq. Digitalis.

℞. Fol. Digitalis rec. ℥xii. Glyc. ℥iv. Anis. ℥ii. Cerevis. fort. ℔ xii. fermenta Dies 19. ac destilla s. a. *Antasthmatica insignis est: & optimè valet ad promovendam Expectorationem. Dos. Cochl. aliquot sæpe.*

* *Aq. Embryonum.*

℞. Rad. Eryng. rec. ℔ i. Dactyl. ℔ ß. Amygd. dulc non decort. ℥iv. contus. in pulp. adde Nuc. M. ℥iii. Mac. ℥ß. Aqu. Cinamom. hordeat. ℔ i ß. Vin. Hispan. Aqu. Melis. an. ℔ ii. destilla s. a. *Dos.* ℥ii *ter in die cum Sacch-perlat. præmis. Elect. ex Cons. Ros. r. Garyoph. Nuc. M. condit. Pul. Ebor. Margarit. &c.*

* *Aq. Epidemica.*

℞. Fol. Chelidon. Rorism. Rutæ, Salv. Artemis. Abs. Anagal. Dracont. Scabios. Agrim. Melis. Scord. Centaur. min. Card. bened. Beton. Roris sol. an. M. ii Rad. Angel. Torment. Gentian. Zed. Glyc. an. ℥i. macer. in Vin. alb. ℔ viii. Dies 2. dein destilla s. a.

* *Aq.*

* *Aq. Febrifuga.*

℞. Summit. Centaur. min. M. viii. Abſ. vulg. Parthen. Pentaphyll. Calend. Tormentil. Nicotian. virid. Acetoſ. Card. bened. Dracont. Chamæm. Chamædr. an. M. vi. Taraxac. M. xii. contuſ. adde Leucœn. ℔ iv. & deſtilla, & Aquæ deſtillatæ novis affuſis herbis macer. ac deſtilla ad ſiccit. In Aqu. deſtillat. infund. Rad. Fraxinel. Tormentil. an. ℥ iſ℈. Sem. Citri, Cardui bened. Card. Mariæ, Acetoſ. an. ℥ ii. Fol. Scord. Galeg. an. M. iv. deſtilla ſ. a.

Aq. Formicarum.

℞. Formicar. major. (Majo vel Jun. collect.) ℔ i. Mellis ℔ ii. Hydropeg. ℔ i. deſtilla ſ. a. *Doſ. coch. j. Vomitum ciet & curat Febres Tertianas.*

Aq. Fortis Duplex.

Fit ex Nitro & Vitriolo an. per Retorta deſtillatis ſ. a. *Sulvit* Lunam & Venerem.

Aq. Fortis Aluminata.

℞. Alumin. calcin. Nitri an. ℔ i. Vitrioli ℔ ſ℈. deſtilla ſ. a.

Aq. Herpetica.

℞. Alumin. ℥ i. Vitrioli alb. ℥ ii. Acet. opt. ℔ ii. Rad. Enul. rec. ℥ ii. Fol. virid. Nicotian. M. i. coq. ad conſ. tertiæ part. colat. adde Vitrioli uſt. ℥ ſ℈. *Cum iſtius q. ſ. pannis madefactis Herpetem permitte*

ſic-

ſucceſcere, quater ſc. dum Eſchara adnata nova cuticula adnaſcitur.

* *Aq. Hirundinum.*

℞. Hirundin. vivent. Num. 40. *Caſtor* ʒi. Vin. alb. ℔ iii. deſtilla. *Ad Epilepſiam curandam optimè valet.*

* *Aq. Hormini comp.*

℞. Fol. Hormin. rec. contuſ. M. xii. Sp. Vini ℔ ii. deſtilla ad ſiccitat. Aquæ deſtillatæ affund rec. Fol. Horm. M. x. Fl. Lamii M. vi. & deſtilla ſecundâ vice. repet affuſio & deſtillatio tertiâ vice cum rec. flor. & herbis, addendo Nuc. Moſc. ʒi. Liquor deſtillans ultimâ vice excipiatur ſupra Sacch. albiſ. ʒvi. Ambr. Griſ. in petia ſuſpenſ. gr. iii. intra Phialam. *In Abortu præcavendo (apud Mulierculas) multùm facit. Profluvio albo ſubvenit.*

* *Aq. Hungarica.*

℞. Fl. Roriſm. rec. ℔ ii. Alcoh. Vini ℔ viii. Macer. ac. deſtilla ſ. a. *Confert ad Arthritidem vagam, & Iſchiadem. Detur Coch. j. bis in ſeptimana. Facies & pars affecta quotidie lavetur. Attrahe in nares, &c. v. Uſus aquæ Cephalicæ.*

* *Aq. Lactis Alexiteria.*

℞. Fol. Ulmar. Card. bened. Galeg. an. M. vi. Menth. Abſ. com. an. M. v. Rutæ M. iii. Angel. M. ii. contuſ. adde Lact. rec. cong. iii. deſtilla com. organis.

* *Aq.*

* *Aq. Lactis Cardiaca.*

℞. Pomor. redolent. cum cort. & ſem. ℔ xii. Fol. Meliſ. Scord. an. M. x. Rad. zed Tormentil. an. ℥ viii. Lactis rec. ℔ x. deſtilla ſ. a.

* *Aq. Lactis Nephritica.*

℞. Fol. Alth. Parietar. Aparin. an. M. 4. Rad. alth. ℥ xii. Glyc. ℥ iii. Saxifrag. alb. ℥ iv. Lact. rec. ℔ xii. deſtilla ſ. a. Aliter. ℞. Albumina ovorum cum teſtis ſuis (demptis vitellis) Num. 24. contuſis optimè & agitatis adde Lact. rec. ℔ viii. deſtilla lentiſs. igne ſ. a. *Doſ.* ℔ ß. *omni manè per dies* 15. *vel* 20. *& præterea ſemel vel bis in menſe per dies* 2. *vel* 3. *continuos circa Pleniluniium & Noviluniium.*

* *Aq. Lactis Pectoralis.*

℞. Limac. hort contuſ. ℔ i. Sang. Porcin. ℔ ii. Cap. Veneris, Heder. terr. an. M. iii. Ling. Cervin. M. ii. Glyc. aniſ. an. ℥ iii. Jujub. Uv. paſſ. an. ℥ iv. Lact. rec. ℔ xii. deſtilla ſ. a. *Pulmonica, Phthiſica, ad Tabem, &c.*

* *Aq. Lactis Scorbutica.*

℞. Cochlear. mar. Sedi major. an. M. xii. Becabung. Gramin. Naſturt. aquat. an. M. vi. Chærefol. M. 4. Lact. rec. ℔ xii. deſtilla ſ. a.

* *Aq. Lamii comp.*

℞. Fl. Lamii alb. M. x. Conſolid. maj. M. viii. Hormin. M. 4. Dactyl. Num. 24. Nuc. M. ʒiii. Caſ. lig. ʒi. Oenogal. ℔ xii. deſtilla ad ſiccit. *Uſus in Profluvio albo, &c. Doſ.* ʒiv. *pro vice.*

* *Aq. Melluminata.*

℞. Fol. Querc. Lanceol. Rubi, Fragar. Pentaphyll. Bugul. Millefol. Periclymen. Salv. Roriſm. Roſ. r. an. M. ii. Scob. guajac. ʒiv. Rhodii ʒii. Radic. biſtort. ʒi. Sulphur. viv. ʒiſs. Vitrioli ʒi. Alumin. ʒiv. Mell. ℔ ſs. coq. in Aqu. fluent. ℔ viii. ad conſump. dimid. f. colat. fæce depoſita ſervabitur per annum totum. *Cum Ol.* Sulphuris, *ad Ulcera oris, & Gingivarum: cum Flor.* Nitri, *ad Puſtulas, optimum Remedium.*

Aq. Mercurialis.

℞. Rad. Lilior. alb. ʒii. coq. in Hydropeg. q. ſ. ad ℔ i. colat. adde Amyd. amar. excort. ʒii. f. Emulſio. In iſta ſolve in Mortar. vitreo Mercur. ſublim. ʒii. f. Aqua Albiſſima ſ. a. *Ad Faciei Ruborem, Puſtulas,* &c. *curand. certiſſima Aqua. Tange loca ſæpe cum gutta minutiſſima, ſtatim exiccando cum linteolo.*

Aq. Odorifera.

℞. Poma Limon. & Aurant. rec. an. Num. vi. Rad. Irid. Florent. Santal. alb. Cinnam. an. ʒii. Macis, Caryoph. an. ʒvi. Fl. Lavendul. M. iv.

Cha-

Chamæmel. Rom. Roriſm. an. M ii. Fol. Majoran. M. ii. Ocim M iii. Styrac. Calam. ℥ iii. Benzoin. ℥ v. Fl. Roſ. Dam. M xv. Cyperi rot. ℥ ß Aqu. Font. ℔ xxx. deſtilla in Alembic. ſ. a. Reſerventur aquæ primò deſtillatæ ℔ xv. cujus ſingulis libris adde (in nodulo ligat.) Moſch. opt. gr. ii.

* *Aq. Omnium Florum.*

Fit ex ſtercore Vaccino Majo collect. cũ Leucœni tertia parte deſtillato. vel, ex ſtercor. vaccin. rec. & limac cum teſtis contuſis, an. com. organis deſtillatis. *Dicitur hæc Aqua Arthritica. Arthritidi vagæ, Rheumatiſmo; Calculo, Urinæ ſuppreſſæ*, &c. *maximè proficua. Doſ.* ℥ iv. *pro vice.*

Aq. Ophthalmica.

Fit ex Aq. è Reſin. Guajaci (quæ fit per Retortam igne moderato Cinerum cum Pulvere laterum, ſeparando Oleum & rectificando Aquam) cum Aqu. Roſ. alb. mixtâ ſ. a. *In morbis Oculorum optimum Remedium.*

Aq. Ophthalm. Sapphirina.

Fit ex Aqu. Calc. viv. ℔ i. Sal. Armon. ℥ iii. ſolutis invicem, in pelvi ænea maceratis, donec colorem ſapphirinum acquirant. filtra ad uſum. *Morbis Oculorum variis ſubvenit; guttis* 3. *vel* 4. *pro vice in Oculos inſtillatis: Omnibus Ulceribus, Fluxionibus, Puſtulis, Suffuſionibus*, &c. *Medetur.*

Aq. Pectoralis.

℞. Rad. Helen. Ariſtol. rot. an. ʒ iii. Irid. nr. ʒ iſs. Irid. Florent. Petroſelin. Fœnic. Glyc. an. ʒ i. Fol. Nicotian. virid. M. iv. Scabioſ. Veron. Tuſſilag. Hyſſop. Marrub. Cap Veneris, Card. bened. an. M. i. Jujub Sebeſt. an. Num. 30. Caric. Dactyl. an. N. 16. Sem Nicotian ʒ iii. Nigell ʒ i. Lini, Urtic. Naſturt. Sinap. an. ʒ ii. Bacc. Lauri ʒ vi. Guajac. pul. ʒ viii. Tereb. Ven. (in Vitellis ovor. ſolut.) ʒ iiſs. Leucœn. ℔ x vi. macer Dies 3. & deſtilla ſ. a. inter deſtillandum Milleped. contuſ. Num. 60. in Petia ligat. ſuſpendendo in Receptaculo. *Egregii eſt uſus in Aſthmate, Dyſpnœa, Tuſſi, in Tartaro Pulmonum & Renum, &c. Doſ.* ʒ ii. *bis vel ter in die extra Paroxyſmum.*

Aq. Perſicariæ comp.

℞. Perſicar. maculoſ. rec ℔ iii. Pariet. Portulac. Thecar. Fabar. an. ℔ i. contuſ. adde Lact. rec. ℔ viii. deſtilla ſ. a. *Arcanum magnum habetur in Calculo Renum ac Veſicæ. Doſ.* ʒ iv. *bis in die cum melle per dies* 20. *continuos.*

* *Aq. Picarum comp.*

℞. Pullos Picar. Num. vi. Sterc. albiſ. de Pavon. Mar. ℔ ſs. Viſci Querc. veri, Rad. Pæon. mar. an ʒ iv. Flor. Primulæ veris rec. ℔ i. Vin. Alb. & Hiſpan. an. ℔ v. Infund. ac deſtilla ſ. a. *Doſ.* ʒ iv. *manè & veſperi ultimis diebus ante Plenilunium & Nouilunium. Inſigne Remedium in Epilepſia.*

* *Aq. Pnevmonica.*

℞. Fol. Peti opt. non convolut. Cort. extern Aurant an. ℥ iv. Cort. Winter. ℥vi. Anis. ℥ iſ℈. Vini Hiſp. ℔ vi. Sp. Vini ℔ i. macera, ac deſtilla organis vitreis. *In dolore Colico, Stomachi cruciatibus, Inappetentia, &c. Medela probatiſſima. Doſ. coch.* i. *ante cibum.*

Aq. Prolifica.

℞. Sem. Angelic. decort. ℔ i ſ℈ Fœnic. d. Glyc. an. ℥iv. Uvar. paſſ. exacinat. ℔ i. Fol. Artemiſ. Meliſ. an M. iv. Cardui, Puleg. an. M. ii. Sem. Amomi ℥iv. Oenogalact. ℔ xii. deſtilla ſ. a. *Doſ.* ℥iv. *(præmiſſis præmittendis) cum Tinctur. Juniper.* ℥i. *& Syr. è ſucco Salv. Coch.* 2. *manè & horâ Somni præmiſſis Sem. Seſel. pulv.* ℈ii. *cum Rhodoſaccharo.*

Aq. Regia.

Fit ex Nitr. & Sal. Armoniac. an. ex Retorta vitrea ſatis ampla in Arena poſita, per ſecundum ignis gradum deſtillatis ſ. a. *Solvit aurum.*

Aq. Salivalis.

℞ Mercur. ſublim. Theriac. Androm. Zed. Cinnam. an. ℥ ii. Croc. ℥ ſ℈. Aqu. Font. ℔ i ſ℈. Infund. per aliquot dies.

Aq. Sarſæ comp.

℞. Sarſapar. Chinæ nodoſ. an. ℥ xii. Lign. Guajac. ℔ ii. Cort ejuſdem, Saſſafr. an. ℥iv. Santal. alb.

alb. Sem Coriandr. an. ℥ iß. Glyc. ℥ vi. Vini alb. ℔ 24. Aq. Hord. ℔ xvi. deſtilla poſt macerat. debit. per veſicam ℔ xxiv. ſervando Aquam f. colat. quæ exhaletur in Baln. Mariæ ad conſiſt. *Extracti* ſ. a.

* *Aq. Senelorum comp.*

℞. Senelor. matur. à ſtipit. liberat. cong. ii. contuſis opt. adde Rad. Alth. Glyc. an. ℥ viii. Ononid. ℥ iii. Fol. parietar. Bacc. Halicacab. an. ℥ xii. Menth. M. ii. Sem. Dauci com. ℥ iv. Coriand. ℥ ii. Neogalact. ℔ xii. deſtilla ſ. a. *Doſ.* ℥ iv, *cum Syr. de Alth.* &c. *In Calculo multis auxilio fuit.*

Aq. Siphylica.

℞. Scob. Guajac. ℔ iß. Cereviſ. meracæ rec. ℔ ii. macer. ad Cinerem Dies tres & deſtilla ad ſiccitatem. *Doſ.* ℥ i. *in liquor. conven. ad Luem Vener.*

Aq. Stimmios Sulphurata.

Fit ex Antimonio, Nitro, Sulphur. an. deſtillatis in liquorem, filtrandum & rectificandum ſ. a. *Doſ. q. ſ ut liquor conveniens acidus reddatur. Obſtructiones reſerat. Diureticum & Diaphoreticum habetur nobile.*

Aq. Styptica.

℞. Colcothar. Alumin. uſt. Sacch. Cand. alb. an. ℥ i. Urinæ juvenis, Aqu. Roſ. rub. an. ℥ i. Aqu. Plantag. ℥ iv. Digere ac filtra ad uſum.

* *Aq. Tussilaginis comp.*

℞. Herb. Gerrard. Hyssop. an. ℥ v iii. Fl. Tussilag. ℥ xxiv. Glyc. ℥ iv. Anis ℥ iii. Uv. Passar. ℔ i. Cerevis. fortis. ℔ xii. destilla s. a. *In Pleuritide, Empyemate, &c. valet.*

* *Aq. Venustatis.*

℞. Aqu. Menth. ℔ i. Sal. puriss. ℥ i ß. coq. & despuma. *Pro facie abluenda post: Variolas tollit Furfuracea & Pruritum.*

Aq. Vermifuga.

℞. Mercurij crud. rectè purgat. ℥ i. Aqu. Gramin. Portulac. an. ℥ iv. macer. hor. 2. sæpe ac fortiter agitando: postea decanta Aquam & cola. relicto in vase Mercurio. *Dentur coch.* iii. *ter in die.*

Aq. Vulneraria.

℞ Vitrioli opt. ℥ ß. Nitri purifs. ℥ ii. Impone Aqu. font. cong. vi. per se maneant hor. 48. Syphone sine subsidentis materiæ agitatione extrahe. *Dos.* ℔ ß. *vel* ℔ i. *bis vel ter in die. Citissimam efficit curam Vulnerum aut Ulcerum. K. Digby Eq. Aurat.*

Arcanum Aluminis.

Fit ex Alumin. dulc. ℥ ii. Sal. fusi, ℥ vi. mixtis, reverberatis, & Aquâ ablutis, s. a. *Vires easdem habet cum Alumin. Dulc.*

* *Ar-*

* *Arcan. Corallinum.*

F. ex Mercurij crud ℔ i. Spir Nitri ℔ iii. deſtillatis cum 3. cohobiis, Arcanum in fundo manens edulcando per calcinationem, vel ablutionem, ſ. a. *Doſ gr.* iv. *ad* vi. *vel ultra, purgat præcipuè per Inferiora. Secretum eſt magnum in Lue Venerea, Hydrope, Podagra, Ulceribus, Scabie, Canero,* &c.

Arcan. Corallin. Paracelſi.

℞. Mercurij crud. Vitrioli calcin. Nitri, an. ℔ ii. M. & ſublima: ſublimatum Miſc. cum Nitri, & Salis parùm calcin. an. ℔ i. Acet. q. ſ. ut f. Paſta, quæ rurſus ſublimetur, ſeparando rubrum à flavo, & abluendo utrumque ſeorſim, & Spiritu Vini accendendo ſ. a. *Doſ. gr.* 4. *ad* 8. *Vires æmulatur Mercurij dul. Secretum eſt in lue Venerea, Hydrope, Scabie,* &c.

Arcan. Coſmeticum.

℞. Talci Ven. ſubt. pulv. ſ. a. p. i. Oleì Camph p. ii. Digere in Baln. Mariæ ad ſummam albedinem ſ. a.

Arcan. Duplic.

Elicitur ex Capit. mortuo Aquæ fort. duplicis ìn Aquâ calidâ ſoluto, filtr & exhalato, ſ. a. *Egregii Uſus in Melancholicis Affectibus, Febribus omnibus, Calculo, Scorbuto &c. Doſ.* ℈i. *ad* ℈ij.

Arcan. Joviale.

Fit ex amalgamate(ex p. æ. Mercurii mundat. & Jovis Anglic.) pulveriſato , in Spiritu Nitri rectif. digeſto, & per Retortam ad ſiccit. deſtillato, maſſam in fundo tritam edulcando accenſione crebrâ Spiritus Vini ſ. a. *Doſ. an. gr.* iii. *ad* viii. *Sudorificum magnum.*

Arcan. Scriptorium.

Fit ex Sal. Saturni ʒi. in Aquæ ʒi. ſoluto , pro Liquore Scriptorio , ex pulv. Auripigmenti , Calc. viv. an. ʒſs. in aquæ ʒiv. digeſt. pro Liquore oblineatorio.

Aurum Fulminans.

F. ex Auro in Aqu. Reg. ſolut. & cum Ol. Tartari præcipitato , edulcando ſiccandoque, ſ. a. *Sunt qui gr.* iii. *vel* iv. *ad Sudores ciendos exhibent.*

Aurum Moſaicum.

F. ex Jove, Mercurio, Sal. Armon. & Sulphur. mixtis ac Sublimatis ſ. a. *Sudorificum eſt nobile. Doſ. ad gr.* x. *vel* xii.

Aurum Potabile.

Purgetur Aurum bis per Antim. quod calcina, primò cum Mercurio & Sulphure; Secundâ vice cum Sale marino fuſo, ac tertiâ cum Sale Tartari, dein extrahe cum Sulphure Saturni ſ. a. *Reme-*

medium censetur Universale adversus omnes quoscunque Morbos. Sudorificum est & Alexipharmacum Insignissimum. Dos. gt. vii. *vel* viii. *in Vino generoso.*

Aurum Vitæ.

Fit ex Sol. ʒii. Mercurij purific. ʒii. seorsim propriis menstruis solutis, mixtis, & in Retorta destillatis ad siccitatem, calcem residuam calcinando & edulcando ablutione cum Aquâ, & accensione Spiritus Vini s. a. *Omnibus aliis Catharticorum speciebus antecellere dicitur: Estque domitor Vermium, Luis Venereæ, Petechiarum, Pestis, Quartanæ, &c. Dos. à gr. 3. ad 6. vel 8 cum Sacch Rosato, & in ovo, vel Brodio, vel in Pilulis, imprimis si conjungatur cum Scammonio, & humectetur Aquâ Vitæ, quæ desuper comburatur.*

B.

Balsamum Anodynum.

℞. Sapon. Castil ʒi. Opii ʒ ß. Camphor. ʒ vi. Croc. ʒi. Pyræni ʒ xviii. Digere in Arena Dies Noctesque 10.) & s. colat. *Linteola in isto intincta dolentibus locis adhibeantur, renovando quarta quaque hora, donec cessent omnes cruciatus: Arthriticos enim dolores mirificè sopit. Dentur internè gt.* 30. 40. 50. *in* Vino.

* *Balsam. Apoplecticum.*

℞. Ol. stil. Cinnam. Caryoph. Lavend. Limon. Majoran. Menth. Rutæ, Rorism. Salv. Rhod. Absinth. an. gt. xii. Succin. gt. vi. Bitum. Judaic. pulver. ʒ ii. Ol. Nuc. M. expres. ʒi Bals. Peruan. q. s.

M. *Confortat caput, frigidoſque Humores diſcutit, adeoque in Apoplexia, Syncope, Paralypſi, convenit, Naribus inditum, vel quoquo modo applicatum. Internè etiam exhiberi poteſt a gr. iii. ad vi. &c. cum Electuar. aliquo Cephalico.*

Balſam. Embryonum, v. Spir. Embryonum.

Balſam. Fœminarum.

℞. Flor. minimorum Geranii moſchati ʒiv. Ol. Amygd. dulc. recentiſ. ℔ iſſ. inſolentur Dies 40. f. expreſ. adde Fl. Nymph. Lilior. alb. rec. an. ʒiv. Inſol. Dies 20. & f. expreſ. cui adde Ol. Jaſmin. ʒiv. Zibeth. ʒi. M. ſ. a. ut f. Balſ. *pro Perinæo, Inguinibus, & Lumbis* ὠτῆ δυσοχία *inungendis.*

* *Balſam. Lucatelli.*

℞. Ol. Olivar. opt. ℔ iii. V. Hiſpan. ℔ i. Tereb. Venet. in Aqu. Roſ. lotæ, ʒ viii. Ceræ ℔ i. coq ſ. a. addendo Santal. Rub. pulveriſat. ʒii. Balſ. Peruan. ʒi. M. *Extrinſecus valet ad Ambuſta, Inflammationes, Ulcera, Vulnera, &c. Intrinſecus, detur ad ʒi. vel ʒii. in Vino, ad Contuſiones internas, Ulcera Renum, Calculos Renum ac Veſicæ cum difficultate Urinæ.*

* *Balſam. Magiſtrale.*

℞. Tereb. Ven. ʒviii. Styrac. liquid. ʒiv. Ol. Olivar. opt. ℔ i. ſſ Ol. Hyperic. ʒiſſ. Laurin. Spicæ,

cæ; Petræ, an. ʒ i. Carann. Pulver. Sant. rub. an. ʒ i. Benz. Sang. Dracon. an. ʒ ß. Ceræ ʒ iv ß. Bulliant. per horã, dein addendo Ol. ſtil. Bacc. Junip. ʒ i. Ol. Cinnã. ʒ ß. Caryoph. ʒ i. M. f. a. *Ad Vulnera Interna & Externa recentia ſananda efficaciſſimum; nec non ad Omnes Combuſtiones & Contuſiones. Dolores in Oſſibus nerviſque mitigat. Naribus & Temporibus illitum ſuccurrit Cephalalgiæ. Calidis cum pannis lateri adhibitum confert ad flatus ejuſdem & dolores. Colicis, & Calculo laborantibus auxiliatur in vino tepido ſumptum ad* ʒ iii. *Tubercula tollit pedum calloſa, reſecata priùs ad vivum ferè, calidè inunctum. Narium ſiſtit Hæmorrhagiam, & aliarum partium. Coctionem juvat Ventriculo inunctum horâ decubitûs. Vermes necat internè aut externè adhibitum.*

Balſam. Martiale.

℞. Chalyb. Limat. Mundat. ʒ iv. affund. Ol. Terebinth. ʒ v. poſt guttatim immitte Sp. Nitri ʒ iii. Digere leni calore Dies aliquot, deinde decanta puſ. a. *Summum eſt Vulnerarium.*

Balſam. Momordicæ.

F. ex fructu ejus Oleo inſolato per longum tempus. *Valet optimè in Vulneribus, Ulceribus, maximè Hæmorrhoïdibus, Matricis Ulceribus, Ruptu-ris*, &c.

Balſam. Nuciſtæ.

℞. Nuc. Moſch. contuſ. ℔ i. Vini Hiſpan. ℔ ß. Butyr. opt. inſulſ. ℔ ii. Inſolentur (Vaſe opt. clauſo) ad Dies 5. Tum coq. leniter ad Vini conſumpt.

& f. colat. *Usus est tam internè quàm extervè. Expellit Fœtum Mortuum, Secundinas, &c. Exhibitum in vino ad ʒ ß. confert etiam ad dolorem Splenis, Capitis, &c. Inunctum valet ad omnes Dolores Frigidos.*

Balsam. Paralyticum.

℞. Tereb. Ven. ℔ iv. Olib. Aloës, Castor. Myrrh. Xyloal. Fl. Hyperic. an. ʒ i. Gum. Elem. Ladan. an. ʒ iii. Styrac. liq. ʒ ii. Balsam. Peruvian. ʒ iv. Calam. Arom. Caryoph. Galang. an. ʒ vi. Cinam. ʒ iß. Fl. Roriſm. Salv. an. ʒ x. omnia ritè præp. miſc. cum Terebinthina, addendo Sp. Vini ℔ iv. Digere tepidè per Dies vi. dein deſtilla per Retortam capacem: primò lentiſ. igne Cinerum per hor. 48. ut ſaltem tepeſcat Retorta: deinde fortiori aliquantum, tandem fortiſſimo, excipiatur prima Aqua per ſe quamdiu effluit inſtar Aquæ: ſecunda per ſe inſtar olei flaviuſculi tenuis ſubſtantiæ: tertia eſt craſſa. Vocetur 1. *Mater Balſami*, 2. *Balſam. Paralyticum*: 3. *Oleum Balſami. Confortat mirabiliter Nervos: Paralyſin & Contracturam ſanat, extrinſecus illitum, & intrinſecus exhibitum.*

Balſam. Podagricum, v. Balſam. Anodynum.

Balſam. Saturninum.

℞. ex Salis Saturni ʒ iv. Sp. Tereb. ʒ xii. digeſtis ſ. a. *Egregii uſus in Chirurgia: Convenit Ulceribus inveteratis, nec non Tumoribus. Curat Vulnera, eademque ab Accidenti præſervat, præcipuè ſi addatur Camphora. Succurrit etiam Fiſtulis, Cancro, Morphœis, &c.*

Bal-

Balſam. Sclopetarium.

℞. Ol. Lini, Terebinth. an. ℔ i. Virid. Æris ʒ ß. coq. parùm ſ. a. *Pro Ulceribus veteribus & Vulneribus ſclopetariis nulli ſecundum.*

Balſam. Spinale.

℞. Axung. Human. ʒ iv. Ax. Anſer. Taxi, an. ʒ iii. Ol. Laurin. ʒ ii. Fol. Salv. Majoran. Ebul. Sambuc. Calaminth. Origan. Lavend. an. M i. coq. ad Succor. conſumpt. f. expreſ. Adde Balſam. Succini ʒ i. Butyr. Macis ʒ ß. Petrol. Ol. Spicæ, an. ʒ ii. M. ſ. a. *pro Spina dorſi inungenda, in Rachitide. Utatur manè, & paulò ante ingreſſum lecti, ſuppoſita lana ſuccida linteo duplici aſſuta.*

* *Balſam. Succini.*

℞. Succin. alb. ſubt. pulveriſat. ʒ ii. Ol. Tereb. ʒ vi. Tamdiu inſolentur, donec perfectè ſolvatur Succinum. *Cerebrum & ſenſus roborat. Omnibus nervorum affectibus, Convulſionibus, Epilepſiæ, Paſſioni Hyſtericæ, &c. auxiliatur. Diureticum eſt inſigne.*

Balſam. Spleneticum.

℞. Fol. Rutæ, Hederæ, Chamæmel. Thymi, an. Mi. contuſ. adde Fel. Bovini, & Ol. ex pedibus bovinis ℔ i. Aquæ Vitæ ʒ j. coq. per horam, f. colat. *Mira præſtat in Splenis doloribus, omnibuſque frigidis doloribus.*

Balſam. Sulph. Antimonij.

℞. Sulphuris Antimonij combuſtibilis, Salis Tartari an. ℥i. Spir. Tereb. ℥iv. Digere ſimul ſ.a. *Ad Ulcera ſordida, Fiſtulas*, &c. *Doſ. ad gut.*

* *Balſam. Sulph. Aniſatum.*

℞. Fl. Sulphur. p. 1. Ol. Aniſi p. 4. Digere donec ſolvatur Sulphur, ut f. Balſam. rubicundum. *In Catarrhis Pectoralibus, Tuſſi, Aſthmate, Phthiſi, Pleuritide, Colica, Peſte, Epilepſia, Apoſtematibus omnibus, Putrefactionibus Corporis*; &c. *valde proficuum Doſ. ad* ℈i.

* *Balſam. Sulph. Bateanum.*

℞. Fl. Sulphur. ℥i. Ol. olivar. opt. ℥v. coq. l. igne (continuò agitando) ad conſiſt. Balſami. *Ad Ulcera omnia tum interna, tum externa, efficaciſſimum. Doſ. ad gut. 20. & ultra.*

Balſam. Sulph. Benzoinatum.

F. ex Fl. Sulphur. & Ol. Benz. ut *Aniſatum. Pulmonicum, ac Aſthmaticum inſigne eſt: & ad Catarrhos exiccandos maximè valet.*

Balſam. Sulph. Knœphelii.

F. ex Hepat. Sulphur. pulveriſat. p. 4. Ol. Lini rec. 3. ad craſſitiem coctis, & cautè ex Retorta deſtillatis; miſcendo oleum (ab Aqua prius ſeparatum) cum dimid. quantit. colcothar. Vitrioli ſupra ignem,

ignem, & poſt refrigerationem deſtillando ex Retorta vitrea. Oleum quod extillat miſc. cum quant. dimid. Ol. Aniſi, & Digereſ. a. ut f. Balſam. *Balſamum eſt Pulmonum præſtantiſſimum conſumens & exiccans. Catarrhis, Aſthmati, Tuſſi, Phthiſi, Colicæ, &c. ſubvenit. Promovet Expectorationem, intercipit Defluxiones ad Articulos. Ventoſitates præcavet ac diſcutit. Doſ. à gr. 4. ad 12.*

* *Balſam. Sulph. Minerale.*

℞. Ol. Lini ℥x. Sulphur. pulveriſat. ℥ii. coq. leniter, continuò agitando, donec in mellis conſiſt. devenerint. *Applicetur locis dolentibus & debilibus Podagræ ſuper alutam vel linteum, renovando tertio vel quarto quoque die.*

Balſam. Sulph. Rulandi.

℞. Fl. Sulphur. ℥i. Ol. Nucum vel Rapar. ℥vi. V. generoſ. ℥ii. macer. dies 8. aliquoties agitando, & coq. leniter ad Vini conſumpt. *Anodynum eſt inſigne, maturativum ac digeſtivum in vulneribus partium nervoſarum. Auribus inditum dolores earundem tollit.*

* *Balſ. Sulph. Succinatum.*

F. ex Fl. Sulphur. cum Ol. Succini, ut *Aniſatum. Valet in Colica, &c.*

* *Balſ. Sulph. Terebinthinatum.*

F. ut ſuprà, cum Ol. Tereb. v. *Vires Balſ. Sulphur. Aniſati.*

Balſ. Tartari.

℞. Ol. Tartari p. d. ℥ ix. Crem. Tartari pulveriſat. ℥ viii. Digere ac evapora ad ſiccit. affunde Spir. Vini vel Acet. deſtill. extrahe inde Tincturam, filtra, & ad mellis conſiſt. abſtrahe ſ. a. *Præſtantiſſimum eſt adverſus Arthritidem & Calculum, laxatque Alvum. Doſ. ad ℈ß. externè inungantur partes dolentes. Confert præterea in omnibus Morbis Chronicis ac obſtinatis.*

Balſ. Veneris.

F. ex Lamin. Veneris cum Spir. Tereb. digeſtis ſ. a. ut f. Balſam. Viride. *Ad Ulcera, Vulnera, Fiſtulas &c. mundificanda apprimè conducit, mixtum cum convenientibus.*

Balſ. Verum.

F. ex Limacibus cum teſtis diu multumque contuſis cum an. Sacchari cand., ut f. Balſam. *Ad foveas Variolarum.*

Balſ. Virilitatis. v. *Ung. Virilitatis.*

Bezoar Animale.

℞. C. C. ad ſummam albed. calcinat. & pulveriſat. ℥ iv. læviga in pollinem ſupra marmor, affundendo guttatim Sp. Vitrioli q. ſ. uſque Paſta fiat, exinde fiant Globuli, qui ſtatim exiccentur. *Alexipharmacum, Sudorificum, & Vermifugum eſt. Fluxus alvi ſedat, Sitim extinguit,* &c. *Medicina eſt pro* Infantulis *nulli ſecunda.*

* Be-

* *Bezoarticum Jovialę.*

℞. Reguli Antimoni in Crucibulo fusi ʒ iii. quibus adde Jovis Anglican. similiter fusi ʒ ii. ut f. de novo Regulus: postea læviga & admisce Mercurii sublimati ʒ vi. destilla ex Retorta: Butyrumque inde destillatum, cum Spir. Nitri ternis destillationibus fige: postea calcina, & ignitum in Sp. Vini extingue, & exicca: fit Pulvis griseus. *Diaphoreticum est stupendum. Valet in omnibus Matricis Ægritudinibus, aliisque Mulierum morbis quàm plurimis. In Febribus, Peste, Scorbuto*, &c. *Dos. à gr.* iii. *ad* vi. &c.

Bezoart. Lunare.

F. ex Luna in Sp. Nitri solut. & Butyr. Antimonii, procedendo ut suprà cum Bez. Jovial. *Specificum est in Epilepsia, Convulsionibus, Hemicrania, Apoplexia*, &c. *Anodynum est & Sudorificum, optimè valet in curando Erysipelate. Dos. à gr.* vi. *ad* xii.

Bezoart. Martiale.

F. ex Croco Martis cum Butyro Antimonii soluto: deinde figendo ut suprà; vel fit, solvendo Chalib. Limat. ʒ i. in Aqu. Reg. q. s. affundendo paulatim Butyr. Antimon. ʒ viii. & procedendo cum Sp. Nitri. *Fluxus Hepaticos, & alios potenter sistit, Viscera roborat*, &c. *Dos. ad* ℈ ß.

* *Bezoart. Minerale.*

F. ex Butyr. Antimon. ℔ i. & Sp. Nitri ℔ iii. vel q. s. mixtis & ternis cohobiis destillatis, ut in Bez. Jovial.

Jovial. vel fieri poteſt ex Capit. mort. Spirtus Nitri Bezoartici. *Magnum eſt Alexiterium ſaluberrimumque Remedium, quod Sudores promovendo magnos effectus monſtrat in omnibus Peſtilentialibus & Venenatis Affectionibus. Doſ. à gr.* vi. *ad* xii. *& ultra.*

Bezoart. Mercuriale.

F. eliciendo Tincturam ex Vitro Mercurii vitæ cum Butyro Antimonij, & figendo cum Spir. Nitri ſ. a. *Inſignis uſus in Lue Venerea.*

Bezoart. Saturni.

F. Tincturam extrahendo ex vitro Saturni (quod fieri poteſt ex Minio & Silicibus) cum Butyro Antimonii non rectific. & cum Spir. Nitri figendo ſ. a. *Hyſtericum eſt. Conducit Lienis Affectibus. Doſ. ad gr.* vi.

* *Bezoart. Solare.*

F. ex Laminis Sol. in Spir. Nitri Bezoartico ſolutis, paulatim affundendo hanc ſolutionem Butyro Antimonii, & procedendo ut ſupra. *Sudorificum eſt egregium. Uſus eſt in Lue Venerea, Peſte, Podagra, Hydrope, Febribus, Obſtructionibus Lienis,* &c. *Doſ. à gr.* iii. *ad* viii.

Bezoar. Veneris.

♃. Tincturam eliciendo ex ſquamis Veneris cum Butyro Antimonii rectificato, & figendo per Spirit. Nitri ſ. a. *Exhibetur ab aliquibus in Lepra, Morbiſque Capitis & Cerebri. Doſ. ad gr.* vi. *Externè valet ad*

Ul-

Ulcera antiqua, Fistulas, Impetigines, &c. mixtu cum Unguento appropriato.

* *Bolus Alexiteria, seu Cardiaca.*

℞. Fol. Angelic Melis. Scord. Pimpinell. Scabios. an. M. ii. Dracont. M. i. Fl. Calend. Caryoph. hort. an. M. iii. Xyloal. ʒ ß. Bacc. Kerm. ʒ i ß. Coccinel. ʒ ii. Vini alb ℔ ii. vel q. s. macer. tepidè hor. 24. f. express. M. cum Bol. Armen. opt. pulverisat. ʒ viii. ut fiat instar pulmenti, Sole exiccand. Repet. opus 5. vicibus cum infus. dicta: ultimò f. Troch. s. a. *Dos.* à ℈ i. *ad* ʒ i. *in Morbis Malignis.*

Butyrum Amygdalinum.

℞. Amygd. dulc. largis. in Aq. frig. macerat. & decorticat. ℔ i. contund. opt. in mortar. marmor. irrigando inter contundendum cum Aquæ font. pauxillo. Tum adde Aquæ Font. q. s. ut crassescat instar cremoris, coletur strenuè, & l. igni imponatur sæpe agitando, donec bullire incipiat. Tum adde (coagulandi gratiâ) Succ. Limon. ʒ i. & suspende in panno satis spisso, ut separetur Butyrum in panno relictum ab omni parte serosâ; quod condiatur cum Saccharo & Aquâ Ros. ad gratum gustum. *Anodynum est Elegans, lenit & maturat. ad Tormina Ventris Infantulorum valde commendatur.*

Butyrum Ceræ.

Fit ex Cerâ citr. in Spir. Vini solutâ, & filtratâ, ut remaneat in charta instar Butyri. *Edulcatum atque ad* ʒ i. *propinatum eximiè valet in Dysenteria curanda.*

Butyrum Succini. v. Balſ. Succini.

C.

Calx Auri (i.e.) Aurum Fulminans.

Calx Jovis.

F. ex Jove liquefacto, & rudiculâ ferreâ agitato, donec planè in Calcem abjerit. Vel fieri poteſt ex Jove in Aqua Forti ſoluto, præcipitato, & edulcato ſ. a. *In Utero ſtrangulato ſpecifica.* *Doſ. ad* ☉☽.

Calx Lunæ.

F. ſolvendo Lunam in Aqua Fort. & præcipitando per Aquam ſalſam Vel f. amalgamando cum an. Mercurij, adjectâ Sal. Communis, quartâ parte. Vel cementando per Tartarũ Vitriolatum per Sal. Gem., per Sulphur., *&c.* Vel reverberando per Dies 8. cum Nitro Sulphure, Sale Armon. *&c.* ſ. a. *Hyſterica, Epileptica, Apoplectica, &c. habetur.* *Doſ. ad* ☉☽.

Calx Saturni. (i.e.) Plumbum uſtum.

* *Cardiacum Cœleſte.*

℞. Sacch. albiſ. ℥ xvi. Aquæ Borrag. ℥ iv. coq. penè ad conſiſt. dein bullientibus injice Fl. Borrag. recentiſ. à nigris puncturis liberat. ℥ vi. coquendo perge uſque Flores torreſcant. ab igne remotis admiſc. Fol. Auri Num. xvi. Amb. griſ. gr. 24. *Cardiacum eſt Elegantiſſimum, Spiritus Vitales ac Animales recreans, omnibus Affectibus ex atra bile ortis eximiè conducit. In Melancholia Hypochondriaca nulli ſecundum.*

Car-

Cardiacum Magnum. v. Flos Cordialium.

* *Caryophylli Odorati.*

℞. Styrac. Calam. Ladan. an ʒii. Benz. ʒi. Caryophyl. aromat. ʒ ß. ἀνθρακίων, ʒiii. ſ. Pulvis ſubt. adde Aquæ gummoſæ q. ſ. ut f. Maſſa, ex qua fiant Caryophylli ſ. a. *Ad cubiculum Ægrotorum fumigandum.*

* *Cashevv, ſeu Catechu.*

℞. Terræ Japponic. pulveriſat. ʒiv. Sacch. cand. alb. ʒ ß. Alum. glacialis, gr. i. Ambræ griſ. gr. iv. Mucilag. Gum. Tragac. in Aqua Roſ. extract. q. ſ. ut f. Paſta: ex qua formentur Pilulæ oblongæ minutæ inſtar Muſcerdæ. *Ad exiccandos Catarrhos, & Caput roborandum inſigniter conducit, in ore ſæpe retentum.*

* *Cataplaſma Apoplecticum.*

℞. Rad. Bryon. rec. ʒiii. Sem. Sinap. Sapon. nigr. an. ʒi. Cantharid. ʒvi. contuſ. opt. adde Acet. opt. q. ſ. f. Catapl. pro Capite raſo.

Catapl. Cephalicum.

℞. Pulveris Caryoph. Nuc. M. an. ʒii. Piper. Indic. ʒ ß. Diaſinap. ʒvi. Ferment. acris ʒiii. Spir. Lavend. comp. ʒi ß. vel q. ſ. ut f. Catapl. pro Capite raſo.

* *Catapl. Cynanchicum.*

℞. Pulver. albi Canis ʒi. Pulp. Conſ. Roſ. r. ʒii. Syr. de Mecon. q. ſ. m. f. Catapl. *Sub mento adhibendum ab aure ad aurem, poſt Phlebot.*

Catapl. ad Paronychiam.

℞. Vitell. ovi unius rec. adde Reſin. com. tenuiſſimè pulveriſat q. ſ. Balſ. Peruv. gt. vi vel viii. optimè miſc. donec reducantur ad formam Cataplaſmatis, *Applica loco affecto. Egregium eſt Medicamentum.*

* *Catapl. Peſtilentiale.*

℞. Stercor. Columb. ¡pulveriſat. ʒiv. Croc. ʒſs. Mithridat. Theriac. Lond. Sem. Sinap. an ʒi. Tereb. q. ſ. ut f. Catapl. *Pro Bubonibus rumpendis. Poſt ruptos Bubones Empl. adhibe* ex Empl. de Mucilag. Diach. cum Gum. & Stictic. an. ʒiſs. Galb. ʒſs.

* *Catapl. Podagricum.*

℞. Sapon. Nigr. ʒiv. Vitell. Ovor. Num. 2. Croc. ʒi. Ol. Spicæ ʒi. m. f. Catapl. ſ. a.

* *Catapl. Soleare.*

℞. Fol. Rutæ rec. ʒii. Rad. Bryon. rec. ʒiv. Ferment. acerr. Salis nigr. Sapon. an. ʒiſs. Muſtardæ ʒiii. contuſ. adde Acet. q. ſ. *Pro plantis pedum, in Febribus.*

Ca-

Catharticum Cæsareum.

℞. Pulp. ZZ. condit. ʒii. Resin Scammon. ʒi. Confect. AlKerm. ʒß. Ros. r. pulverisat. Cremor. Tartari, an. an. ʒii. Ol. Cinnam. gt. xx. Spir. Vitrioli gt. xvi. Syr de ZZ. condit. q. s. f. Electuar. *In omnibus Affectibus Frigidis utile est & jucundum Catharticum. Corpus sine molestia purgat, Animum recreat, Appetitum excitat, Fœtorem Oris & Nasi emendat. Sanguinem rectificat, Flatus dissipat, & Cruciatibus Colicis mirè confert. Dos. à* ʒi. *ad* ʒii.

Caudela Amygdalina.

℞. Cerevis. opt. illupulat. ℔ ii. Aquæ Font. ℔ i. Cinnam. acut. ʒi. coq. ad consumpt. tertiæ partis, f. colat. cui adde Amygd. d. largis. mundat. sed non decort. contus. Num. 60. coq. parùm, & cola per cribrum exprimendo, adde Sacch. albis. duri ʒii. f. Caudela. *Pro Puerperis Diarrhœâ laborantibus.*

* *Caudela Nenufarina.*

℞. Rad. Nymph. ʒi. Ichthyocol. C. C. ras. Ebor. Sant. alb. an ʒii. Rad. Bistort. ʒß. Dactyl. Num. 4. Orizæ coch. 2. coq. in Cerevis. illupul. ℔ ß. Aq. font. ℔ i. ad consumpt. tertiæ part. f. colat. adde Vitellum cum Album. ovi unius & Sacch. q. s. *Pro duabus dosibus. In Abortu præcavendo, dorsi infirmitatibus, Gonorrhœa, Profluvio albo,* &c. *Eximii est usus. Detur bis in die.*

Cauterium Lunare.

Solve Lunæ p.i. in Aquæ Fort. p. iii. & evapora ad ſiccitatem auge poſtea ignem ad calorem fuſorium, donec ceſsant fumi, & ſtatim materiam funde in vaſcula ænea aut ferrea magnitud. convenientis. *Cauſticum eſt perpetuum, ſi ab aëre ſervetur. Tollit verrucas tangendo eas.*

* *Ceratum Album.*

℞. Ceræ albiſ. ℥ iv. Ol. Amygd. amar. ℥ v. Sperm. ceti puriſ. ℥ i. Ceruſſ. in Aquâ Roſ. lot. ℥ iß. Camph. ℥ ß. M. f. a. *Lenit, roſolvit, Anodynum eſt. Cicatricibus Exanthematum illitum, eas replet. Coſmeticum etiam eſt Elegans.*

Cereviſia Butleri.

℞. Beton. Salv. Agrimon. Cochl. hort. Abſinth. Rom. an. M iii. Rad. Enul. Raphan. Ruſtic. an. ℥ iv. M. f. Sacculus in Cereviſ. non lupulat. cong. iv. ſuſpendendus, cum lapide in fundo ſacculi. *Cephalica, Stomachica, Hepatica, Splenetica, Pulmonica, Diuretica*, &c. *Sanguinem rectificat, fixos ac crudos Humores reddit volatiles. Tartarum Pulmonum Renumque attenuat ac educit, Cachexiæ, Hydropi, Scorbuto, Melanch. Hypochondriacæ, Scabiei*, &c. *ſubvenit. Sit pro potu communi, aut ſaltem ter in die bibatur.*

* *Ce-*

* *Cerevisia Catapsoras.*

℞. Fol. Sennæ, ʒ vi. Mechoac. ʒiii. Glyc. ʒ iſs. Sem. Carui ʒ ſs. Rad. Oxylapath. ℔ iſs. Polypod. Rubiæ tinctor. an. ℔ ſs. Fol. Scabioſ. Agrimon. an. M iii. Antimon. crud. craſſ. pul. ℔ i. M. f. Sacculus pro cong. 5. vel *6.* Cereviſ. *Sanguinem purgat. Optimè valet in Pruritu, Scabie, aliiſque cutis fœditatibus curandis. Detur* ℔ i. (*plùs minùs*) *bis in die per dies aliquot.*

* *Cerevisia Embryonum.*

℞. Raſ. ligni Cotonei ℔ i. Sant. alb. Ebor. an. ʒ iv. Muſci Arbor. ʒ ii. Rad. Tormentil. ʒ iſs. Biſtort. ʒ i. Nuc. M. Sem. Coriand. an. ʒ vi. Uvar. paſſar. ℔ i ſs. M. & ſuſpende in Sacculo in Cereviſ. rec. cong. vi. *pro potu ordinario. Abortum præcavet, infirmum Fœtum roborat, Uteri ligamenta firmat.*

* *Cerevisia Hydropica.*

℞. Fol. Praſſii. Ling. Cervin. Hepatic. Abſinth. vulg. Acetoſ. an. M. i. plenum. Incide, & poſtea in farina hordeacea obvolvantur: dein coq. in clibano. Tum paſtæ cum herbis in fruſta fractæ adde Salis abſinthii abſ. ʒ ii. ſuſpend. in Sacculo in Cereviſ. rec. cong. iv. *pro potu communi. Multos curavit Hydropicos.*

* *Cerevisia Jovialis.*

℞. Limat. Jovis ℔ i. Sant. alb. raſ. Ebor. an. ʒ iii. Uv. paſſ. ℔ i. Fol. Abſ. Rom. Ling. Cervin. Ve-

ron. Agrim. an. M. ii. Cort. Aurant. ʒii. M. f. Sacculus, pro cong iv. Cerevis rec. *pro potu ordinar. Uteri morbis peculiariter curandis inservit. Hepatica etiam est, & splenetica.*

Cerevisia Oxydorcica.

℞. Fol. Rutæ, Salv. Verben. Euphrag. an. M i. Millepedes vivas Num. 400. Sem. Fœnic. d. ʒi. Uv. pass. exacinat. ℔ ß. Indantur Sacculo pro cong. iv. Cerevis. rec. *pro potu ordinario, ad Visus hebetudinem. Tern.*

* *Cerevisia Scorbutica.*

℞. Fol. Cochl. Marin. parùm siccat. ℔ i. Salsapar. ʒiv. Sassafr. ʒi. Nasturt-Aquat. Beccabung. an. M iii. Salv. rubr. M ii. Caryoph. ʒiii. Nuc. M. ʒvi. contund. & impone cong. v. Cerevis. rec. cum frustulis Martis ʒvi. in fundo Sacculi. *Pro potu communi.*

* *Cerevisia Scrophularia.*

℞. Sarsapar. ʒvi. Lign. Sanct. ʒviii. Cort. Arbor. Jugland Rad. Scrophul. Sassafr. an. ʒii. Herb. Roberti M iii. Uv. pass. exacin. Milleped. vivent. an. ℔ i. M. f. Sacculus pro cong. iv. Cerevis. rec. *Usus præcipuus in Strumis Scruphulosis, Ficis & Marisci Ani, Cancrosis ac similibus serpentibus Ulceribus, Maligna Scabie, &c. bibendo hanc cerevisiam pro potu communi, & purgando semel in septimana cum appropriatis.*

* Ce-

* *Cerevisia Vernalis.*

℞. Fol. Senæ ʒ v. Rad. Polypod. qu. ʒ vi. Rhab. Monach. Oxylapath. an. ʒ x. Uv. Corinth. ℔ i. Glyc. Sem. Fœnic. d. an. ʒ iß. Raſ. Saſſafr. ʒ ii. Fol. Salv. Rub. Agrimon. Naſturt. aquat. Cochl. marin. an. M ii. M. f. Sacculus pro Cereviſ. cong. v. *Eaſdem vires obtinet, quas Cereviſia Catapſoras.*

* *Ceruſſa Antimonii.*

Fit ex Regulo vice Antimonii crud. comburendo, &c. ſ. a. v. *Vires Antimon. Diaphoret.*

Ceruſſa Martis.

F. ex Regulo Martis, omninò ut Ceruſſa Antimonii. Paratur etiam cum nonuplo Nitro. *Diaphoreticum eſt inſtar Ceruſſ. Antim.*

Chalcanthum Rubefactum.

F. calcinando Vitriolum ad rubed. *Maximè adſtringit, & deſiccat. Valet in dyſenteriis, Hæmorrhagiis,* &c. *In evulſione dentis (ſi fluxus ſanguinis accidit) utiliter applicari poteſt cum aceto & linteo.*

* *Chalybs ſine Acido.*

Paratur humectando Martem decies Sale abſinthii in Aquâ cichor. ſoluto, & ſiccando in aëre ſicco ac tepido. Poſtea f. pulvis ſubt. *Potenter aperit Obſtructiones. Doſ.* ℈ i. *ad* ʒ ß.

Cha-

**Ghalybs Tartariſatus.*

℞. Chalyb. Limat. mund. Tartari alb. pulveriſat. an. ℥ vi. Aquæ fumar. q. ſ. f. Maſſa inſtar Electuar. coq. in vaſe fictili in clibano (calore lento) ad ſiccit. pulvis ſubt. cui adde Aquæ fumar. q. ſ. & coq. iterum ad ſiccit. Repet. opus ter dein f. pulvis ſubt. f. a. *Ex hoc fit Mars Potabilis.*

** Cicera Tartari.*

℞ Tereb. Chienſ. opt. ℥ ii. Acidi Tartari ℥ i. Spec. Diaireos ſimp. Nitri præp. an. ℥ ii. M. f. Maſſa Pilularis. *Ad Podagræ præcautionem detur* ℥ ß. *bis in die per menſes aliquot. v. Mynſicht.*

Cinnabaris Antimonii.

Fit ſublimando Caput mortuum poſt deſtillationem Butyri Antimonii relictum, & rectificando ſ. a. *Sudores movet copioſos. Valet in Codagra, Lue Venerea, Epilepſia, Paralyſi,* &c. *Doſ.* ϑ ß. *ad* ϑ i.

** Clyſſus Portulacæ.*

℞. Succ. Portulac. depurat. ℔ viii. Sacch. alb. ℔ i. clarifica, & coq. ad mellis conſiſtentiam. Eodem modo fieri poteſt *Clyſſus Argentinæ, Beton. Farfaræ, Heder. ter. Prunell. Agrimoniæ, &c.*

Clyſſus Vitrioli.

℞. Vitrioli Martialis viridis ternâ ſolutione & cryſtalliſatione purificati, & ad flaved. calcinati q. v.

Solve

Solve in Acet. deſtill., filtra & cryſtalliſa, repetendo opus ad tertiam vicem. Calcina iterum ad flaved. & deſtilla ex Retorta cum cohobatione ad ſiccit. Tum deſtilla igne aperto donec Spiritus omnes extillantur, ex Capite Mortuo in aëre expoſito eliciatur Sal, quod crebrò ſolvendo, filtrando & cryſtalliſando depuretur.

℞. Salis hujus p. i. Sp. prædict. part. 4. extrahe Tincturam digerendo per menſem. Deinde filtra ad uſum. *Noxios Humores expellit per Inſenſibilem Tranſpirationem, Venerem ſtimulat, Uterum roborat, ejus motus inordinatos ſiſtit, & in utroque ſexu vim ſeminis ad generationem operatur. Doſ. gt. 2. ad 4.*

Colcothar Vitrioli.

Nihil aliud eſt quàm Vitriolum ad rubedinem calcinatum. Vel, Caput mortuum poſt deſtillationem Ol. Vitrioli relictum. v. *Chalcanth. rubefactum.*

* *Conſ. Aurantiorum.*

℞. Flaved. cortic. Aurant. recentiſs. minutiſs. inciſ. ℔ ß. contund. opt. cum Sacch. alb. ℔ i. in mortar. marmor. ut f. Conſ. ſ. a. *Uſus in Colica, Torminibus Ventris*, &c.

* *Conſ. Hepatica Corallitana.*

℞. Fruct. Cynosbati matur. à ſem. & capillamentis exactè liberat. q. v. cuſtodiantur ſimul in loco clauſo per dies vi: deinde adjectâ V. Rubelliq. ſ.

liq. f. coq. ad mollitiem, & perſetac. trajic. Pulpæ adde Sacch. opt. an. & ad unamquamque libram Aquæ Roſ. rub. ℥iſs coq. in Baln. Mariæ ad Mivæ conſiſt. *Confert ad Urinam cruentam, Calculum*, &c. *Diuretica habetur. Potenter Hepar refrigerat, & Scorbutica eſt.*

Conſ. Nicotianæ.

℞. Fol. Nicot. rec. ℔ ii. Styrac. cal. ℥ ii. Cinam. ℥ i. Sacch. ℥ vi. Mann. opt. ℔ iſs. contund. & inſolentur Dies 48. *Mira præſtat in Aſthmate & Catarrho Suffocativo. Doſ.* ℥ ſs. *quarta quaque hora.*

Corpus ſine anima.

℞. Rad. Irid. Florent. ℥ iſs. Moſch. gr. iii. Sacch. ℥ vi. M. f. pulvis. *Uſus in Tartaro Pulmonum, Tuſſi, Aſthmate*, &c. *Oris Fœtorem tollit.*

Corvus Epilepticus.

℞. Corvum majorem deplumatum & eviſceratum, abjectis pedibus & roſtro, immitte in Ventrem Cor, Jecur, Pulmones, Veſicam fellis, cum Galang. & Sem. Aniſ. an. ℥ iv. coq. in vaſe terreo novo benè occluſo & lutato cum pane domeſtico in clibano. Poſt frigefactionem à lateribus ſeparetur, & ſecundâ vel tertiâ vicefiat, cavendo tamen nè aduratur: dein f. pulver. ſ. a. *Doſ.* ℥ i. *quotidie in Morbo Comitiali. Inſigne Remedium.*

* *Cre-*

* *Cremor Hordei.*

℞. Hord. perlat. mundat. ʒiv. coq. (primâ Aquâ abjectâ) in Aquæ Font. q. ſ. ad mollitiem. Contunde opt. Hord. cum Amygd. d. decort. N. 20. addendo Aquæ Hord. ℔ iiſs. f expreſſ. fort. ſ. a. adde Sacch. opt. ʒii. Aquæ Roſ. Dam. ʒiſs. ut ſ. cremor. *Diureticum eſt, & Nutritivum, Sitim in Febribus extinguit.*

Crocus Jovis.

F. amalgama ex Jovis ʒſs. & Mercurij ʒiſs. à quo (evaporato Mercurjo) relinquitur crocus Jovis. *Sudorificum eſt magnum. Doſ. à gr.* iv. *ad* x. *In Lue Venerea, Podagra, Peſte, Utero ſtrangulato.* &c. *mirè valet. Uſus externus ad Ulcera inveterata, Cancros, fiſtulas,* &c.

Crocus Veneris.

Fit reverberando Vitriolum Veneris ſ. a. *Diureticus eſt, Colicus, Uterinus, Febrifugus. Doſ.* ℈ſs.

Cryſtallum, Lunæ. V. Vitriol. Lunæ.

* *Cryſtallum Minerale.*

Solve Sal Prunellæ in Aquâ, filtra & cryſtalliſa ſ. a. Si addas Sacchari an. ante cryſtalliſandum, vocatur *Saccharatum - Putredini reſiſtit, ſitim ac æſtum in Febribus compeſcit, Tartaream ſaburram incidit, Coagulatum Sanguinem reſolvit, Dolores mitigat,* &c.

D.

* *Decoctum Album.*

℞. C. C. calcinat. pulveriſat. ʒii. Aquæ Font. ℔ 4. coq. ad dimid. f. colat. citò, per linteum rarum cum levi expreſſione. Liquori lacteſcenti adde Syr. de Succo Aurant. ʒiii. vel q. ſ. m. *Ad ſitim extinguendam in Febribus*, &c. *Uſus eſt egregii.*

* *Decoct. Amarum.*

℞. Summit. Centaur. min. Fl. Chamæm. ol. Agrimon. an. M ſ. Sem. Cardui ben. Citri, an. ʒiſs. Fl. Calend. P. ii. Rad. Gentian. ʒii. Sennæ, ʒvi. Rhab. ʒi. V. alb. Aquæ Font. an. ℔ i. coq. ad dimid. f. colat. *pro* 3. *vel* 4. *doſibus.*

* *Decoct. Amarum alterans.*

Fit omittendo purgantia.

* *Decoct. Ambroſianum.*

℞. Sem. Milii panici contuſ. ʒviii. Aquæ Font. ℔ vi. coq. ad tertiæ Part. conſumpt. addendo ſub finem Vini alb. ʒxii. poſt refrigerationem, f. colat. traijciendo ſæpe per Manic. Hipp. ad limpitudinem. Dicitur & *Syr. Ambroſianus. Detur inter ſudandum ſæpe* ℔ ſ. *pro vice tepidè. Diaphoreticum eſt nobile utatur in Hydrope, Arthritide vaga, Podagra, Febre maligna*, &c.

Decoct. Analepticum.

℞. Cancros fluviat. contuſ. N. vii. coq. in Vin. alb. & Aq. f. an. ʒ xii. ad med. colat. adde Sacch. cand. q. ſ. *Dentur Coch.* ʒ *ſæpius in die, in Febribus Hecticis.*

Decoct. Antimoniale.

℞. Lign. Lentiſcin. Viſc. quercin. an. ʒ vi. Fol. Beton. M i. Raſ. Saſſafr. ʒ i. Antimon. crud. craſſ. pulveriſat. in Petia Ligat. ʒ ii. coq. in Aquæ Font. q. ſ. ad ℔ ii. f. colat. *Doſ.* ʒ v i. *manè calidè ad Sanguinem mundificandum*, &c. *Ad Catarrhos, Scabiem, omneſque Impuritates confert. Liberat Corpus ab omnibus Humoribus noxiis.*

Decoct. Antiphthiſicum.

℞. Cancros fluviat. Num. xii. Rad. Enul. ʒ ii. Ireos Florent. Conſolid. major. an. ʒ i. Glyc. ʒ ß. Fol. Alchimil. Heder. ter. Millefol. Plantag. min. Veronic. Polmonar. macul. Semperviv. maj. an. M. ii. Conſ. Roſ. r. ʒ vi. coq. in Aq. Font. q. ſ. ad ℔ vi. colat. clarif. cum Album. Ovor. adde Spir. Sulphuris q ſ.

* *Decoct. Aſtacorum.*

℞. Aſtac. fluv. Num. 20. Rad. Ariſtoloch. rot. ʒ ß. Symphyt. mai. ʒ i. Fol. Sanicul. Alchimil. Bugul. Agrim. Heder. ter. Beton. an. M i. coq. in Aquæ Font. ℔ vi. V. alb. ℔ ii. ad conſumpt. tertiæ part. adde Syr. Limon. & Spir. Sulphuris q. ſ.

m. *Pro*

m. *Pro Vulneribus Pectoris &c. Dos.* ʒ vi. *bis in die 4. horis ante paſtum: & plagulis iſto intinctis tege bis in die. Mirum in deploratis.*

* *Decoctum Digitalis.*

℞. Fol. rec. Digitalis ʒiv. vel M ii. Uv. Corinth. mundat. ʒii. contuſ. adde Cereviſ. non lupulat. ℔ii. coq. ad dimid. f. expreſſ. fortis. *Pro Vomitorio in Epilepſia*, &c.

Decoct. Diureticum Augenii.

℞. Rad. Apii, Petroſelin. an. Mi. Rubiæ tinctor. ʒſs. Spicæ, Adianth. Cuſcut. Agrim. Cicer. rub. an Mſs. Rad. Aſari ʒi. Calam. Arom ʒſs. Sem. Aniſ. Apii, Petroſelin. Fœnugræc. Dauci, Carui, an. ʒii. Melon. Cucumer. an. ʒiii. coq in Aquæ Font. ℔vi. ad conſumpt. ℔ii. f. colat. adde ſacch. q. ſ. *Datur in Urinæ difficultate. Dos.* ʒvi. *pro vice.*

Decoct. Dyſentericum.

℞. Trium Panum corticem inferiorem: coq. in Aqu. font. ℔vi. ad ℔i. in qua infunde per duas horas Caryoph. contuſ. ʒii. colat. adde Vin. claret. ℔i. Sacch. albiſs. q. ſ.

* *Decoct. Ictericum.*

℞. Sterc. Anſer. raſ. Ebor. an. ʒi. Chelidon. cum toto Ling. Cervin. Fl. Hyperic. an. Mii. Croc. ʒſs. Vini alb. Aqu. font. an. ℔ii. coq. ad dimid. f. co-

f. colat. adde Sacch alb q. ſ. & clarifica cum Albumine Ovor. *Daſ.* ℥v. *bis in die, præmiſſis præmittendis.*

* *Decoct. Limacum.*

℞. Limac. hort. è teſtis ſuis exempt. mundat. Num xii. Lact. rec. Vaccæ rubræ ℔ ii. coq. ad dimid. colat. adde Aquæ Roſ. ℥i Sacch. cand. ℥ſ. m. f. Hauſtus, *omni manè ſumendus per totum menſem Maij.*

* *Decoct. ad Morſum Canis rabidi.*

℞. Fol. Rutæ ℥vi. Rad. allii, Theriac. Lond. an. ℥iv. Limat. Jovis ℥iv. Cereviſ. illupulat. veter. ℔iv. coq ad conſumpt. dimid. & macera. *Sumat AEger morſus de colaturâ coch.* vi. *bis in die per* Dies ix. *contin. & applic. Magma loco affecto.*

* *Decoct. Pacificum.*

℞. Salis Tartari cum Nitro fact. ℥viii. Fl. Pap. Rhœd. rec. Bacc. Junip. Rad. Helleb. nig. an. ℥viii. Aquæ bened. ſimp. ℔ viii. coq. l. igne (vaſe opt. clauſo) per hor. 24 poſt refrigerationem f. colat. per manic. Hipp. *Dentur coch.* 3. *hora Somni, & coch.* 5. *manè quotidie cum Vin alb. Saccharato.*

* *Decoctio Polychreſta.*

℞. Rad. Polypod. qu. ℥iii. Cichor. ℥ii. Rhab. Monach. ℥vi. Fol. Sennæ ℥ii. Sem. fænic. d. Glyc. an. ℥i. Uv. paſſ. exacin. ℥iv. coq. & infund. ſ. a. in Aqua Font. per hor. 4. colat. ℔iiiſſ. adde Succ.

Cochlear. marin. depurat. ʒ viii. Sacch. rub. Mann. an. ʒ iii. clarif. cum Album. Ovor. *Dos.* ʒ iv. *ad 8. sing. auroris, ad Sanguinem purgandum*, &c.

Décoct. Præservatorium.

℞. Vini Malvat. ℔ iii. Rutæ Mi. ZZ. Macropiper. incis. an. ʒ ii. Nuc. M. ʒ i. coq. ad consumpt. tertiæ part. f. colat. adde Theriac. Androm. ʒ ii. Mithridat. ʒ i. Aquæ Angelic. fort. ʒ iv. m. *Dos. coch. 1. ad præserv. à Peste, & coch. 3. pro vice in cura.*

Decoct. ad Rhachitidem.

℞. Rad. Polypod. qu. Apii, Fœnic. an. ʒ i. Glyc. Anis. an. ʒ ß. Fol. Linguæ Cerv. Capil. Ven. Cuscut. Beton. Chelidon. Tamarisc. an. Mi. Uvar. Corinthiac. cærul. ʒ iv. coq. in Aquæ Hort. ℔ iv. ad dimid. f. colat. *Dentur coch. 2. 3. vel 4. pro vice, bis vel ter in die: interim purgando semel in septimana cum Syr. de Cichor- cum Rhab.*

Decoct. Rubiæ Tinctorum.

℞. Rad. Rubiæ tinctor. ʒ ii. Anis. Glyc. an. ʒ ß. coq. in Aq. Font. ℔ iv. ad dimid. f. colat. Dos. ʒ iv. bis in die per Dies 20. *In Faciei Rubore, Pustulis*, &c. *curandis præstantiss. Remedium.*

Decoct. Rubicundum.

℞. C. C. calcinat. ʒ i. Coccinell. integr. ʒ ß. coq. in Aqu. Font. q. s. ad ℔ i ß. colat. adde Aq. Cinnam. hord. ʒ i ß. Sacch. albis. q. s. *Detur Haustus frequenter in Variolis, Morbillis*, &c.

* De-

* *Decoct. Reguli*

Fit coquendo Regul. vel Pocul Antimonii ℔ ß (plus minùs) in V alb. ℔ iß. ad conſumpt. tertiæ partis. *Pro vomitorio.*

* *Decoct. Rhabarbari.*

℞. Rhab. ʒii. Uv. Corinth. contuſ. ʒiv. Rad. Acetoſ. ʒiii. Sem. Fœnic. d ʒi. coq. in Aqu. font. ℔ iii. ad ℔ ii. colat. adde Sacch. alb. ʒi. clarif. ſ. a. *Doſ.* ʒiv. *ter in die in Rheumatiſmo*, &c.

* *Decoct. Scorbuticum.*

℞. Conos Abietis Num. 4. incide unumquemque in part. 4. adde Fol. Tritici vireſcent. ʒii Liquor. poſſet. cum Vino albo fact. ℔ iii coq ad ℔ i. colat. frigidæ adde Spirit. Cochlear. ʒ . Syr. de Aurant. de Pomis alter. an. ʒiß. m. *Doſ.* ʒiv. *bis vel ter in die* .

* *Decoct. ad Sit im.*

℞. Fol. Acetoſ. M ii. coq. in Aqu font. q ſ. ad ℔ ß. colat. adde Succum 12. Limonum, V. Rhen. ℔ ii. Sacch. alb ʒiv. vel q. ſ. ut f. gratiſſimum . *Bibatur ad libitum. Empiricus quidam hujus gratiâ mirè celebris evaſit.*

Decoct. ad Strumas.

℞. Geran. Robertiani Beccabung. an. M iii. Urticæ mort. M vi. Glyc. Aniſ. an ʒi Uv. paſſ. ʒiv. Se-

næ ʒiii. Cartham. ʒii. Agaric. ʒvi. Aq. Font. ℔viii. infund. & coq ad ℔iv. *Doſ.* ʒiii. vel 4. *ter in die, & præterea bibat (omiſſis Purgantibus) pro Potu com. interim adhibendo Locis Affectis Unguent. Digitalis.*

Decoct. Traumaticum.

℞. Summit. Hyperic. Veronic. urriuſque, Vincæ pervincæ, Agrimon. an. Mii. Rad. Chinæ, Symphyt. Santal. alb. Lign. Nephritic. an. ʒi. Dactyl. inciſ. N. xxx. Glyc. ʒiſs. Infund. per hor. xii. in Aq. Calcis q. ſ. colat. ℔iv. adde Syr. de piloſell. è Succo Elatin. an. ʒii. ſervetur loco frigido. *Doſ.* ʒiv. *Horis Medicis.*

* *Decoct. ad Tuſſim.*

℞. Fol. Cynogloſ. M. 4. Hyſſop. Cap. Ven. Tuſſi. lag. an. Mi. Aniſ. Glyc. an. ʒvi. coq. in Aqu. Hord. ℔vi. ad ℔iv. colat. adde Sacch. Cand. q. ſ. *Doſ.* ʒiv. *ter vel quater in die.*

* *Decoct. Ulmi.*

℞. Cort. interior. Ulmi rec. ʒiv. coq. in Aquæ font. ℔iii. ad dimid. colaturæ rubicundæ (inſtar V. Rubelli) adde Syr. de Rubo Idæo, & de Moris an. ʒiſs. M. f. Gargariſ. Elegantiſſ. *Optimè valet in Linguæ Aſperitate, Aphthis, Omnibus Oris Calidis Affectibus & Ulceribus cujuſcunque Generis. † Pro potu communi cum pauco Vin. alb. liberavit ab Elephantiaſi, & Lepra Græcorum. Graveolentiſſimos movet Sudores.*

* Den-

* *Dentifricium Dominarum.*

℞. Cryſtall. præp. ʒiſs. pulveris Laterum, Lap. Pumic. an. ʒſs Oſs. Sepiæ, Corall. utriuſque an. ʒ ii. Margarit. Caryophyll. an. ʒi. Moſc. gr. 4. M. f. pulvis ſubt. cui adde Mell. Roſ. q. ſ. ut f. Paſta mollis. *Aliter.*

℞. Pulveris Laterum ʒi. Sp. Sulphuris q. ſ. ut fiat Paſta: Cui exiccatæ adde pulveris Tartari ʒ vi. Panis cremat. ʒſs. M. *Pro dentibus fricandis, colluendo Os cum Vino.*

* *Dentifricium Infantium.*

℞. Butyr. rec. ʒi. Mell. deſpum. ʒ vi. Corall. rub. præp. ʒ ſs. f. mixtura ſ. a. *Quâ fricentur Gingivæ bis vel ter in die, ad Dentitionem facilitandam.*

* *Dentifricium Scorbuticum.*

F. Salis Cochlear. Macis, an. ʒi. Salv. ℈iv. Aluminis uſt. ʒii. Sal. decrep. ℈ii. f. pulvis ſubt. cui adde Mell. Roſ. q. ſ. f. Mixtura: *Pro dentibus fricandis ante uſum Lotionis ſeq.*

* *Dentilavium Scorbuticum.*

℞. Rad. Biſtort. Sem. Cochlear. an. ʒii. Alumin. ʒi. Maſtich. ʒiii. coq. in Aqu. font. q. ſ. ad ℔i. colat. adde Mell. Roſ. ʒii. M. f. Lotio.

* *Diachylon Odoratum.*

℞. Emp. Diachyl. ſimp. ℔ iii. pulveris Rad. Irid. Florent. ʒiii. Ol. ſtil. Rhod. ʒſs. Moſch. gr. iii. m. ſ. a.

Diacreta.

℞. Cretæ albiſ. Aquâ Viol. quater lotæ, ʒi. Glyc. Sem. Cydon. Ocul. Canc. an. ʒſs. Nuc. M. Lap. Carpion. an. ʒii. Margarit. Coral. r. an. ʒſs. Croci, Macis parùm torref an. ℈ſs. M. f. pulvis ſubtiliſ *In Ardore Stomachi mirè valet. Dolorem ſiſtit, & Cauſam hujus Mali tollit. Doſ.* ʒi.

* *Diapalma Odorata.*

℞. Emp. Diapalm. (cum Ung. Oleoque Roſato, loco Axungæ. & Ol. Olivar. fact.) Liquat. ℔ iii. Ol. ſtil. Rhodii ʒii. m. ſ. a.

Diatartarum.

℞. Ref. Scammon. Tartari Vitriolat. an. ʒi. Turpet. Hermodact. an. ʒſs. Ol Cinnam. & Caryoph. an. gt. xii. M. f. pulver. *Doſ.* ℈j. *ad* ℈iv.

* *Diateſſaron Potabile.*

℞. Sp. Vini Gallici ʒiv. Succ. Limon ʒii. Syr. Viol. ʒv. Aquæ font. ʒxii. m. f. Julap. gratum, *ante Paroxyſmos febriles bibendum.*

* *Dia-*

* *Diatrachia.*

℞. Arter. aſper. Ovium mundat. & in clibano ſiccat. ℥iv. Arter. aſper. Capon. ſimiliter præp. ℥iii. Raſ. Ebor. Priap. Tauri, Cervi, & Hippopotami an. ℥ii. Dent. Hippopot. ℥iß. M. f pulvis ſubt. adde Rhodoſacch. ℥viii. M. D. ℥i *ter in die cum Syr. de Symphyto. Ad Urinæ Incontinentiam maximè valet.*

E.

* *Elæoſaccharum Cardiacum.*

℞. Ol. chym. Nuc. M. ℥iii. Ol. Cinnam. Sacch. opt. ℥xviii. M. fiat Pulv. ſ. a. *Ad edulcoranda Julapia, &c.*

* *Elæoſacch. Carminativum.*

F. ex Ol. chym. Chamæm. gt. xxiv. Sacch. albiſ. ℥xii. m.

* *Eloæſacch. Fœniculi.*

F. ex Ol. ſtil. Sem. Fœnic. d. gt. 40. Sacch. albiſ. ℥xii. m.

* *Elæoſacch. Nuciſtæ.*

F. ex Ol. ſt. Nuc. M. ℥i. Sacch. albiſ. ℥xii. M. *Detur* ℥i. *ſæpe urgente Ventris Inflatione.*

* *Elæoſacch. Saſſafras.*

F. ex Ol. ſt. Saſſafr. ʒii. Sacch. Albiſ. ʒvi. m.

* *Electuarium Album.*

℞. Ceruſ Antimonii ʒiv. Sacch. albiſ ʒxii. M. f. Pulv. cui adde Syr de Radic. Eryngii ʒiv. vel q. ſ. ut f. Elect albiſſimum. *Doſ.* ʒii. *vel* iii. *bis in die, augendo quantitatem quotidie gradatim ad* ʒvi. *pro vice Sanguinem purificat. Datur in Cachexia, Hydrope, Ictero, Scorbuto, Lue Venerea,* &c.

* *Elect. Aſthmaticum.*

℞. Flor. Sulphur. ʒiii. Cinnam. ʒi. ZZ. ℈iv. Croc. ʒii. Moſch. gr. vi. Mell. deſpumat. ʒvi. vel q. ſ. M. f. Elect *Doſ* ʒiii. *bis in die.*

* *Elect. Caryophyllatum.*

℞. Conſ Cary ph hort. ʒiv. Conſ. Roſ. r. ʒvi. Syr. de Cort Citri ʒii Contuſ. opt. trajic. per ſetac. & adde Arom Roſat. ʒiii. Caroyph. Indic. inciſ ʒiii. Ambr griſ. ℈ß M. f Elect. *Uſus eſt egregii in Anorexia, Ventriculi Dolore,* &c. *Doſ* ʒi. *ad* ii. &c.

* *Elect Caſtitatis.*

℞. Sem Vitic. Hyoſcyam an ʒi. Camph ʒii. Glyc ℈iv. M. f pulvi adde Conſ. Fl Nymph ʒiii. Syr. de Nymph q. ſ. f Elect. *Doſ* ʒii. *vel* iii. *bis in dies, ſuperbibendo Serum Chalybeat. & inungendo interim Renes, ac Teſtes Oleo Sem. Hyoſc. expreſſ.*

Elect.

Elect. Chalybeatum.

℞. Martis præp ʒi. Martis limat. mundat. ʒ ß. Pulp. paſſular. minor. ʒ xii. Ol. Cinnam. vel Caryoph. gt. 40. M. ſ. a. *Datur utiliter in Chloroſi, Hydrope, &c.*

* *Elect. Diarrhodi.*

℞. Spec. Diarrhod. Abbat ℈ iv. Mivæ Berber. ʒ iii. Sacchar. albi in aqua Fragor. Salut. ʒ iii. M. f. Elect *Doſ.* ʒ iii. *bis die, ſuperbibendo Hauſtum ſeri de Sedo.*

Elect. Ducis Sabaudiæ.

℞. Sarſaparil. ʒ iii. Sem. Ebuli ʒ vi. Sem. Hyperic. Fol. Chamædr. Chamæpit. an. ʒ iii. Rad. Angelic. ʒ iii. Ariſtol. rot. ʒ vi. Cinnam. ʒ ii ß. Caryoph. ℈ iv. Croci ℈ ii. M. f. pulvis ſubt. & cum Mell. deſpumat. triplo f. Elect *Doſ.* ʒ iii. *per Annum totum, quotidie. Ad Arthritidem curandam optimum remedium.*

* *Elect. Epilepticum.*

℞. Sterc. albiſ. Pavon. ſiccat. Rad. Pæon. Mar. an. ʒ ii. Rad. Valerian. ʒ i. Sem. Pæon. excort. ʒ iii. Carui ʒ ß. M. f. Pulv. cui adde Mel. Anthoſat. q. ſ. M. *Doſ.* ʒ ii. &c.

* *Elect. Juniperinum.*

℞. Bacc. Junip. ſucculent. contuſ. ℔ i. infund. in Aqu. Font ℔ ii. per hor. 3. f. colatura adde Sacch. opt. ℔ i. coq. ad Syr. craſſior. conſiſtentiam. Tum adde Elect. è Saſſafr. ʒ iv. Clam.

arom.

arom. pulveriſat. ʒiſs. Macis ʒi. Croc. ℈ii. M. f. a. *Diureticum*, *Stomachicum*, &c.

* *Elect. Lithontripticum.*

℞. Tereb. Ven. ʒii. Vitell. Ovor. Num. 2. exactiſ. mixtis adde Pulveris Sem. Bardan. Milii Solis an. ʒi. AlKeKeng. ʒiii. Lap. Judaic. ʒvi. Syr. de Alth. q. ſ. M. Doſ. ʒii. *bis in die (præmiſſis præmittendis) ſuperbibendo Aq. Senel. comp.* ʒiv. *cum Syr. de Alth.* ʒi.

Elect. Macis.

℞. Macis in Oxyrrhodino per 24. hor. infuſ. & exiccat. ʒi. Sem. Cirri, Cardui, Lign. vitæ, an. ʒiſs. fiat omnium Pulv. ſubtiliſ. cui adde Spec. Liberant. ʒi. Cort. Citri condit. ʒi. Theriac. Androm. ʒiii. Conſ. Borrag. & Lujul. an. ʒii. Syr. Lujul. q. ſ. f. Elect. *Uſus eſt in Peſte, ac Morbis Malignis.*

Elect. Oxydorcicum.

* ℞. Succ. Rutæ & Chelidon. depurat. an. ʒiv. Mell. opt. ℔i. coq. deſpumando ad debit. conſiſt. deinde adde Pulveris ſummit. Euphrag. (nigris ſurculis) ʒii. Sem. Fœnic. d. ʒvi. Cinnam. Cubeb. Caryoph. Macis, Macropiper. an. ʒi. M. f. Elect. ſ. a. *Ad viſum acuendum Inſigne eſt Remedium.* Doſ. ʒiii. *bis in die.*

* *Elect.*

* *Elect. Paralyticum.*

℞. Sem. Sinap. ſiccat. & pul. ʒv. Sem. Naſturt. ʒii. Syr de Succo Salviæ ℔i. vel q. ſ. f. Elect. Doſ. ʒſs. *quotidie per Menſes aliquot. Optimum Remedium.*

* *Elect. Pectorale.*

℞. Pulp. Uv. paſſar. exacin. Pulp. Conſ. Roſ. r. Syr. Capill. Ven. an. ʒiv. Sacchar. Cand. pulveriſat. ʒiii. Spec. Diatrag. frig. ʒſs. Spir. Sulphur. gt. 25. M. f. Elect.

* *Elect. Piperinum.*

℞. Piper. l. minutiſ. inciſ. ʒiſs. Pulv. Fol. Rutæ ʒſs. Sal. Gemmæ ʒv. Ther. Januenſ ʒxii. M. *In Colica, Ventriculi Dolore*, &c. *(poſt varia incaſſum uſurpata) ad miraculum hoc præſtitit.*

Elect. Vermifugum.

℞. Fol. Helleboraſtri pulveriſat. ʒii. Mell. deſpum. ʒvi. M. ſ. a. *Ad Lumbricos necandos & educendos certiſſimum eſt Remedium.* Doſ. à ℈iv. ad ʒii.

Elixir Camphoratum.

F. ſolvendo Camph. ʒſs. in Alcoh. V. Croco tincti ʒvi. ſ. a. *Utiliſſimum eſt in Peſte, tum præſervando, tum curando. Item, in Paſſione Hyſterica.* Doſ. ℈i.

* *Eli-*

Elixir Propriet. Dulce.

Fit ex Myrrh. Aloës Croc. an. ℥ i. Alcoh. V. ℥ viii. *maceratis filtratisque ſ. a. Uſus eſt proficui in Morbis Malignis, Hypochondriacis, Uterinis; Stomachi Cruditate, & indè Appetitu Imminuto. Extrinſecus Ulceribus ſordidis mundificandis inſervit.*

Elix. Prop. Peſtilentiale.

℞. ex Mirrh. Aloës, Croc. an. ℥ ß. Spir. C. C. ℥ ii. unitis cum Alcoh. Vini ℥ iv. digeſtis & filtratis ſ. a.

Elix. Prop. Tartariſatum.

℞. ex Myrrh. Aloës, Croc. an. ℥ i. Tinctur. Salis Tartari ℥ xii. digerendo filtrandoque ſ. a.

Elix. Salutis.

℞. Fol. Senæ ℥ iv. Lign. ſanct. Rad. Enul. ſicc. Sem. Aniſ. Carui, Coriand. Glyc. an. ℥ ii. Uv. paſſ. exacin. ℥ viii. Aquæ Vitæ ℔ vi. macer. in frig. per dies 4. dein ſ. colat per Manic. Hipp. Sunt qui addunt Sal. Tartari, Rhab. Scammon. &c. *Doſ. Coch. 1. 2. horâ ſomni, & 3. 4. manè.*

Elix Vitæ.

℞. Nuc. M. Macis, Cinnam. opt. an. ℥ i. Caryoph. ℥ ß. Flaved. Cort. Aurant. & Citri, an. ℥ iii. Croc. opt. ℥ ii. Alcoh. V. ℔ iii. Digere ac filtra ſ. a.

Elix.

Elix. Vitrioli.

℞. Cinnnam. ZZ. Caryoph. an. ʒiii. Calam. Arom. ʒi. Galang. ʒiß. Fol. Salv. Menth. criſp. an. ʒß. Cubeb. Nuc. M. an. ʒii. Xyloal. Cort. Citri, an. ʒj. f. pulvis adde Sacch. cand. alb. ʒiii. Spir. Vini ℔ iß. Ol. Vitrioli ℔ i. extrahe Tincturam digerendo per Dies 20. ſ. a. deinde filtra ad Uſum. *Stomachum ac inteſtina maximè confortat, & Appetitum excitat. Ab Epilepſia & Apoplexia præſervat. Cerebrum purgat. Caput, totumque Corpus multis Phlegmaticis Catarrhis repletum exiccat, illudque à dolore mirè tuetur.* Doſ. ℈ß. *ad* ℈ i.

* *Elleborus albus præp.*

Fit affundendo Rad. pulveriſat. Aquam Spiritu Vitrioli impręgnatam diſſolutionis Coralliorum: macerando per hor. 24. & exiccando. Repet. opus ter. Doſ. à ℈ ß. *ad* ʒß.

* *Emplaſt. Adhæſivum.*

℞. Diachyl. ſimp. Diapalm. an. ℔ i. Pic. Burgund. & Sarcocoll. an. ʒiv. Tereb. ʒvi, vel q. ſ. M. ſ. a. *Pro Fontanellis apertis ſervandis, & tutandis ab Inflammatione.*

* *Empl. Burgundicum.*

℞. Pic. Burgund. ℔ i. pulv. Caryoph. ʒx. Ol. ſtil. Piper. ʒ iii. M. ſ. a. *In Cephalalgia, Ophthalmia, Catarrhis, Vaporibus,* &c. *Humeris & Nuchæ applicatum Uſus eſt Inſignis.*

Em-

Empl. Camphoratum.

℞ Camphor. ʒiſs. Balſ. de Tolu, ʒi. Galb. colat. ʒvi. M. *Uſus eſt in Uteri Suffocatione, Vertigine,* &c. *Umbilico adhibitum, vires & habet Emp. Diagalb.*

Empl. Catarrhale.

℞. Tacamah. Carann. an ʒiſs. Emp. de Beton. ʒiii. Pulv. ſuccin. ʒi. Caryoph. ʒſs. Cort. Saffafr. & Winter. an. ʒii. Balſ. Peruv. q. ſ. M. f. Maſſa. *Pro capite raſo.*

* *Empl. Diagalbani.*

℞. Galb. Acet. præp. ʒxii. Ceræ ʒ viii. Tereb. ʒv. M. ſ. a. *Tophos, Nodos, Scrophulas, ac Tumores duros, digerit, emollit, reſolvit, eorumque Dolores ſedat. Verrucas & Clavos Pedum tollit. Nervos ac Uterum roborat.*

Empl. Diaſulphuris Rulandi.

℞. Balſ. Sulphur. ʒiii. Ceræ ʒſs. Colophon. ʒiii. liquatis adde Myrrh. opt. pulveriſat. ʒiiiſs. coq. ſ. a. *Curat omnis generis Ulcera, & Vulnera quæcunque infallibiliter.*

Empl. Epiſpaſticum.

℞. Pic. Burgund. ʒxviii. Ol. Olivar. ʒſs. liquatis adde Cantharid. ſubt. pul. ʒiv Sem. Ammeos pul. ʒii. f. Maſſa Admodum adhæſivum.

* *Empl.*

* *Empl. Febrifugum.*

℞. Pulv. Gum. Lentisc. ʒ vi. Aloës ʒii. Bol. Armen. ʒ iii. Euphorb. Staphisagr. Bacc. Lauri, Fœnu. græc. Hyali Venet. an. ʒ ii. Fulig. ex Ligno contract. Salis nigr. an. ʒ iſs. Tereb. ʒ iii. vel q. s. M. f. Empl. s. a. *Carpis adhibitum horis* 3. *vel* 4. *ante accessionem Paroxysmi, sæpe curat Tertianas, aliquando etiam Quartanas.*

Empl. Hæmorrhoidale.

℞. Litharg. Lunæ ℔ i. Axung. ʒ i. vel q. s. contund. opt. ut f. Massa convenienter dura, pro Empl. Fieri etiam possunt. *Suppositoria* ex eadem Massa s. a.

* *Empl. Laterale.*

℞. Fl. Sulphur. ʒ v. Rad. Irid. Flor. ʒii. Caryoph. ʒ ß. Cumin. ʒ iſs. pulverisatis adde Picis Naval. & Burgund. an. ʒ iv. Tereb. ʒ iii. Ol. st. Carui, Rhodii. an. ℈ iv. M. s. a. *In Doloribus Pleuriticis multùm facit, præmissâ Phlebotomiâ.*

* *Empl. Mammillare.*

℞. Sperm. Ceti ʒ i. Ceræ alb. ʒ ii. Galb. aceto præp. ʒ ß. Ol. Samb. q. s. *In omnibus Mammarum Tumoribus, imò Scrophulosis, Lacte concreto, Oedemate, &c. nil huic æquale.*

* *Empl.*

Empl. Nuchale.

℞. Gum. Elem. Tereb. an. ʒß. Olib. Maſtich. Gum. Tragac. an ʒiii. Bol. Armen. ʒiß. Sem. Pſyll. Myrti, Balauſt. an. ʒi. Euphorb. ℈i. Succin. ʒii. Pic. Burg. ʒviii. Carann. ʒx. Ol. Caryoph. Balſ. Peruan. an gt. vi. M. f. Maſſa ſ. a. *Ad Odontalgiam tollendam pone Aures applica. Ad Defluxiones in Oculos, Ophthalmiam,* &c. *Nuchæ adhibe.*

* *Empl. Opiatum.*

℞. Diachyl. magn. ʒiv. Mercurii viv. ʒii. Opii ʒi. M ſ. a. *Ad dolores Arthriticos & Venereos mitigandos eximiè conducit.*

* *Empl. Paralyticum.*

℞. Pulv. Lumbricor. ʒiv. Calam. Arom. ʒiß. Galang. ʒvi. Mellis q. ſ. f. Empl. *pro Membris Affectis, nulli ſecundum.*

Empl. Podagricum.

℞. Opii, Sapon. Ven. an. ʒß. Emp. Diachalcit. ʒii. M. ſ. a.

Empl. Saturninum.

℞. Saturni alb. ʒiv. Cretæ alb. ʒß. Myrrh. ʒii. amalgamat. (exp. ii. Mercurij, & p. i. Saturni) ʒvi Axung. Veter. q. ſ. ad formand. Empl. in mort. calido duræ conſiſtentiæ. *Ulcera Calloſa & Maligna, imò Peſſima unâ ſolâ admotione curat, abluendo ea*

do ea primò (si sordida sint) Aqua Solutionis Lap. Salutis, mox Empl. in alutam sat spissè extensum admoveatur Ulceri, & (si opus sit) Emplastro Diachalciteos contineatur, superinducta fascia lanea satis stricta, neque removeatur ante 15. dies.

* *Empl. Scorbuticum.*

℞ Fl. Hyperic. Fol. Pilosell Veronic. mar. Cochlear. marin. an. M ii. Absinth com. M i. coq. in Ol. Ros ℥ vi. ad Herb. Putrilag. Expressioni adde Sevi Cervin. Ceræ, Rhodomel. an. ℥ iß. Fl. Tritici ℥ i. m. f. a. *Confert Ulceribus & Tuberculis Scorbuticis.*

* *Empl. Smecticum.*

℞. Saturni rub. ℔ i ß Ol. ℔ ii. Sapon. alb. ℥ iv. Ceræ ℥ ii. coq. f a. *Detergit ac Resolvit. Dolores Dorsi & Junctturarum compescit. Contusiones dissipat. Dolores sublevat Podagricos. Abortum præcavet feliciter Dorso & Umbilico adhibitum, & continuò gestatum.*

* *Empl. Soleare.*

℞. Sevi Ovill. ℥ iv. Pic. Naval. Resin. an. ℥ viii. Thuris ℥ xii. pulver. Croc. ℥ ß. Caryoph. Mac. an. ℥ vi. Cumin. ℥ iß. Ladan. ℥ vi. m. f. a.

* *Empl. Spasmicum.*

℞. Picis Naval. ℥ iv. Castor. Ol. Costin. an. ℥ i. M. f. Massa. *Titulus vires indicat.*

Empl. ad Strumas.

℞. Emp. è Cicuta cum Ammon. ʒiv. Gum. Elem. ʒß. Mercur. præcip. corroſiv. ʒx. M. *Scrophulis & Strumis medetur.*

* *Empl. Synanchicum.*

℞. Alb. Canis Pulv. ʒvi. Mellis crud. ʒviii. Fl. Tritici. ʒiiß. Ceræ ʒiv. Ol. Roſ. ʒvi. vel q. ſ. ut f. Empl. ſ. a. *Adhibeatur Jugulo & Colli partibus poſt Aures ubi Dolor.*

Empl. Tibiale.

℞. Mercurij ʒ ii. ſolve in Aqu. Fort. ʒii. adde Axung. Porcin. ʒiv. coq. in Vaſe fictili, continuò agitando rudiculâ ferreâ, ad conſiſt. Empl. mollioris, & exhalationem humiditatis. Tum adde Ceræ fl. ʒi. Pulv. Maſtic. & Oliban. an. ʒ iii. M. f. Maſſa ſ. a. *Ad Nodos, &c. in Lue Venerea.*

* *Empl. Vermifugum.*

℞. Pulv. Aloës ʒi. Colocynth. Myrrh. an. ʒiii. Fol. Sabin. Rutæ, Abſinth. Tanacet. Jugland. Rad. Bryon. an. ʒii. Ceræ, Reſin. an. ʒiv. Ol. Rutac. ʒii. M. f. Maſſa ſ. a. *Pro Umbilico. Vermes enecat ac educit.*

* *Emulſio de Avellanis.*

℞. Nucl. Avellan. Num. 40. Sem. Cannab. Pepon. & Melon. an. ʒi. Portulac. ʒvi. Amyd. d. de.

decort. N. viii. contuſ. adde Aqu. Lact. ſimp ℔ iiſ. Aqu. Roſ. rub. ʒ iv. Sacch. cand. ʒ ii. f. Expreſſio *Doſ.* ℔ ſ. *bis in die cum Priapi Cervi* ʒ i. *ad Ardorem Urinæ, Gonorrhœam, &c.*

Emulſio Cathartica.

℞. Sem. Cartham. ʒ i. Mann. opt. ʒ iii. Amygd. decort. ʒ ii Aquæ Hordei, vel Ebsham. ℔ ii. f. Emulſio ſ. a.

* *Emulſio Expulſiva.*

℞. Sem. Citri decort. ʒ ſ. contuſ. adde Aquarum Citri, Cardui, Ulmar. Scordii comp. an. ʒ iii. Sacch. alb. ʒ i. f. Emulſ. ſ. a. *Dentur coch. 3. ſecunda quaque hora ad Malignitatem Variolarum, &c. expellendam.*

* *Emulſio Cretacea.*

℞. Cret. alb. pulv. ʒ iii. Aqu. Hord. ℔ iii. coq. ad ℔ ii. adde fragefactis Sem. 4 frig. major. an. ʒ ii. Amygd. d. Num. viii. Carui ℈ ſ. f Emulſio, adde Cret. ſubt. pulveriſat. ʒ iii. Sacch. Perlat. ʒ i. vel Diacod. ʒ iſ. *pro re natâ.*

* *Emulſio Dactylorum.*

℞. Dactyl. (oſſibus exemptis) N. 15. coq. in Cerev. illupulat. ℔ ii ſ. contund. Dactyl. cum Amygdal. d. N. 24 f. expreſſio cum Cerev. dictâ: adde Sacch. cand. & Nuc. M. q. ſ. *Doſ.* ℔ ſ. *ter in die per dies* 40. *vel* 50. *in Abortu, Infirmitatibus Dorſi, Gonorrhœa, Tabe, Tuſſi, Macilentia, &c.*

* *Emulſio Pœoniata.*

℞. Sem. Pœon. decort. ʒi. contuſ. adde Aquarum Rutæ, Ceraſ. n. Pæon. comp. an. ʒvi. f. Emulſ. adde Sacch. perlat. ʒi ſʃ. *Dentur coch. 3. manè, & hora Somni, præmiſſo Electuar. conveniente. In Epilepſia, Vertigine, Hemicrania, &c.*

* *Enema Alexiterium.*

℞. Fol. Scordii M i. Sem. Citri ʒ iii. Fl. Sambuc. Chamæm. Roſ. rub. Centaur. Min. an. P. i. coq. in Aquæ Font. q. ſ. colat. ʒx. adde Succ. Cherm. ʒi. Sacch. opt. ʒ ſʃ. M. *Ad extrahendum Venenum*, &c. *ab Inteſtinis, &c.*

* *Enema Colicum.*

℞. Decoct. com. (cum Bacc. Junip. & Fœnugr. an. ʒiii. præp.) ʒx. Infuſ. Croc. Metallor Ol. Anethin. an. ʒ ii. Sapon. Caſtil. Elect. Lenit. an. ʒi. Ol. ſtil. Bacc. Juniper. ʒ ſʃ. M. ſ. a. *In Colica, Iliaca, Calculo, &c. inſigne.*

Enema Balſamicum.

℞. Decoct. fort. Equiſeti ʒvi. Ol. Hyper. ʒvi. Balſ. Lucat. ʒi. Peruan. ʒiii. M. *Ad Dyſenteriam, Excoriationes Inteſtinorum ſanandas*, &c. *maximè proficuum.*

* *Ene-*

* *Enema Dyſentericum.*

℞. Caput Ovis mactati cum lana confract. (demptis lingua & cerebro) coq. in Aqu. q. ſ. ad ℔ vi. f. colat. pro Enemate. Addi poſſunt Fl. Chamæm. Malv. Alth. *&c.* vel, fieri poteſt ex Butyr. inſulſ. ℥x. Sang. Dracon. ℥ii. Vin. rub. ℥ii. Vel, ex Lact. rec. ℥xii. Opii ℈i. Croc. ℥ß. coctis, addendo Sacch. alb. ℥iſß. Vitell. Ovor. Num. 2. *Eaſdem Vires obtinet cum priori.*

Enema Hyſtericum.

℞. Decoct. com. ℥x. Camph. ℥i. Ol. Rutac. ℥ß. Mell. Mercurial. ℥iii. M. f. Enema.

Enema Oleoſum.

℞. Ol. Lini ℥iii. Ol. Chamæm. Aneth. an. ℥ii. Scorpion. Rutac. an. ℥i. Ol. Tereb. ℈i. M. *In Colica, Calculo,* &c. *Egregium.*

Enema Terebinthinatum.

℞. Decoct. com. ℥xii. Tereb. Ven. ℥ß. Vitell. Ovi unius, Syr. Viol. ℥iſß. Diaphœnic. ℥i. M. f. Enema ſ. a. *In Dolore Calculi valde proficuum.*

Enema Vinoſum.

℞. Vini Hiſpan. ℥xii. Ol. Aniſ. Sacch. rub. ℥iii. M. f. Enema, *ad Tormina.*

Enema Urinoſum.

℞. Sem. Rutæ, Dauc. Cumin. an. ʒii. Senæ, ʒi. Urinæ ℔ iſſ. coq. ad dimid. colat. adde Spec. Hier. ſimp. ʒii. Sacch. rub. ʒiii. f. *Enema Hydragogum, valet in Hydrope.*

* *Ens Veneris.*

℞. Vitrioli Martis opt. reverberat. & loti p. i. Sal. Armon. p. ii. Sublima ſ. a. cum tribus cohobiis. *Anodynum eſt & pacificum. Uſus eſt eximii in Rhachitide, & Vermibus Infantum necandis. Proficuum in Pleuritide, ac Uteri Suffocatione. Obſtructiones aperit, &c. Doſ. gr.* iv. *ad* xii.

* *Epicarpia Febrifuga.*

℞. Helleb. alb. pulveriſat. ʒſſ. Nitri ʒii. Pulp. ficuum q. ſ. ut f. Maſſa Cataplaſmatis inſtar. *Carpis adhibend. horis 2. ante parox. Tertianæ.*

Eſſentia Abſinthii.

℞. Sp. ardentis Herbæ fermentatæ ʒxii. Ol. ſtil. ʒii. Extracti ſpiſſi, & Salis ſoluti, an ʒſſ. Digere ſ. a. ad uniendum: dein filtra. Eodem modo parari poteſt *Eſſentia Cardui, Pulegii, Hyſſopi*, &c.

* *Eſſentia Martis.*

℞. Chalyb. limat. ʒiv. Affunde guttatim in vitro capaci Spir. Nitri ʒiii. Spir. vitrioli rectif. ʒii. ſpatulâ ter vel ſæpius verſando. Tum diluatur

tur Massa (antè nimiùm compacta sit) Phlegm. Vitrioli ʒx.: & efficientur Tinctura rubicunda, vel summè flava; quæ filtretur ad usum. *Potenter aperit Obstructiones cujuscunque generis. Menses movet, & curat Cachexiam, Chlorosin, Hydropem,* &c. *Dos. gut.* 5. *ad* 15.

* *Extractum Absinthii.*

Fit ex Summitat. siccis in Spir. Vini digestis, ut eliciatur Tinctura, quæ filtrata ad consist. extracti evaporetur, addendo sing. unciis Extracti, Salis Absinth. ʒ ß. Eodem modo fiant *Extr. Cardui, Centaur. Gentian.* &c. Vel, fieri possunt ex Succis depuratis, evaporando in Baln. Mariæ s. a.

* *Extract. Alhandal.*

℞. Pulp. Colocynth. à semin. opt. liberat. & pulverisat. ʒ iv. Glyc. Anis. an. ʒ ß. Aquæ Cal. viv. filtrat. ℔ iv. Diger. Dies 20. f. expres. & exhal. ad debit. consist. s. a. *Humores Aquosos educit ad miraculum. Dos. à gr.* 5. *ad* 15. *& ultra.*

* *Extract. Antiscorb. v. Aq. Antiscorb.*

* *Extract. Chalybis.*

℞. Succ. Oxalid. depurat. ℔ iv. Tamarind. ʒ i. coq. parùm, & clarifica. In isto macer. tepidè Martis limat. ʒ v. per Dies iv. sæpe agitando, f. colat. quę in Baln. Mariæ inspissetur ad debit. consist. Vocatur & *Magist. Martis*. Aliter paratur cum Succo Pomor. vice Oxalidis & Tamarindorum. *Dos.* à ʒ ß. *ad* ʒ i.

Extract. Diateſſaron.

℞. Spec. Diateſſar. ʒiii. Rad. Angelic. ʒi. Zed. ʒß. Sem. Cardui ʒii. Aquæ Scord comp. Cardui Meliſ. Angel. an. ℔i. extrah Tincturam ſ. a. & exhal. ad debit. conſiſt. *Confert ad Affectus Frigidos, tum Cerebri, ut, Paralyſin, &c. tum Ventriculi, ut Inflati Hepatis, ut Hydropem, Cachexiam, Obſtructiones. Valet etiam efficaciter ad Morſus Venenatos, & Potionem Veneni.*

* *Extract. Draſticum.*

℞. Scammon. pulveriſat. ʒiii. Succ. Aurant. cum Cortic. expreſſ. ℔ii. Digere tepidè Dies vi. f. expreſſ. & exhal. ad Pil. conſiſt. *Doſ.* à ∋ß. *ad* ʒß.

Extract. Ecphracticum.

* ℞. Xyloal. Galang. Caryoph. an. ʒß. Cinam. Gent. Cort. Winteran. an. ʒi Rad. Raph. Ruſtic. ʒii. Fol. Calaminth. Puleg. Abſ. an. Mi. Martis cum Sulphure præp. ʒviii. Vini alb. & Decoct. Tartari albi, an. ℔iiß. macer. ſ. a. colat exhal. ad debit. conſiſt. addendo Aloës ʒi. myrrh. ʒii. *Mickleth.* *In Morbo virgineo ac Scorbuto eſt efficaciſſimum: Magnas enim Vires obtinet in aperiendis Obſtructionibus, præſertim Lienis, Hepatis, Uteri, ac Meſenterii: adeoque Morbis indè natis ſubvenit.*

* *Ex-*

* *Extract. Febrifugum.*

℞. Pulver. Cort. Peruvian. ʒ iv. Centaur. min. Rad. Gentian. an. ʒii. Serpent. Virgin. ʒi. Spir. Vini ℔ iv. vel q. ſ. extrahe Tincturam, & exhala ſ. a. *Titulus vires indicat.* *Doſ.* ℈ ß. *ad* ʒ ß.

Extract. Fellis.

℞. Fell. Bubuli in Sole exicc. ʒii. Sp. Vini ℔ iß. extrahe Tincturam, & exhala ſ. a. *Confert ad Menſes Suppreſſos.* *Doſ.* ℈*i. vel* ʒß. *indies, operatur per ſedem.*

* *Extract. Ictericum.*

℞. Sterc. Ovill. rec. ʒiv. Rad. Chelidon. ʒx. Curcum. ʒiß. Lumbric. præp. ʒ vi. Centaur. min. M. ii. Martis præp. ʒii. Succi Limon. ʒvi. Aquæ Cichor. ℔ iv. Infund. hor. 48. ſ. expreſ. quæ exhal. ad Pil. conſiſt. addendo Lumbric. præp. ʒiß. *ter in die, ſuperbibendo Decoct. Icteric.* ʒiv.

Extract. Maltæ comp.

℞. Fol. Tuſſilag. Pulmonar. Maculoſ. rec. an. ʒvi. Glyc. ʒviii. Uv. paſſ. exacin. ℔ ii. Cerev. illupulat. fort. debit. ætatis cong. vi. coq. ad conſumpt. cong. 4. ſ. expreſſ. fort. & exhala ad mellaginem. *Doſ.* ʒii. *bis vel ter in die, in Phthiſi, &c.*

* *Extract. Melampodii.*

℞. Rad. Helleb. n. veri cum fibris craſſ. pulveriſat. ℥vi. Sem. Aniſ. ℥i. Spir. Vini ℔iii. Infund. tepidè per Dies vi. f. expreſſ. & exhala. *Doſ.* ℈ ß. *ad* ℈i.

Extract. Paregoricum.

℞. Philon. Rom. ℥iß. Mithrid. ℥v. Theriac. Lond. Diaſcord. an. ℥iii. Aquæ Card. ℔i. Sp. Vini ℥iii. macera, cola, & exhala ſ. a. *Proficuum in Morbis Contagioſis, Catarrhis, Doloribus, Vigiliis*, &c.

* *Extract. Pectorale.*

℞. Fol. Scabioſ. Hyſſop. Heder. ter. an. M. xii. Marrub. alb. Jaceæ, an. M x. Tuſſilag. Helen. an. M. xviii. contuſ. exprimatur Succus, depuretur, & ad Mellaginem evaporetur ſ. a. *Doſ. coch.* i. *ter in die, ſuperbib.* Decoct. *Pector.*

* *Extract. Peticum.*

℞. Fol. Peti exotic. ℥ii. Glyc. ℥i. Fol. Aſari rec. ℥x. Sem. Aniſ. ℥iii. Coriand. ℥ ii. Rad. Angelic. Galang. an. ℈ viii. macer. tepide in Hydromel. ℥xx. hor. 24. f. expreſ. & exhal. ad debit. conſiſtentiam. *Doſ. ad* ℈ii. *Craſſos Humores per Vomitum & nonnunquam per Seceſſum potenter expurgat. Feliciter datur in Aſthmate, & Pulmonum Tartaro, nec non in Febribus, præcipuè Tertiana, & Quartana. Utile etiam in Ictero, Hydrope, ac Arthritide.*

* *Ex-*

* *Extract. Sarſæ* . v. *Aqu. Sarſæ comp.*

F.

Febrifugum Salis. (i. e.) *Sal. Armoniac. Volatile.*

Febrifugum Crollianum, v. *Antifebr. Conch.*

Febrifugum Riverii.

℞. Flor. Antimonii ter cum Sal. Armoniaco ſublimator. & edulcatorum, Vitri Antimonii in ℥iv. Aquæ Fort. (ex Nitro & Alumine factæ) præcipitati, an. ℥ ß. Mercurii cum Aqu. Fort. (ex Nitro, Vitriolo, & Alumine facta) præcipitati ℥ vi. Solis in Aqua Reg. ſoluti ℥ i. M. ac deſtilla ex Retorta gradatim ad ſiccit. cum 12. cohobiis Pulveri quinquies loto & ſiccato adde Alcoh. V. ℔ ii. deſtilla ex Retortâ novâ ſexies, cohobando, effunde Alc. Vini & Maſſam Calcis pone in Crucibulo benè lutato igne rotæ, per 3. hor. Dein Alc. prædictum deſtillatum ſuper incende ſ. a. *Doſ. gr.* vi. *ad* ℈ i. *cum an. Scammon. Sulphurat. &c.*

Flores Antimonii.

Sublima Antimonium igne forti, aut per ſe, aut cum Arena vel Tartaro calcin. admixto. Flores albiſ. colligantur, Uſuique ſerventur. *Vomitum nonnunquam promovent. Doſ. gr.* 2. *ad* 4. *Sudorifici ſunt.*

Flor. Antim. Diaphoret.

Fiant ex Flor. Antimonij Oleo Sulphuris irroratis, & Crucibulo clauſo calcinatis ſ. a. *Viribus pollent cum prioribus.*

Flores Benzoïni.

F. ex pulvere Benz. opt. vaſi vitreato indito, deſuper ponendo chartam duplicem pyramidatam, & l. igne ſublimando ſ. a. Flores chartæ adhæreſcentes (chartâ ſæpiùs mutatâ) eximantur. v. *aliter in Pharmacop. Londin. Pulmonici, Bechici, ac Aſthmatici ſunt Inſignes, & Catarrhos ſiſtunt. Sudorem movent. Doſ. gr. 5. ad 12.*

Flores Biſmuthi.

℞. Marcaſit. calcin. & Sal. Armon. an. & ſublima ſ. a. in Cucurb. forti. *Coſmetici ſunt celebrati ad dealbandam Faciem, cum duplici quantitate Pomati. Conferunt ad Cutis Vitia, Lichenes, Impetigines, &c.*

Flores Joviales.

℞. Jovis p. i. Nitri p. ii. ſublima ſ. a. Ablue Flores Aquâ calidâ. *Præſtant magnopere in Uteri Suffocatione, tàm Intrinſecus quàm Extrinſecus adhibiti. Doſ. gr. ii. ad vi. repetitis vicibus.*

Flo-

Flores Salis.

Fiunt augendo ignem poſt deſtillationem Olei Salis, & ſublimando. Flores collo Retortæ adhæreſcentes colligantur. *Alexiterii ſunt.* *Doſ. ad* ℈i.

Flores Salis Armoniaci:

F. ex Salis fuſi & Sal. Armon. an. ſublimatis ſ. a. *Diuretici, & Diaphoretici. Doſ. gr.* 5. *ad* 15.

Flor. Sal. Armon. Martiati.

F. ex Martis limat. & Sal. Armon. an. ſublimatis, Aëri exponendo Caput mortuum, miſcendo cum dimid. quant. Sal. Armoniaci, ſiccando, & ſublimando ſ. a. *Tollunt perfectè Cruditates Ventriculi, cum Vino abſinthiaco, aut Decocto Saſſafras, Sudorem promovendo. Optimè valent in Quartana.*

Flores Sulph. Albi.

℞. Lap. Prunell. hor. 2. calcinat. in Crucibulo optimè operculato cum carbonibus vivis ſupra operculum poſitis, ℥iii. Sulphur. ℥vi. M. ac ſublima gn e Arenæ ſ. a. *Lacti Sulphuris Viribus æquivalent.* *Doſ.* ℈i. *ad* ʒß.

Flores Viridis AEris.

Solve Virid. Æris in Acet. deſtill. dein filtra ac cryſtalliſa ſ. a. *Summum eſt Mundificativum in Vulneribus.*

Flo-

Flores Vitrioli.

Sublima Salis fusi & Vitrioli an. ſ. a. *Inſerviunt Plagis Putridis Mundandis, Incarnandis, & Cicatricibus Inducendis.*

Flores Zinci, f. uti *Biſmuthi; eaſdemque Vires obtinent.*

Flos Cordialium; nec non Cardiacum Magnum.

℞. Flor. ſiccat. Roriſm. Calthæ, Tunicæ, Superbæ, Borrag. Bugloſ. Roſ. rub. Roſ. pallid. Rorellæ, Viol. Actes, Beton. Aurant. Jaſmin. an. ʒi. Croc ℈iv. Fol. ſiccat. Card. Ben. Scord. Angelic. Apiaſtri, Menth. Amarac. Valerian. an. ʒvi. Rad. Heptaphyll. Zedoar. Ariſtol. rot. Caryophyllat. an. ʒſs. Gentian. ʒii. Sem. Ocimi, Cort. Citri, Sant. Citrin. Bacc. junip. Kerm. Cardamom an. ʒſs. Cubeb. ʒiii. Cort. Saſſafr. & Xyloal. an. ʒi. contuſis contundendis adde Spir. Vini ℔ xxx. poſt macerat. debitam abſtrahe per Baln. Mariæ ℔ xx. quæ ſerventur ad uſum, nominatæ, *Flos Cordialium*. Reſidui fiat expreſſio & colat. quæ per ulteriorem deſtillationem exhaletur ad Mellaginem. Singulis hujus Unciis accuratè admiſce Sacch. cand. alb. ʒii. Succ. Chermeſin. ʒi. Tinct. Corall. ʒvi. Margarit. præp. ʒſs. Terr. ſigill. ʒii. Bezoar. Animal. Bez. Orient. an. ʒi. Ambr. Griſ. ℈ii. Moſch. ℈ ſs. Fol. Auri Num. 20. M. ſ. a. ut fiat *Cardiacum Magnum.*

* *Fo-*

* *Fotus Arthriticus.*

℞. Salv. Roriſm. Chamæm. Artemiſ. Hyperic. Abſ. vulg. an. M vi. Sal. nigr. M. iii. coq. in Aqu. Cong. iii. ad ii. f. colat, pro Fotu.

* *Fotus Scorbuticus.*

℞. Artemiſ. Hyperic. Cochlear. urriuſque, Chamępit. an. M iii. Abſ. com. & Rom. an. M iv. Roriſm. M ii. Rad. Raph. ſylv. ℥iv. coq. in Aqu. ſ. a. pro Fotu.

* *Frontale Cephalalgicum.*

Fit ex Liq. ſtill. Roſ. q. ſ. in Aceto, vel Spir. Vini frixâ, inſpergendo pulveris Nuc. M. ℥i. Zedoar. ℥ß. Camph. ℈ ii. *Adhibe Frontiꝭ & Temporibus.*

G.

Galbanetum Hartmanni.

℞. Galb. p. i. Sp. Tereb. p. ii. Digere ac deſtilla ex Retorta ſ. a.

Galbanet. Sennerti.

F. ut ſuprà, addendo Ol. ſt. Lavendul. ℥i. & deſtillando ſ. a. *Ad Membra Paralytica inungenda Inſigne remedium.*

Gargariſma Album.

℞. Aq. Plantag. ʒiii. Aquæ Roſ. rub. ʒi. Albumina Ovorum in aqueam ſubſtantiam agit ta N. 3. Sacch. cryſtall. ʒi. M. f. Gargariſma. Vel ℞. Rad. Alth ʒiii. Sem. Cydon. ʒiſs. coq. in Aq. Hordei ℔ iiſs. ad ℔ iſs. circa finem addendo Liquirit. raſ. ʒii. colat. adde Albumina Ovorum agitata Nu. 2. Sacch. Cryſtall. ʒii. M. f. Garg. *quo Os ſæpè colluatur, & parùm ſenſim deglutiatur. Pro Aphthis, &c.*

* *Gargariſma Apoplecticum.*

℞. Sem. Sinap. pulveriſat. Spir. Caſtor. an. ʒſs. Oxyrrhodini ʒi. f. Muſtarda ſ. a cui adde Decoct. fort. Roriſm. & Beton. an. ℔ i. Mel Anthoſ. ʒii. M.

* *Garg. Scorbuticum.*

℞. Roriſm. M i. Caryoph. Num. 40. Sal. Cochlear. ʒii. Omphac. ℔ iii. coq. ad ℔ ii. *Ad Gingivas Putridas in Scorbuto.*

* *Garg. Synanchicum.*

℞. Spong. Sambuc. ʒi. Albi Canis ʒ vi. Fol. Rubi M i. Roſ. r. M ſs. Geran. Columbin. M ii. Ficus Num. viii. coq. in Aqu. q. ſ. ad ℔ ii. colat. adde Acet. Sambucin. ʒi. Mell. Roſ. ʒiii. *Ad Ulcera Oris, Aphthas*, &c.

* *Ge-*

* *Gelatina Cornu Cervi.*

℞. C. C. raſ. ℥ vi. Aqu. Font. ℔ vi. infunde tepidè & coq. lento igne (vaſe clauſo) ad 3. vel 4. hor. ut fiat Gelatina, colat. adde Succ. Limon. ℥ i. Sacch. opt. ℥ ii. *Reſtaurativa eſt in Tabe*, &c.

* *Gelatina Corroborans.*

℞. Pedes 4. Ovillos, 2. Vitulinos, Raſ. Ebor. Rad. Satyr. an. ℥ ii Virgæ Hippopot. ℥ i. C. C. ℥ x. Fol. Alchimil. Bellid. an. M ii. Aquæ font. ℔ x. coq. ſ. a. ad ℔ iii. f. colat. adde Sacch. cand. alb. ℥ iii. Refrigerent & reſideat Gelatina, auferendo pinguedinem ac fæces ſ. a. *Detur Hauſtus manè cum Priap. Cerv. pulv.* ℈ i. *præmiſſis Pilulis adſtring.*

* *Gelatina Ichthyocollæ.*

℞. Ichthyocoll. albiſ. inciſ. & contuſ. ℥ ii. Aqu. font. ℔ ii. coq. ſ. a. ad med. adde colaturæ Lact. rec. ℔ i Sacch. cand. ℥ i. *Doſ.* ℔ ì. *bis in die. Ad Profluvium Album, Gonorrhœam*, &c.

Gilla Theophraſti.

Nihil aliud eſt, quàm Vitriolum album depuratum.

H.

Helleborus . v. *Elleborus*.

Hepar Sulphuris.

Fit ex Flo. Sulphur. liquat. ℥iv. addendo Sal. Tartari purif. ℥iß. & miſcendo opt. cum ſpatula agitando, remot. ab igne ſerva Maſſam ad uſum . *Inſervit Tincturæ & Syrupo Sulphuris præparandis.*

Hercules Bovii. v. *Aurum Vitæ*.

I.

Ignis Philoſophicus. v. *Phoſphorus*.

* *Infuſio Arthritica*.

℞. Anthos ℔ i. Sal. Armon. volat. ℥ i. Alc. V. ℔ vi. Digere in Lagena opt. obturata in fimo Equino dies. 40. dein inſola dies 20. f. expreſſio. *Applicetur in declinatione Arthritidis, extrahit valde Frigidos, Craſſos, Flatuoſos Humores in Articulis, & fortificat.*

* *Infuſio Benedicta*.

℞. Rad. Polypod. qu. Turpet. Senæ opt. an. ℥vi. Sem. Carui ℥ i. Vini alb. ℔ xii. macer. (vaſe clauſo) ſuper Cineres calidos, ad Hor. 24. colat. cum expreſſione factæ adde Mann. opt. Syr. Roſ. cum Agar. Sacch. an. ℔ i. clarific. cum album . ovor. ſ. a. *Bilem utramque cum Pituita è Capite, ventriculo aliiſ-*

aliisque partibus insigniter educit sine fastidio. Dos. ℥iv. *ad* ℥vi.

* *Infusio Cachectica.*

℞. Rad. Enul. rec. incis. ℥vi. Uv. Corinth. incis. ℥viii. Sacch. alb. ℥vi. V. alb. ℔iii. Macer. in frig. Hor. 48. cola. *Dos* ℥iv. *bis in die in Cachexia, Chlorosi, Dyspnœa, &c.*

* *Infusio Icterica.*

℞. Sulphur. Anserin. rec. ℥vi. Fol. Chelidon. M. ii. Vini alb. Aquæ Chelidon. simp. an. ℔i. Infunde tepidè Hor. vi. cum sacch. alb. ℥ii. f. colat. sæpe per Manic. Hippoc. *Dos.* ℥iv. *bis in die.*

Infusio Ireata.

℞. Rad. Irid. nr. rec. incis. Uv. pass. exacin. incis. Sacch. alb. an ℥vi. V. alb. Cerevis. ten. an. ℔iii. macer. dies 3. & f. colat. *Detur Haustus manè & vesperi in Scorbuto, Hydrope &c.*

Infusio Sancta.

℞. Guajac. ℥ix. Sal. Tartari ℥iv. Glyc. ℥iv. Digere tepidè in Aq. Font. ℔ xx. ad dies vi. dein. f. colat. *Alexipharmacum nobile habetur. Sanguinem mundificat, Omnes Obstructiones & Putrefactiones tollit, & Sanitatem optimè præservat. In Scorbuto, Hydrope, Febribus, Lue Venerea, Arthritide, cæterisque Morbis Tartareis multùm facit. Dos.* ℥vi. *quater in die.*

* *Injecto Alba.*

℞. Troch. alb. Rh. ʒ iii. Camph. ℈ i. ſolvantur in Aquæ Sperniolæ ʒ xii. ſ. a. *Inflammationes & Dolores mitigat. efficax admodum ad Ulcera Virgæ, Gonorrh. &c.*

Injectio Auricularis.

℞. Anthos M ii. coq. in Urinæ Pueri ℔ iſs. ad ℔ i. colat. adde Rhodomel. ʒ iv. M. *In Surditate, & Dolore.*

* *Injectio Benedicta.*

℞. Aquæ Benedict. ʒ viii. Mercurii d. ſubt. pulveriſat. ʒ iii. M. exactiſs. ſ. a. *Vires habet Inject. alb.*

Jovis Amalgama. (i.e. *Crocus Jovis.*

Julap. Antiſcorbuticum.

℞. Vin. Chalyb ℔ ſs. Tinct. Sacræ ʒiii. Spir. Cochlear. ʒ v. Sp. Lavend. comp. ʒ ſs. Tartari Vitriolat. ℈ i. Syr. Scelotyrb. ʒ iſs. M. *Dentur coch.* ix. *omnim anè.*

Julap. Aſthmaticum.

℞. Milleped. vivor. Num. 400. contuſis adde Aquæ Hyſſop. ʒ vi. Aquæ Limac. magiſtr. ʒ iſs. f. expreſſ. fort. *Dentur coch.* 2. *cum Decoct. Pector.* ʒ iii. *quarta quaque hora calidè.*

* *Ju-*

Julap. Cretaceum.

℞. Cretæ albiſ. pulveriſat. ʒi. Sacch. opt. ʒiſs. Ol. ſtil. Nuciſt. gt. iii. Aqu. font. ℔ ii. miſc. optimè ſ. a. *Doſ.* ʒiii. *Pro vice ſæpe.* Ἐν τῇ καρδιαλγίᾳ ἄριστον.

* *Julap. Fragorum.*

℞. Fruct. Fragor. matur. ℔ iſs. Aqu. Font. ℔ i. Vin. alb. ℔ i. Sacch. alb. Syr. Limon. an. ʒiſs. macer. in frig. hor. 3. & cola. *In Æſtu Febrili refrigerat, &c.*

* *Julap. Hyſteric. Camphoratum.*

Incende Camphor. ʒ ii. & ſæpe extingue in Aquæ Font. ℔ i. ad totalem Camphoræ conſumptionem. Tum cola. *Dentur coch.* 4. *vel* 5. *ſæpe in Paroxyſmo.*

* *Julap. Hyſt. Farinaceum.*

℞. Farinæ Tritici puriſ. ʒii. Sacch. alb. ʒſs. Aq. Font. ʒviii. Agitentur opt. in Phiala, ut ſ. Julap. albiſ. *Dentur ſæpiùs coch.* 4. *in Paroxyſmo.*

* *Julap. Hyſter. Fœtidum.*

Solve Aſæ fœtid. opt. ʒiſs. in Aquæ Ceraſ. nig. ʒvi. ſine calore in mortar. frig. ut lacteſcat, ſ. a. *Sumatur coch.* 1. *initio Paroxyſmi, & repetatur poſt finitum ejus.*

* *Julap. Hyſt. Mithridaticum.*

℞. Aquæ Bryon. c. ℥ vi. Mithrid. ʒ ii. Tinct. Caſtor. ℥ ii. Syr. Ceraſ. n. Gran. Actes an. ℥ i ſ ß. M. ſ. a. *Doſ. coch.* 1. *vel* 2. *in Languoribus.*

* *Julap. Hyſt. Moſchatum.*

℞. Aquæ Naphæ ℥ vi. Moſch. ℈ ß. Sang. Drac. ℈ i. M. *pro* 2. *doſ. in Parox.*

* *Julap. Idæum.*

℞. Fruct. Rubi Idæi rec. ℔ i. Sacch. alb. ℥ ii. Aq. Font. ℔ i ſ ß. ſerva ſimul in frig. ad hor. 3. & cola. *Bibatur ad libitum in AEſtu Febrili ad Sitim extinguendam.*

* *Julap. Perlatum.*

℞. Aquæ Citri, Borrag. Meliſ. Ceraſ. n. an. ℥ iii. Spir. Ceraſ. n. vel Sp. Citri ℥ i. Sacchar. albiſ. ℥ vi. Margarit. præp. ʒ i ſ ß. Agitentur opt. ſ. a. *Dentur coch.* 5. *vel* 6. *in Languore.*

Julap. Purpureum.

℞. Syr. Viol. ℥ iii. Spir. Vitrioli gt. 30. Aquæ Hord. vel Aquæ Font. ℔ ii. M. ſ. a. *In Febribus Ardentibus ad Sitim extinguendum utiliſſimum.*

* *Julap. ad Rhachitidem.*

℞. Aquæ Ling. Cervin. cum 2. cohobiis deſtillat. ℥ iv. Conf. Al Kerm. ʒ ii. Syr. Caryoph. ℥ i. Sp. Sulphu-

phur.gt.vi. Fol.Auri Num.2. M.f. Julap. Elegans. *Doſ. coch. 2. bis in die. Miranda præſtitiſſe narrant Dominæ.*

Julap. ad Sitim v. *Decoct. ad Sitim.*

* *Julap. Tartariſatum.*

℞. Pulver. ſubt. Tartari alb. ʒi. Sal. Tartari ʒ ſs. V.alb. ℔ iii ſs. M. *Doſ.* ʒ iii. *bis in die per dies* 8. *in lcteritia curanda.*

* *Julap. Vitæ.*

℞. Vitell. ovor. rec. Num. 2. Sacch. alb. ʒ ſs. Ol. Cinnam. gt. iii. Vini alb. vel Hiſpan. ʒ vi. exactiſs. miſceantur ſ.a. *In Animi Deliquio, Viriumque maximâ debilitate, vel in Moribundis Auxilio fuit.*

* *Juniperi Baccæ candefactæ.*

F. irrorando Bacc. ſelectiſ. ℔ i. Vino Hiſpan. dein ex cribro Sacch.opt.pulveriſat. ʒ iv. inſpergendo, & lentè ſiccando ſ. a. *Sudorificæ, Hyſtericæ, Nephriticæ, &c.*

Jupiter Diaphoreticus.

F. ex Capite mortuo Florum, Jovis, in Aqu. cocto, præcipitato, & edulcato ſ.a. *Doſ. à gr. iii. ad x. Potenter Sudorem movet. utilis in Utero Strangulato, Peſte, Lue Venereæ, Podagra, &c.*

Jupiter Nitratus.

F. Caput mortuum poſt deſtillationem Flor. Jovis coquendo in Aqua, filtrando, exhalandoque ad ſiccit. ſ. a. Dicitur & *Nitrum Joviatum*. *Vires & Doſis cum priori.*

* *Juſculum Galli.*

℞. Gallum antiquum admodùm fatigatum, donec laſſitudine cadat. Tum trucida, depluma, exentera, farciaturque ingredientibus idoneis: coq. in Aquæ font. q. ſ. (hor. 5. vel 6.) donec caro ab oſſibus ferè decidat, & cola. *Nutritivum eſt & Reſtaurativum in Tabe, Hectica, &c.*

L.

Lac Aluminis.

Fit ex Aquæ Album. Ovor. ℥ vi. pulveris Aluminis ℥ i. Spir. Vini ℔ ii. opt. & diu in vaſe vitreo conquaſſatis, ut ſ. inſtar Lactis. *Arcanum habetur in Gonorrhœa, Profluvio albo, Menſibus Immodicis, &c. Doſ. coch. 2. vel 3. ter in die. Aſſumptum ad ℥ ii. hora ante Paroxyſmum ſæpe curat Tertianam.*

* *Lac Ammoniaci.*

℞. Gum. Ammon. puriſ. ℥ iii. ſolve in Aquæ Hyſſop. frigidæ ℥ vi. in mort. frig. ſ. a. *Detur ſæpe coch. i. pro vice in difficultate Anhelitus.*

Lac

Lac Aſæ fœtidæ. v. *Julap. Hyſt. Fœtid.*

* *Lac Benzoïni.*

℞. Spirit. Benz. ʒi. Aquæ Hyſſop. vel Scabioſ. ʒxii. m. ſ. a. *Aſthmaticum, Pectorale, &c.*

Lac Mercurij.

F. ex Mercurij ſublimat. corroſ. ʒ vi. fricatis & & agitatis in Diſco Stanneo cum Aquæ Fumar. ʒxii. urſ. Lactis inſtar. ſ. a. v. *Vires in Aq. Mercurial.*

Lac Saturni v. *Magiſt. Saturni.*

Lac Scammonii.

E vivo Equo eximantur, incidantur, Vin. alb. abluantur, exiccentur citò & pulverentur. Eodem modo præparantur *Teſtes Apri. Doſ.* ʒi. pro vice bis in die. *In Epilepſia, Calculo, Penis dolore, Sterilitate, Mictione purulenta, &c.* Teſtes Equi *exhibentur in Colica, Utero ſtrangulato, Fœtu mortuo, Lochiis ſuppreſſis, Partu difficili, &c. Doſ. ad* ʒi.

* *Tinctura Abſinthii.*

℞. Summit. Abſ. vulg. ſiccat. à ſtipit. liberat. ℥ v. contuſis adde Alcoh. Vin. ℥ xx. Digere in Baln. Mar. ad Dies aliquot, exprime fortiter: in Liquore infunde iterum alias Summit. Abſ. & exprime. Repet. opus ad tertiam Vicem. Dein filtra colaturam ſ. a. *Doſ. gt.* vi. *(Plus minus) in Hauſtu Vini, vel Cereviſiæ.*

Tinctura Ambræ. v. *Sp. Ambræ.*

* *Tinctura Amygdaloïdes.*

℞. Partium albar. Benz. Styrac. Calam. an. ℥ i. Alcoh. Vin. ℔ i. Digere ad ſolutionem, filtra & exhala ad dimid. *Pectoralis eſt, Catarrhalis, Aſthmatica, Nervalis, Sudorifica, &c. Doſ.* ℥ ii. *ad* vi. *&c.*

* *Tinctura Antim. Emetica.*

Extrahitur ex Vitro Antimonij cum Acet. deſtill. filtrando & exhalando ad ſiccitatem. Materiam in Aqua ſolutam, filtratam, iterumque ad ſiccitatem abſtractam digere cum Spir. Vini ad colorem rubicundum, ac filtra. Elici etiam poteſt Tinctura è ſcoriis Reguli Antimonij cum Spir. Vini digeſtis & filtratis. Vel, extrahe Tincturam ex vitro Antimonij cum Spir. Veneris rectificato; effunde ac abſtrahe in Alembico, non autem ad ſiccit totalem: Tum extrahe Tincturam cum Spir. Vini, quam filtra & exhala ad conven. ſpiſſitudinem. *Doſ. ad gt.* x.

Tinctura Antim. purgans.

℞. Vitr. Antimonij pulveriſat. ℥i. Spir. Vitrioli non rectificat. ℥viii. Digere in Baln. Mariæ. Sic fit Tinctura nigropunicea. *Panchymagogum cenſetur in omnibus Morbis curandis, fortificat Ventriculum, Obſtructiones aperit, convenit Chloroſi, Cachexiæ &c. Doſ. à gt. 6. ad 10.*

Tinctura Armoniaci.

℞. Sal. Armoniaci ℔ ii. Limat. Martis ℔ i. M. opt. ſimul terendo, & deſtilla per Retortam per gradus. Serva per ſe Spir. Sal. Armoniaci. Martem in fundo hærentem pulveriſa, & frequenter Aquâ affusâ edulcora. Poſtea adjectis Spir. Vini ℔ ii. digere tepidè Dies 8. effunde Spiritum, & novum affunde & digere per Dies 8. Dein abſtrahe in Baln. Mariæ Spir. Vini ℔ iii. ut una libra Tincturæ ſuperſit. *Egregiè præſtat in omnibus Obſtructionibus Hepatis & Lienis. Item in Melancholia Hypochond. Quartana, Cachexia, Hydrope, Morbo Virgineo, Scorbuto, Menſibus ſuperfluis & retentis. Doſ. gut. vi. ad xii. in Liquore conven.*

Tinctura Aſæ fœtidæ.

℞. Aſ. fœtid. ℥ii. Alcoh. Vini ℔ i. extrahe Tincturam & filtra. *Uterina eſt, & Traumatica, & Splenetica. Doſ.* ℥i. *ad* ℥ii. &c. *in Liquore conveniente.*

* *Tinctura Asthmatica.*

℞. Rad. Helen. irid. Florent. Sem. Anis. Carui, Glyc. an. ʒii. Fol. Cardui ben. M. ii. Uv. pass. exacin. ℔ i. Fol. Senæ mundat. ʒ vi. Aquæ Anis. ℔ vi. Digere Dies 4. & f. colat. *Dos. coch. 2. h. somni, 3. vel 4. manè seq.*

* *Tinctura Aurea.*

℞. Pulp. Colocynth. à Semin. liberat. concis. & cras. pulverisat. ʒ iſs. Caryoph. Num. vi. Anis. ʒi. Croc. ℈ ſs. Spir. Vini ʒ xx. Digere ad mensem, & filtra. *Dos.* ʒii. *ad* ʒ iſs.

Tinctura Bezoartica.

℞. Rad. Enul. Angel. Zed. Serpentar. Virg. an. ʒ iſs. Croc. opt. ʒ i. Myrrh. Cinam. Cort. Citri sicc. an. ʒvi. Fol. Scord. Rutæ, an. M ſs. Theriac. Androm. ʒ iii. Opii Thebaic. ʒii. Spir. Tartari rectif. ʒ xv. Spir. Vitrioli ʒ iii. Sp. Bacc. Sambuc. & Spir. Bacc. Junip. rectif. an. ʒxviii. Digere s. a. ac filtra. Tum adde Sal. Succini ʒ i. Camphor. ʒ ii. Digere iterum ad usum. *Dos.* ʒ iii. *ad* ʒ i. &c. *in Peste, Morbisque omnibus Malignis. Spiritus insigniter recreat,* &c.

* *Tinctura Cardamomi.*

℞. Sem. Cardamom. min. excort. & contus. ʒ iv. Alcoh. Vini ʒ xvi. Digere, exprime, ac filtra s. a. *Flatus potenter discutit, & Cerebrum confortat. Dos.* ʒi. *ad* ʒ iii. &c. *in vehiculo idoneo.*

* *Tin-*

* *Tinctura Carui.*

Fit è Sem. & Alcoh. Vini, omninò ut *Cardamomi*, *Idem facit cum priori.*

* *Tinctura Cathartica Ridglei.*

℞. Senæ opt. ℥i. Caryoph. ʒiſs. Croc. ʒi. Vini Hiſpan. Chalybeat. ℔ iſs. Infunde Dies aliquot, exprime ac filtra. *Doſ. coch.* 2. 3. 4. *quotidie ad longum tempus, in Febribus obſtinatis, &c.*

* *Tinctura Ceruſſæ.*

℞. Ceruſſ. Ven. pulveriſat. ℥iv. Camphor. ʒſs. Ol. Tartari p. d. ʒiii. Acet. deſtill. ℥xvi. macer. in frig. filtra. *In Cutis fœditatibus, Inflammationibus, Ambuſtis, &c. uſus eſt.*

* *Tinctura Chamæmeli.*

Extrah. ex Flor. ſiccis, & Alcoh. Vini, uti *Abſinthii. Idem præſtat cum Tinct. carui.*

* *Tinctura Cochleariæ comp.*

℞. Martis Limat. mund. ℥iv. Salv. rubræ, Agrimon. an. M iii. Cochlear. marin. Fol. ſelectiſ. ℔ ii. Cochlear. hort. M iii. Abſ. com. Roriſm. an. M ii. Rad. Raphan. Ruſtic. ℥iv. Incide minutiſ. & adde Vini alb. & V. Cherienſ. an. ℔ iv. Infund. per dies 3. & f. colat. *Doſ. ad* ℥4. *bis indies per dies* 20. 30. 40. *Ex*

40. *Ex deplorata Hydrope cum Scorbuto curati fuerunt multi præter ſpem ; aliis plurimis fruſtra tentatis.*

Tinctura Corallii.

Solve Corall. r. in Spir. Panis, filtra & evapora: exinde Tincturam extrahe cum Spir. Vini, filtra & exhala ad debitam conſiſt. ſ. a. *Cardiaca, Diuretica, Vermifuga, &c. Doſ. gut.* 30. 40. *&c. in Liquore appropriato.*

* *Tinctura Ferri.*

℞. Batituræ Ferri mundat. ʒ vi. Abſinth. Rom. Mi. Raſ. Eboris, Santal. alb. an. ʒ iſſ. Vini, Rubelli ℔ ii. macer. hor. 48. f. colat. quæ filtretur. *Longè efficacior habetur, quàm Vinum Chalybeatum, in omnibus Obſtructionibus, &c. Doſ. coch.* 2. *ad* 5. *&c. omni manè per longum tempus.*

* *Tinctura Guajaci.*

℞. Cort. Guajac. pulveriſat. ℔ i. Ambr. griſ. gr. xv. Sem. Aniſ. Glyc. an. ʒ i. Spir. Vini ℔ iv. Digere & cola ad uſum. *Sudorem provocat. Optimè conducit in Lue Venerea curanda. Odontalgica eſt, Pulmonica, & Catarrhalis. Doſ.* ʒ vi. *ad* ʒ iſſ. *&c.*

Tinctura Galbaneti.

Extrah. ex Galbaneto *Senn.* cum duplo Tincturæ de Sale Tartari, circulando, ac poſtea ſeparando Oleum à Tinctura ſ. a. *Hyſterica eſt, Paralytica, Scorbutica, Emmenagoga, &c. Doſ. gut.* 10. 20. 30. &c.

Tin-

Tinctura Hæmatites.

Elicitur ope Spiritus Vini ex Lap. Hæmatit. cum Sal. Armoniaco ſublimato. *Uſus in Hæmorrhagiis omnibus ſiſtendis. Doſ.* ℥i. ii. &c.

* *Tinctura Hieræ.*

℞. Spec. Hier. ſimp. ℥i. Coccinel. ℈i. Vini Cherienſ. ℔ ii ß. M. & digere ſæpe agitando ad Dies aliquot, deinde filtra ad uſum. *Datur in Ventriculi dolore, Cachexia, Ructu, Vermibus necandis*, &c. *Ante Paroxyſmum Tertianæ, nec non Quartanæ exhibita, ſæpe curat poſt tertiam vicem. Doſ.* ℥ii. *ad* iv.

* *Tinctura Juniperi.*

Fit ex Rob. de Baccis ℥i. Spir. de Baccis fermentatis ℔ i. digeſtis & filtratis ſ. a. *Doſ. coch.* 2. *ter in die. In Hydrope, Calculo, Colica, &c. ſingulare remedium.*

Tinctura Lunæ. v. *Luna potabilis.*

Tinctura Martis.

Extrah. ex Flor. Sal. Armoniaci Martiatis ope Alcoh. Vini ſ. a. *Eaſdem Vires obtinet, quas Tinctura Armoniaci.*

Tinctura Martis Aurea.

℞. Croc. Martis ℥i. Spir. Salis ℥iv. Infund. Dies 2. ſæpe agitando: dein adde Alcoh. Vin. ℥iv. Digere

gere tepidè Dies 3. vel 4. filtra, & erit Tinct. cõloris aurei. *Dos. ad gut.* 20.

Tinctura Martis Tartarisata.

℞. Tartari alb. pulverisat. ℔ ii. Limat. Martis rubiginat. ℔ i. M. & coq. in vase ferreo in Aqu. Font. cong. ii. per hor. 12. agitando subinde spatulâ ferreâ, & addendo pro re natâ plus Aquæ bullientis. Post resident. debitam filtra liquorem, & exhala ad spissitudinem convenientem s. a. *Dos.* ʒ i. *ad* ʒ iii. &c.

* *Tinctura Melampodii.*

℞. Rad. Melampod. ʒ iſs. Calam. arom. ʒ ii. Galang. ʒ ſs. Croc. ʒ iſs. Cardamom. min. ʒ iii. Vini Hispan. ℔ iv. macer. (vase clauso) hor. 20. in loco tepido: postea in frigido Dies 4. 5. 6. f. expres. & filtra. *Dos. coch.* 2. *h. Somni, & 3. manè, ad dies aliquot. Usus est insignis in Capitis intemperie, Cephalalgia, Melancholia, Asthmate,* &c.

* *Tinctura Melissæ.*

℞. Vini Rubelli cong. ii. Meliss. rec. M viii. destilla in Baln. Mariæ ad siccit. Aquæ destillatæ adde Fol. Meliss. parùm siccat. M viii. destilla per Alembicum ℔ iv. in Recipientem Lagenam Foliis Meliss. recentis. & selectis. integris repletam. Postea colat. admisce Sacch. opt. ʒ ix. suspendendo in nodulo Ambr. gris. gr. v. Mosch. gr. 1. *Insigniter Cardiaca est.*

* *Tin-*

* *Tinctura Mellis.*

℞. Mell. opt. ℔ ii. Arenæ mund. ſiccat. ℔ iii. Sp. Vini ℔ ii. Digere tepidè, filtra, & in Baln. Mariæ evapora ad Syr. conſiſt. *Exhibetur Phthiſicis pro Nutrimento. Doſ. coch. 2. vel 3. pro vice.*

* *Tinctura Myrrhæ.*

℞. Aloës opt. Myrrh. an. ʒ i. Alc. Vini ℔ i. Digere & filtra. *Vulneraria eſt inſignis, Aſtringit, Conſolidat, Exterget, Putredinem arcet, & Gangrænam præcavet.*

Tinctura Oculor. Cancrorum.

℞. Oc. Cancr. pulveriſat. ʒ iv. Acet. opt. ʒ xvi. extrah. Tinct. & filtra. *Doſ. coch. 2. ter in die, ad Ulcera, &c. curanda.* K. D. E. A.

Tinctura Odontalgica.

℞. Guajac. ʒ ii. Pyrethr. ʒ i. Malicor. Gallar. Sem. Hyoſcyam. Staphidiſagr. an. ʒ ß. Caryoph. ZZ. Piper. long. Oliban. an. ʒ ii. Opii. Camphor. an. ʒ i. Peti Indici, Salv. Mentaſtr. an. ℈ ii. Spir. Vini ℔ iii. Macer. & f. colat. *Tantillum de hac calidè in Ore teneatur, poſtea iterum expuatur, & reiteretur. v. Mynſicht.*

* *Tinctura Paralytica.*

℞. Pulveris Cantharid. ʒ ii. Ammeos ʒ vi. Alc. Vin. ℔ iß. extrahe Tincturam, quam cola. *Pro Membris Paralyticis fricandis.*

Tin-

Tinctura Perlarum, fit omninò ut Corallii.

* *Tinctura Piperis.*

Fit ex Pipere n. & Alc. Vini, uti *Cardamomi. Vires habet piperis.*

Tinctura Potentialis. v. *Tinct. Paralytica.*

Tinctura Proprietatis.

℞. Aloës opt. Myrrh. elect. an. ʒ vi. Croc. opt. ʒ ß. in pulverem redactis adde Ol. Tartari p. d. ʒ ii. Digere (vase clauso) Hor. 24. dein adde Alcohol. Vini ʒ xvi. Digere ac filtra ſ. a. *Eaſdem vires obtinet quas Elix. Propriet. dulce.*

Tinctura Regalis. (i.e.) *Spir. Ambræ.*

* *Tinctura Rhabarbari.*

℞. Rhab. opt. Glyc. an. ʒ ii. Uv. paſſ. enucleat. Num. 60. Aniſ. ʒ i. Sacch. cand ʒ vi. Spir. Vini ℔ ii. Digere ſ. a. f. colat. *Doſ. coch. 2. 3. 4. manè. In Ventriculi cruciatibus, &c. mira præſtat.*

Tinctura Rhœados. v. *Spir. Rhœad. crap.*

* *Tinctura Roſarum.*

℞. Fl. Roſ. r. exungul. ʒ ß. Ol. Vitrioli gt. 30. Aqu. Font. calentis ℔ ii ß. macer. ad Hor. 3. colat. claræ adde Sacch. cand. alb. ʒ iii. *In febribus refrigerativa, Hepatique confortativa. Coctionem juvat.*

Diar-

Diarrhœis, Menſium fluxibus, &c. ſuccurrit. Doſ. ʒ ii. *ad* iv.

Tinctura Sacra. v. *Tinct. Hieræ.*

Tinctura Salutis. v. *Elix. Salutis.*

* *Tinctura Saſſafras.*

℞. Cort. Saſſafr. ʒ iv. Salv. ſicc. ʒ ii. Nuc. M. ʒ i. Cinam. ʒ ß. Ambr. griſ. ∋ ß. extrahe Tincturam cum Spir. Vini ℔ ii. ſ. a. *Doſ. coch.* ii. *Lenit Arthritidem Vagam.*

* *Tinctura Saturni.*

℞. Saturni laminat. q. v. extrahe Tincturam cum Spir. Saturni eſſentificato. Filtra ac abſtrahe ſ. a. *Apprimè conducit Maniæ, Melancholiæ, Quartanæ, Phthiſi, &c. Doſ. gut. i. ad* 5. *&c.*

* *Tinctura Scorbutica.*

℞. Fol. Cochlear. Naſturt. aquat. an. M i. Rad. Raphan. ruſtic. ʒ ii. Rhab. ʒ ß. Polypod. qu. ʒ iß. Senæ ʒ i. Spir. Vin. ℔ ii. Infund. Dies 2. & f. colat. *Doſ,* ʒ i. *vel* ii. *omni manè cum Aquâ Cochleariæ. Mirum eſt quantum levaminis affert Hydropicis ac Scorbuticis.*

* *Tinctura Serpylli.*

Fit ex herba floreſc. ſicc. & Alcoh. Vin. eodem modo quo *Abſinthii. Diuretica, Hyſterica, Stomachica,* &c. *Doſ. gut.* 5. *ad* 15. *&c.*

* *Tin-*

* *Tinctura Stomachica.*

℞. Spec. Hier. simp. ʒ i. Coccinel. ʒ i. Spir. Vini ℔ ii. Digere ac filtra s. a. *Dos. Coch.* 1. 2. 3. *ante Pastum, in Stomachi cruditatibus aut dolore. Si exhibetur ad* ʒ iii. *hora dimid. ante Parox. per* 3. *vel* 4. *vices, efficacissimè curat Tertianam: interdum & Quartanam.*

* *Tinctura Succini.*

℞. Succin. alb. subt. pulverat. ʒ iv. Alc. Vini ℔ i. Digere ad solutionem Succini. Decanta, filtra, & tertiam partem abstrahe in Baln. Mariæ *Cephalica est, Hysterica, Colica, Nervalis, &c. Dos.* ʒ i. *ad* ʒ ii. &c.

Tinctura Sulphuris.

℞. Hepat. Sulphuris ʒ ii. Spir. Vini ℔ i. Digere ac filtra. Extrahi etiam potest ope Spiritus Vini ex Bals. Sulphuris Terebinthinato in Mar. Baln. ad siccit. cocto. *Valde Pectoralis. Dos. ad gt.* xii.

Tinctura Veneris.

Extrah. ope Spir. Vini ex Fl. Virid. Æris p. i. Sal. Armoniaci p. ii. in Crucibulo supra ignem mixta s. a. *Præstantissima habetur in Epilepsia, Passione Hysterica, &c. cum Liquor. conven. exhibita.*

* *Tinctura Virginiana.*

℞. Rad. Serpentar. Virg. pulverisat. ʒ ii. Tinct. Salis Tartari ʒ xvi. extrahe Tincturam per digest. s. a.

f. a. *Alexiteria*, *Cardiaca*, *Sudorifica*, *Scorbutica* &c. *Dos.* ʒi. *ad* iii &c.

* *Torquis Infantum.*

Fit ex Rad. Pæon. mar. & Hyoscyam recent. in frustula rotunda sectis, in medio perforatis, filoque seriatim appensis: qui sindone circumvolutus, circa collum gestetur Dentitionis tempore. *Dentitionem facilitat, & Convulsiones præcavet.*

* *Tragea Granor. Actes.*

℞. Succ. Bacc. Sambuc. matur. q. v. Farin. Secalin. q. s. ut f. Pasta, exinde f. panes exigui, quos coque in clibano ad duritiem Biscocti. Hos pulveratos cum rec. Succo iterum impasta, atque (ut priùs) coque, idque tertiò repete. Tandem f. Pulv. subt. cujus sing. unciis adde Nuc M. ʒi. *Dos. ad* ʒi. *cum vitello Ovi, ad Dysenteriam, Menses immoderatos, &c.*

* *Trochisci Pectorales.*

℞. Extract. Glyc. ʒss. Amyli ʒiss. Mosch. Zibeth. an. gr. iii. Ol. anis. gt. xii. Sacch. alb. ʒ xii. Mucil. Gum. Tragac. q. s. f. Troch. *Titulus vires indicat.*

* *Turundæ Acoustic æ.*

℞. Galb. Pic. Naval. an. ʒii. Helleb. alb. pulverisat. ℈v. Zibet. gr. vi. M. divid. in part. 8. vel 10. formâ instar Caryophyllorum, sindone rariss. involvendas; filo ad extremitates majores appenso, ut ex aure evelli possint. *In surditate optimum Remed.*

V.

* *Vinum Arthriticum.*

℞. Sarſaparill. Guajac. an. ʒi. Viſc. querc. ʒvi. Fol. ſicc. Chamædr. Chamæpit. Salv. an. ʒiii. Fl. Primul. veris, Roriſm. Lil. conval. an. ʒſs. Hyperic. ʒvi. Vini alb. ℔x. infund. Dies 3. f. colat. *Doſ.* ʒii. *bis in die per Dies* 30. *aut* 40. *poſt uſum Vini ſeq.*

* *Vinum Arthriticum purgans.*

℞. Chin. Sarſapar. an. ʒii. Polypod. ʒiii. Rhab. Sennæ, an. ʒi. Chelop. ʒvi. Caryoph. ʒi. Vini alb. ℔vi. Infund. ſ. a. & cola. *Doſ.* ʒiv. *quotidie per Dies* 8. *Vere & Autumno.*

* *Vinum Chalybeatum.*

℞. Limat. Martis crud. ʒviii. Rad. Eryng. Enul. an. ʒiſs. Santal. citr. ʒi. Coral. rub. Raſ. Ebor. an. ʒvi. Caryoph. Mac. Cinam. ZZ. an. ʒiii. Ceterach, Anth. Fl. Geniſt. Epithym. an. p. ii. Vin. alb. opt. ℔vi. Macer. in Mar. Bal. Dies 8. ſæpe agitando, poſt reſidentiam filtra ad uſum. *Doſ. coch.* 3. *ad* 6. *&c, Omni manè ad dies* 20. 30. &c. *in Chloroſi, Hydrope, Ictero, Menſibus obſtructis, Quartanis,* &c.

* *Vinum Ecphracticum.*

℞. Lumbric. terr. vivent. circulis in collo ſignatos Num. 24. contund. in mortar. marmor. cum Uv. Corinth. mund. ʒiv. addendo Vini Rhen. ℔iii. Cryſtall. mineral. (in Vino Rhen. ſolut.) ʒſs. f. colat.

lat. limpidiſſ. ſæpe trajiciendo per manic. Hip. *Doſ.* ʒiii. *ter in die cum Aq. Cinnam. hord.* ʒi. *Diureticum eſt nobile.*

Vinum Hippocraticum.

℞. Caryoph. ZZ. an. ʒi. Cinam. Nuc. M. an. ʒii. contuſis adde Vin. Hiſpan. ℔ xii. Sacch. albiſ. ℔ iiiſs m. cum Lactis rec. ℔ iiſs. ſtent. hor. 24. f. colat. deſuper Limon. i. inciſ. & Roriſm. virgultas duas, ſæpe per manic. Hipp. traijciendo ad claritatem. *Doſ.* ʒiii. *vel* iv. *in Languoribus.*

Vinum Hydropicum.

℞. Rad. Irid. noſtrat. ʒi ʒi. Enul. Scillæ præp. an. ʒſs. Marrub. M i. Cort. Rad. Sambuc Ebul. an. ʒi. Fol. Senæ ʒiſs. Agaric. ʒii. ZZ. ʒi. Vin. alb. ℔ iv. infunde ſ. a. f. Colat. *Aliter.* ℞. Cinerum Geniſtæ & Juniper. an. ʒi. Vin. Rhen. ℔ iii. f. lixivium, cui adde Rad. Ireos noſtrat. ʒiſs. Cort. intern. Sambuc. & Ebuli an. ʒi. Cort. dulcamar. ʒſs. Rhab. ʒii. Mechoac. ʒſs. Senæ ʒi. Sem. Carui ʒvi. Cort. Saſſafr. & Winteran. an. ℈iv. infunde tepidè per noctem: colat. adde Sacch. alb. ʒiv. Fl. Roſ. Dam. M ii. ſtent aliquantiſper, & denuò cola. *Doſ.* ʒiii. &c. *Omni manè per dies aliquot.*

* *Vinum Scelotyrbicum.*

℞. Fol. Acetoſ. Baccabung. Naſturt. aquat. Cochlear. hort. an. M iii. Rad. enul. Ireos noſtrat. Raphan. Ruſtic. an. ʒiſs. Sem. Cochlear. ʒi. Vini alb. ℔ iv. macer. per Dies 2, & f. colat. *Titulus monſtrat vires.*

* *Vinum Viperinum.*

℞. Viperas fœmellas vivas tempore verno collectas Num. 6. Vini Hiſpan. opt. ℔ vi. macer. (vaſe opt. clauſo) ſine calore per menſes 6. dein cola ad uſum. Sunt, qui macerant Viperas excoriatas, rejectis interaneis, Cauda ac Capite) in Vino Hiſpanic. per Dies aliquot. *In Lepra Græcorum, Elephantiaſi, Sterilitate, Peſte, &c. Doſ.* ʒ iii. *vel* iv. *bis indie, ad longum tempus.*

Vitriolum Camphoratum.

℞. Vitrioli calcin. ʒ vi. Camphor. in Spir. Vini ſolut. ʒ i. m. & lento igne Spiritum indè abſtrahe ſ. a.

Vitriolum Lunæ.

Fit ex Luna in Spir. Nitri ſolut. coagulando & cryſtalliſando ſ. a. Dicitur & *Cryſtallum Lunare & Magiſt. Lunæ. Doſ. gr.* 2. *ad* 6. *&c. In Hydrope, Capitis morbis, ut Epilepſia, Hemicrania, &c. proficuum. Leniter purgat, & nonnunquam Vomitum ciet. Ex hoc fieri ſolent cum micis panis mixto Pil. Lunares.*

* *Vitriolum Martis.*

℞. Alcoh. Vini ʒ iv. Ol. Vitrioli ʒ ii. ſerva ſimul in vaſe ferreo ad Dies 15. vel ad ſiccitatem. *Doſ. gr.* 2. *ad* vi. &c. *in Obſtructionibus.*

Vitriolum Veneris. v. *Flores Viridis æris*:

* *Unguent. Albuminum*.

Fit miſcendo exactiſ. Ol. Roſ. ʒ ii. cum Album Ovor. ʒ iv. ſ. a. *Ad Ambuſta, Inflammationes, &c. optimum Remedium*.

* *Ungent. Antipyreticum*.

℞. Sterc. Anſer. rec. Ol. Oliv. an ʒ iv. Ung. Dialth. Ol. Roſ. an. ʒ i. Aquæ Nivis ʒ viii. coq. lento igne ſ. a. colat. adde Camph. ʒ i. m. *Valet. opt. in Ambuſtis, &c.*

* *Unguent. de Aurantiis*.

℞. Poma Aurantia rec. ſed immatura & viridentia in pulpam cum Cortic. contuſa Num. 6. Fol. Lauri M iv. Salv. Acetoſ. Calend. an. M ii. Succi Naſturt. aquat. ℔ ii. Butyr. rec. ℔ ii. coq. ad Succor. conſumpt. f. expreſ. fortis; cui adde recentia folia Lauri, & Salviæ contuſa, Cinnam. ʒ i. Nuc. M. ʒſs. coq. iterum ad herbarum putrilag. & f. expreſſio. *In Scabie, Pruritu, &c. inſigne*.

* *Unguent. de Betonica aquatica*.

℞. Fol. Beton. aquat. Acetoſ. an. M vi. contuſis adde Butyr. rec. ℔ ii. coq. ad herbar. ſiccit. f. expreſſio. Repet. coctio ter foliis rec. Colat. adde Sulphur. viv. ſubt. pulveriſat. ʒ iiſs. Ol. ſtil. Cort. Aurant. ʒ i. M. f. Ung. ſ. a. *In Pruritu, Scabie, &c.*

* *Unguent. Cephalalgicum.*

℞. Ung. Alabaſtrin. Roſat. an. ʒii. Opii. ʒi. Croc. ʒſs. Ol. Nuc. M. ʒi. m. f. Ung. *Pro Temporibus ac Fronte inungendis.*

Unguent. Crinificum.

℞. Ladan. ʒvi. Axung. urſin. ʒii. Mell. crud. ʒſs. Pulveris Abrotani ʒiii. Ciner. Rad. Arundin. ʒiſs. Ol. Nuc. M. ʒi. Balſ. Peruan. ʒiii. m.

Unguent. Depilatorium.

℞. Calc. viv. ʒiv. Auripigment. ʒiſs. Rad. irid. Fl. ʒi. Nitri, Sulphur. an. ʒſs. Lixiv. fortiſſ. ℔ ii. coq. ad conſiſt. debitam: adde Ol. Caryoph. gt. xx. m. f. Ung. ſeu Pulmentum.

* *Unguent. Digitalis.*

℞. Butyr. Majal. ℔ iii. Flor. Digitalis rec. contuſ. quot infarciri poſſunt Inſolentur Dies 30. deinde coq. ſ. a. & f. expreſſio. *Pro Locis affectis Scrophuloſis inungendis. Nil æquale.*

* *Unguent. Faciale.*

℞. Camph. Sulphur. Viv. an. ʒii. Pomat. ʒii. Diafinap. fortiſ. colat. ʒi. Ol. Rhodii gt. 4. m. f. Ung. *Ad Faciei ruborem curandum, præmiſſis univerſalibus.*

* *Un-*

* *Unguent. Familiare.*

℞. Butyr. Majal. ℥vii. Ceræ, ℞esin. an. ℥4. Mell. crud. ℥x. Farin. ℥vi. m. ſ. a. *Calfacit, Humectat, Laxat, Emollit, Diſcutit, Abſterget, Lenit, Concoquit, & Digerit. Uſus eſt familiaris in Paronychiis, ac Pernionibus ſubitò curandis. Ulceribus Pedum Scorbuticis mirè auxiliatur.*

* *Unguent. ad Fiſſuras.*

℞. Myrrh. ZZ. Lithargyri Lunæ, an. ℥i. Mell. ℥iv. Ceræ ℥ii. Ol. Roſat. ℥vi. M. ſ. a. Pro ditioribus addi poteſt Ol. Rhodii gt. xii. Fol. Auri Num. x. *Aliter.* ℞. Bol. Armen. Myrrh. Ceruſ. an. ℥ii. cum Axung. Anatis q. ſ. f. ung. *Citò curat.*

* *Unguent. ad Foveas.*

℞. Ol. Amygdal. dulc. ℥ii. Sperm. Ceti ℥iii. Ol. ſtil. Rhodii gt. iv. M. f. unguent. ſ. a. *Ad foveas Variolarum delendas preſtantiſſimum eſt unguentum. Dolorem lenit, Acrimoniam tollit, &c.*

Unguent. Fuſcum.

℞. Colcothar. & Phlegm. Vitrioli, an. ℥i. Aceti Chelidoniati ℥iſs. Flor. Viridis Æris ℥v. v. Mell. deſpum. ℥iii. f. Ung. ſ. a. *Mundificativum optimum in Vulneribus & Ulceribus.*

* *Unguent. Hæmorrhoïdale.*

℞. Buryr. Majal. rec. ℔ iii. Sābuc. Flores & Geniſt. rec. qu. infarciri poteſt contuſos. Inſolentur per menſem. Dein agitentur, & ſub terrâ defoſsâ ſimul putreſcant per menſem. Poſtea coq. ſ. a & f. expreſſio. *Aliter*. ℞. Pulveris ſuberis combuſti ʒ i. Camph. ℈ ii. Opii, gr. vi. Ung. populn. ʒ iſs. M. *pro Laco affecto.*

* *Unguent. Herpeticum.*

℞. Calc. viv. Auripigment. an. ʒ i. Tartari, Salis nigr. Sapon. com. an. ʒ ii. Ol. Sambucin. q. ſ. ut f. Unguent. ſ. a. *Inunge locum peroptimè, maneat deſuper hor.* 24. *ſuperveniet cruſta, removenda Unguent albo.*

* *Unguent. ad Lumbricos.*

℞. Fol. Abſinth. vulg. Menth. Tanacet. Rutæ, Porri, Jugland. an. M. iii. Sabinæ M iv. Helleboraſtri M vi. contunde probè cum Sem. Santon. ʒ ii. Rad. Bryon. rec. ʒ iv. Colocynth. Aloës, an. ʒ ii. Fellis Taurin. ℔ i. Butyr. rec. inſulſ. ℔ v. Vini alb. ℔ ii. coq. lento igne ad Vini & Succor. conſumpt. ſ. expreſſio.

Unguent. Ophthalmicum.

℞. *Butyr. Majal.* ʒ iv. Ceræ alb. ʒ i. liqua, & lava ſæpius cum Aq. Roſ. dein (effusâ aquâ) adde Lap. Tutiæ præp. ʒ ß. Camph. ℈ ii. M, f. Ung.

* *Un-*

* *Unguent. Paregoricum.*

℞. Ceræ ʒ vi. Tereb. ʒ iv. Mell. ʒiii. Farinæ ʒiſs. Ol. Roſat. Unguent. Hæmorrhoidal. an. ʒ iv. Liqueſcant ſ. a. ut f. Unguent. *Ad Perniones curandas egregium.*

* *Unguent. Piperinum.*

℞. Pulveris Enul. Fl. Sulphuris, an. ʒii. Piper. n. ʒiſs. Ung. Roſat. ʒxvi. Ol. Rhodii ℈ii. M. f. unguent. *Ad Scabiem, Pruritum*, &c. *Elegantiſſimum.*

* *Unguent. Soleare.*

℞. Rad. Allii contuſ. ʒ iv. Axung. ʒviii. coq. ad Succi conſumpt. f. expreſſio: adde Croc. pulueriſat. ʒ i. Spir. Salis ℈ ii. M. f. Unguent. *Pro plantis Infantum inungendis, ad Tuſſim*, &c.

Unguent. Sympatheticum.

℞. Ol. Roſar. Bol. Armen. an. ʒ i. Ol. Lini ʒ ii. Axung. Humanæ, Uſneæ Cranii Hominis interempti pulverat. an. ʒ ii. Mumiæ, Sanguin. Human. an. ʒ ſs. f. Ung. ſ. a. *Unguento hoc ſanantur omnia Vulnera, ungendo Telum, quo Vulnus inflictum fuit, quotidie ſemel, ſi vulnus ſit magnum; alioquin ſecundo vel tertio quoque die inunxiſſe ſufficit. Telum ſervetur in linteolo mundo, & loco non nimis calido, nè damnum inferatur Patienti.*

* *Unguent. Virilitatis.*

℞. Mell. deſpum. Ol. Nuc. M. per expreſſ. an. ℥ß. Pyreth. Piper. n. Cubeb. an. ℈ß. Zibet. ℈i. Moſch. ℈ß. Balſ. Peruvian. ℥i. m. ſ. a.

Vomitorium Aluminis. v. *Serum Aluminatum.*

Uvæ paſſæ & Corinth. purgantes. v. *Paſſulæ Laxat.*

Finis Pharmacop. Bateanæ.

ARCANA GODDARDIANA:

Ex autographo Autoris *Jonathanis Goddardi*, M. D. Celeberrimi Collegii Medicorum *Londinenſium* nuper Socii, atque in Collegio Greshamenſi *Medicinæ* Prælectoris, deſumpta.

Aqua Abſinthii comp.

℞. Cort. Extern. rec. Limon. ℔ iſ℈. Aurant. ℔ i. Summit. Abſinth. ſicc. Cort. Winteran. an. ℔ ſ℈. Flo. Chamæmel. ℥ iv. Cardamom. min. in capſulis, Caryoph. Cubebar. Schœnanth. an. ℥ i. Cinnam. Nuc. M. Sem. Carui, an. ℥ ii. Spir. Vini, cong. iſ℈. Aq. font. (vel Aq. Abſinth. ſecundâ ex aquâ fœcibus affuſ. deſtillat.) cong. iv ſ℈. Infund. per 3. dies, & dein deſtilla in Bal. Mariæ ad ſiccitatem.

Aqua Alexiteria.

℞. Bacc. Junip. ℔ iii. Zed. Myrrh. Sem. Angel. an. ℥ ix. Dictamn. Cret. Rad. Serpentar. Virg. an. ℥ vi. Croc. ℥ iſ℈. Spirit. Vini, cong. iiſ℈. Aqu. Proalexit. cong. 4 ſ℈. Infund. calidè per dies 3. dein deſtilla in Baln. Mariæ ad ſiccit. Alexiter. ſecundâ ex fæcibus cum Aqua ſimp. & poſtea Aqu. Alexiter. part. æq. admiſc.

Aqua

Aq. Chamæmeli comp.

℞. Summit. Abſinth. ℥ viii. Fl. Chamæmel. N. M. an. ℔ i. Spir. V. cong. i. Aq. ſimp. cong. vi. Infund. per dies 3. & deſtilla in Baln. Mariæ ad ſiccitatem.

Aqua Cochleariæ comp.

℞. Cochlear. hort. modios iii. vel ℔ xxx, Rad. Raphan. Ruſtic. in taleolas ten. inciſ. ℔ vi. Aqu. ſimp. cong. iii. Infund. calidè per hor. 24. & deſtilla ad extract. cong. iii. Aquæ.

Aqua Cordialis.

℞. Cort. ext. rec. Limon. ℥ iv. Aurant. ℥ iii. Cinnam. ℥ ii. Nuc. M. Macis, Calam. arom. Coriand. an. ℥ i. Cubeb. ℥ vi. Caryoph. Sem. Carui, Cardamom. in capſulis, an. ℥ ß. Croc. ℥ ii. Spir. Vin. ℔ vi. Aq. font. ℔ xii. Infund. ac deſtilla ſ. a.

Aqua Lenitiva.

℞. Ficuum, Rad. Alth. an. ℔ ii. Glyc. Irid. Flor. an. ℔ i. Fl. Sambuc. ſicc. ℥ iii. Infund. in Aq. Font. cong. v. & adde Styrac. Cal. ℥ iii. Nuc. M. ℥ ii. Sem. Aniſ. Fœnic. d. an. ℥ ß. in Spir. Vini ℔ vi. infuſorum. Ol. Amygd. amar. ℥ vi. Digere & deſtilla in Alemb. ſ. a.

Aqua Pectoralis.

℞. Ficuum ℔ vi. Rad. Enul. Glyc. an. ℔ iii. Irid. Flor. ℔ iß. Sem. Aniſ. Fœnic. d. an ℥ i. Spir. Vini cong.

cong. ii ʃʒ. Aquæ Propectoralis (vel Aq. ſ. & poſtea Aq. Propector. æq part. admiſcend.) cong. iv ʃʒ. Infund. calidè per dies iii. & dein deſtilla ad ſiccitatem.

Aqua Propectoralis.

℞. Botryos, Tuſſilag. Heder. terr. an. ℔ vi. Marrubii, Puleg. Hyſſop Roriſmar. an. ℔ iii. Aq. ſ. cong. xii. Infund. calidè per dies iii. & dein deſtillentur in Alemb. ſ. a.

Aqua Proalexiteria.

℞. Jugland. virid. ℔ xxxv. vel Num. 400. Rad. rec. Petaſit. ℔ xii. Imperator. ℔ iv. Valerian. Helen. Flor. rec. Calendul. Herb. rec. Scord. Meliſ. Centaur. min. an. ℔ vi. Abſinth. Rutæ an. ℔ iʃʒ. Aq. ſimp. cong. xviii. Infunde calidè per dies iii. & dein deſtillentur in Alemb. cum Roſtro Spirali ad omnimodam virium extractionem, cavendo ab empyreumate.

Aq. cong. xii. minimùm,
cong. xv. plurimùm, } Prodeant.

Balſam. magis-comp.

℞. Balſ. de Tolu, Copaiv. Myrrh. Croc. Nuc. M. a. ʒ ii. Maſtich. Guajac. Ammoniac. Tacam. Caran. an. ʒ i. Tereb. è Chio ʒ ʃʒ. Ceræ flav. ʒ i. Ol. Hyper. ʒ vi. Aq. Roſ. r. ʒ ix. Liquetur primò Cera cum Ol. dein addantur Tinctur. & exhaletur Spir. Vini, tandem adde Aq. Roſ. quæ poſt refrigerationem, pertuſo foramine, liquefiat & in aliud vas commodum effundatur, & uſui ſervetur.

Bal-

Balſam. minùs-comp.

℞. Tereb. è Chio ʒii. Ol. Hyper. ʒiv. Ceræ flav. ʒvi. Aq. Roſar. ʒvi. f. Balſ. eodem modo quo ſuperiùs.

Electuar. Antepidemicum.

℞. Rad. Contrayerv. ʒiii. Valerian. Imperator. Zedoar. an. ʒi ß. Sem. Angel. excort. Dictamn. Cret. Myrrh. an. ʒi. Rad. Serpentar. Virg. ʒß. Croc. ʒiii. Opii ʒii. (vel ut ʒi. contineat gr. ii. opii,) Pulp. Bacc. Junip. Vino Hiſpan. extract. ʒxii. Vin. Hiſpan. q.ſ. ad ſolvend. Myrrh. & Opium, Syr. Antepidemic. q.ſ. f. Electuar.

Empl. de Minio comp.

℞. Minii ℔ ß. Ol. Oliv. ℔ i. coq. ad nigred. continuè agitando, adde colophon. ℔ ß. Fit etiam cum Ol. Lini.

Empl. de Minio compoſ. aliud.

℞. Minii ʒiii. Ol. Oliv. ʒvi. coctis adde Cinnabar. ʒi. m.

Extract. Catarrhale.

Fit ex Tincturis ad Extr. Panchymag. conficiend. eadem proportione commiſtis, quibus addit. Tinct. Opii ea proportione, ut ʒß. contin. Opii gr. 1.

Ex-

Extract. Hypnotic. seu Laudan.

℞. Opii p. x. Nuc. M. Croc. an. p. ii. Castor. p. i. Extr. cum Spir. Vini s. a.

Extract. Lenitivum.

℞. Aloës, Jalap. an. ʒ vi. Rhabarb. Senæ, an. ʒ xii. extrah. Tinctur. cum Spir. Vini rectif. quibus admisceantur Centaur. min. Gentian. Absinth. Myrrh. Fl. Chamæm. Ammoniac. Nuc. M. Croc. an ʒii. Castor. ʒ i. Asæ fœtid. ʒ ß. extrah. ad debit. extracti consistentiam.

Extract. Panchymagogum.

℞. Aloës, Jalap. an. ʒ vi. Rhab. Senæ, an. ʒ xii. Scammon. ʒ i. Helleb. N. Turpeth. an. ʒ iii. extrah. Tinctur. cum Spir. Vini rectif. quibus adde Gentian. Centaur. min. Absinth. Myrrh Fl. Chamæmel. Ammoniac. Nuc. M. Croci, an. ʒ iii. Castor. ʒ iß. Asæ fœtid. ʒ vi. extrah. ad debit. consist. s. a.

Infusio Aperiens.

℞. Fl. Sambuc. Summit. Geniſt. an. p. iii. Centaur. min. p. ii. Summit. Absinth. vulg. Fl. Chamæmel. an. p. i. Aq. Puleg. Hyssop. Menth. Raphan. comp. an. ʒ iv. Infund. calidè per hor. iii. colat. adde Tinct. Croci ʒ ß. Syr. de Succo Aurant. ʒ iß. M. *Dos. coch.* vi. *bis in die.*

Julap. Aperiens minùs-comp.

℞. Aq. Cinnam. Abſinth. magis-comp. Cochlear. comp Syr. de Ammoniac. an. ℔ iß. Aq. Amygd. amar. ℔ x. m. & addit. Sal. Martis ʒ vi. in Aq Flor. Sambuc. triplo pondere ſolut. per reſidentiam clarificetur.

Julap. Aperiens magis-comp.

Superioribus addantur Abſint. Fl. Chamæm. an. ʒ x. Nuc. M. Croc. an. ʒ vi. Caſtor. ʒ ß.

Laudan. v. *Extr. Hypnoticum.*

Laudan. Liquid. v. *Tinctur. Opii.*

Spiritus Simplices. v. *Aq. deſtillatæ cum Spir. Vini.*

Spir. Salis Armoniaci.

℞. Solutionis Sal. Armon. Solutionis Tart. cum Nitro calcinat. an. p. æ. in Aq. Simp. Miſceantur & deſtillentur in Baln. Mariæ in vaſis vitreis vel ſtanneis.

Spir. Raphan. comp.

℞. Sal. Armon. Tart. cum Nitro calcinat. a. p. æ. ſolvantur in Aq. Abſinth. comp. ſine Spir. Vini deſtillat. & Aq. Cochlear. comp. an. p. æ. miſceantur ſolutiones & deſtillentur in Baln. Mariæ in vaſ. vitreis vel ſtanneis.

Syrup. Antepidemicus.

℞. Rad. rec. Petaſit. ℔ i. Fol. rec. Scord. ʒ vi. Rutæ ʒ ii. Infund. per triduum in Succ. Jugland. virid. ℔ iv. adhibito leni calore: colat. per reſident. claræ adde Sacch. albis. ſpondus duplum, F. Syrup.

Syrup. Guajaci comp.

℞. Guajac. ʒ iv. Nuc. M. ʒ ß. Saſſafr. ʒ ii. Sacch. alb. ℔ iv. in Aq. Guajac. ℔ ii. ſolut. coq. leniter ad deſpumationem.

Syr. Hypnotic. Pectoralis.

℞. Sacch. alb. ℔ iv. Aq. Fl. Aurant. ʒ xvi. Aqu. Roſ. Dam. ʒ viii. liquentur in Syrup. cui adde Nuc. M. Croc. an. ʒ ii. Laudan. liquid. q. ſ. ut Syrupi ʒ i. Opii puri gr. i. contineat. miſceantur & coq. leniter ad deſpumationem. *Aliter*, cum Aq. Fl. Sambuci, & Roſ. Dam. an. ℔ i. addit. Caſtor. ʒ i.

Syr. Martis.

℞. Sal. Martis (in Aq. Amygd. amar. ʒ iii. ſolut.) ʒ i. adde Syr. Fl. Sambuc. ℔ vi. miſceantur. adde Gum. Ammoniac. ʒ vi. Summit. Abſinth. Fl. Chamæm. Cinnam. Nuc. M. Croc. an. ʒ iii. Caſtor. ʒ iß. coq. leniter ad deſpumationem.

Syr. Pectoralis Balſamicus.

℞. Myrrh. Benz. Styrac. Tacamah. Maſtich. Ammoniac. Tereb. è Chio, Olib. Gum. Elem. Balſ. de Tolu, Copaiv. an. ʒ ii. Croc. ʒ ß. Glyc. ʒ vi.

Aq. Pector. ℔ iv. Sacch. albiſ. ℔ viii. Quibus in Aq. ſolutis addantur reliqua, permiſceantur, & coq. leniter ad deſpumationem.

Syr. Hypnotic. Balſamicus.

Fit cum additione Laudan. liq. ea quant. ut Syrupi prædict. ʒ i. contineat Opii gr. i.

Syr. Terebinthinæ comp.

℞. Tereb. ʒ xiii. Maſtic. ʒ i. Nuc. M. ʒ ß. Syr. Roſat. ℔ vi. M. & coq. leniter ad deſpumationem.

Tinctura Amara comp.

℞. Centaur. Min. ʒ v. Gentian. ʒ iv. Fl. Chamæm. ʒ iii. Abſinth. ʒ ii. extrah. cum Spiritu Vini.

Tinctura Cordialis.

Paratur ex Aq. Cordiali Succo granor. Kermes ſaturè imprægnatâ.

Tinctura Opii, ſeu Laudan. liq.

℞. Nuc. M. Croc. an. p. ii. Caſtor. p. i. Spir. Vini q. ſ. deſtillentur. Spiritus tenuior ſufficit, ideòque poſſunt duæ vel tres partes Aq. ſ. ad unam Spiritus pro Menſtruo addi. Spiritus qui imprægnetur Opio in eo ſoluto, ut ſaturè fieri poteſt.

Unguent. Hæmorrhoïdale.

℞. Ol. Roſ. ℥ iſ℔. Emp. de Minio ℥i. Ceræ alb. ℥ ſ℔. liquatis adde Æthiop. mineral. ℥ ii. Opii ℥ ſ℔. Croc. Nuc. M. Fl. Chamæmel. an. ℥i. Syrup. Roſat. ℥ i. Leni calore exhaletur humiditas & miſce ſ. a.

Aquæ deſtillatæ Simplices.

Aq. Amygdal. amar.
Bellid. major.
Euphragiæ.
Pæon. ex toto.
Papav. errat.
Aq. Pulmonat. Querc.
Roſar. Dam.
Roſar. rubr.
Sambuc. Flor.

Aquæ deſtillatæ cum Spiritu Vini, ſeu Spiritus Simplices.

Aq. Aniſi.
Aſæ fœtidæ.
Aurant. cort.
Cinnamomi.
Fœnic. dulc.
Guajaci.
Junip. Bacc.
Lavend. Flor.
Limon. Cort.
Aq. Menthæ.
Nucis moſch.
Opii.
Papav. errat.
Papav. alb.
Papav. nigr.
Rutæ.
Saſſafras.
Succini.

Tincturæ cum Spiritibus propriis, vel Spiritu Vini paratæ.

Tinct. Absinthii.
Amara simp. i. Absinthii.
Ambræ grisææ.
Ammoniaci.
Angelic. Sem.
Antemetica. i. Menthæ.
Antepileptica i. Lavend. Flor.
Anticolica. i. Junip. Bacc.
Anti-hydropica. i. Jalapii.
Antimelancholica. i. Ellebor. utriusque.
Antiscorbutica. i. Winterani.
Asæ fœtidæ.
Aurant. cortic.
Balsam. Copaiv.
Balsam. Tolutani.
Benzoïni.
Calefaciens, i. Caryophyllor.
Calida major i. Cardamomi.
Calida minor. i. Cubebarum.
Carannæ.
Cardamomi.
Cardiaca. i. Croci.
Cardiaca restring. i. Cinnamomi.
Caryophyllorum.
Castorei.
Cephalica. i. Salviæ.
Cephalic. Cordial. i. Nucis Moschatæ.
Chamæmeli Flor.
Chinæ.
Cinnamomi.

Cœ-

Tinct. Cœleſtis i. Angelic. Sem.
Contra Iliacam. i. Chamæmel. Flor.
Contrayerva.
Cordial. Antepidem. i. Contrayerva.
Corroborans .i. Limon. cort.
Croci.
Cubebarum.
Ellebori utriuſque.
Exonerans. i. Scammon.
Febrifuga. i. Schœnanthi.
Galbani.
Gambodiæ.
Glycyrrhizæ.
Gratiſſima. i. Thymi citrini.
Guajaci.
Hypnotica. i. Opii.
Jalapii.
Juniperi Bacc.
Lavendul. Flor.
Limon. cort.
Maſtiches.
Menthæ.
Moſchi.
Myrrhæ.
Nucis moſchatæ.
Nutritiva. i. Chinæ.
Olibani.
Opii.
Papav. errat.
Pectoralis. i. Glycyrrhizæ.
Peruviana.
Quartenaria. i. Peruviana.
Rhab. Abſinthit. fit cum Aq. Abſ. comp.
Rubra. i. Papav. errat.
Rutæ.
Salviæ.

Tinct. Salv. Abſinthit. Fit cum Aq. Abſ. comp.
Scammonii.
Schœnanthi.
Senæ Abſinthit. extrah. cum Aq. Abſ. comp.
Serpentar. Virgin.
Stomach. Cordial. i. Aurant. cort.
Styracis.
Succini.
Sudorifica. i. Serpentar. Virg.
Sudorif. min. i. Valerianæ.
Tacamahacæ.
Terebinth. è Chio.
Thymi citrini.
Valerianæ.
Winterani.

Syrupi Simplices.

Quorum alii ex Tincturis parantur, alii ex Aquis deſtillatis, cum Saccharo ſ. a.

Syr. Ammoniaci.
Anti-hydropicus. i. Jalapii.
Aſæ Fœtidæ.
Aurant. ex Aq. Flor. p. i. Sacch. opt. p. ii.
Balſamic. min. i. Copaiv- vel de Tolu.
Benzoini.
Copaiv.
Carannæ.
Contemporans. i. Maſtiches.
Exonerans. i. Scammonii.
Fœtidus. i. Aſæ fœtidæ.
Galbani.

Hy-

Syr. Hyſtericus. i. Galbani.
Jalapii.
Jovis. i. Ammoniaci.
Maſtiches.
Myrrhæ.
Olibani.
Odorat. min. i. Benz. & Styracis.
Pectoral ſimp. fit ex Aq. Pector. Flor. Sambuc. ℔. oſ. Dam & Saccharo ſ. a.
Roſar. Dam. ex Aq. deſtillat. } p. i. Sacch.
Roſar. rub. ex Aqu. deſtillat. } opt. p. ii.
Roſ. odorat. fit, addendo Moſch. & Ambr. griſ.
Sambuc. Flor. ex Aq. deſtillat. p. i. Sacch. opt. p. ii.
Sapientum. i. Myrrhæ.
Scammonii.
Styracis.
Ad Tuſſim. i. Olibani.
Uterinus. i. Carannæ.

FINIS.

Orthotonia Medicorum

OBSERVATA

In quibuſdam Dictionibus,

Apud Pharmacopœos pleroſque

(Vel ex ignorantiâ, vel merâ conſuetudine)
Malè pronunciari ſolitis.

Carmina quæ interſeruntur, excerpta ſunt è *Borrichio & Ricciolo*, quos videas citanzes hâc in re Authores approbatos.

A.

Abbătis Diarrhŏdon.
Abiĕtis lignum.
Achillĕa herb.
Aconītum.
Adōnis flos.
Ælurŏpus. herb.
Æthiŏpis. herb.
Alabaſtrinum ung.
Alectorolŏphus.
Alcĕa. herb.
Alcŏhol. Vini.
Aloëphangĭnæ Pil.
Alўpum. herb.
Amarăcus. herb.
Ambarum.
Amōmi Sem.
Amygdalĭnum Ol.
Anacardĭna nux.
Anagўris. herb.
Anătis. axungia.

An-

Androsăce. herb.
Anemõne. herb.
Anethĭnum oleum.
Anĭme gum.
Anodўnum Ung.
Anthĕra Roſarum.
Anthŏræ Radix.
Anthirrhĭnum. herb.
Apozĕma ---εμα.
Apozўnum. herb.
Arbŭtus.
Ardĕa. Avis.
Arẽgon. ung. ηγὸν.
Arisărum. herb.
Ariſtolochĭa.
Armĕna Bolus.
Armeniăca mala.
Asbeſtĭnum linum.
Aſpalāthum lignum.
Aſphodĕlus. herb.
Athanasĭa herb.
Attăgen, avis.

Nomina *ad Abbatem* Siculum traſmitrit, & ille.
Solus *Acchillẽo* tollere more poteſt.
Semper *Adoni*, mei ———
Æthiopum populus nigrum traxiſſe colorem.
Agaricŭmque Aſarumque potens, Aloën. *Aconitum*.
Τῶν ἄλλων οἴνων μετ' ἀμύμονα χῖον ἄλυπον.
Italiæ locos ubi mollis *Amaracus* illum.
O Dea, & *Ambareos* mundus reſpirat odores.
Pingueſcat nimio madidus mihi crinis *Amomo*.
Fertur *Amygdalinæ* ſuccus nucis eſſe bibendus.
Per cæcas latebras *Anagyris* mittit, & acri.
Latipedemque *Anatem* cernens excedere pento.
—— Vaſorum, ſuper hæc Anemone.
Dulce ſatis humor, depulſis *Arbutus* hœdis.
Urbis & ipſa ſuis deplangitur *Ardea pennis*.
Herba puerperii vel *Ariſtolochia* ſecatur.
Daphnis & *Armenias* curru ſubjungere. Tigres.
Aſphalathum, Gallum, Elleborum, nigrumque Bitumen.

Ra-

Radix *Aphodeli* calefactat.----
Non *Attagen* Jonicus. *Jambic.*

B.

Bacchăris. herb.
Balanĭum Ol.
Balſamĭne. herb.
Barbarĕa. herba.
Bardāna.
Benzoĭnum.
Bombācis ſem.
Bombycĭna lana.
Buniăs--ădis. Rad.
Byſſĭnum linum.

Errantes hederas paſſim cum *Bacchare* tellus.
Balſamines folium committit glutine vulnus.
Nunc furtiva lucri fieri *Bombycina* poſſunt.
Bunias & rapum decorantur viribus iiſdem.
Τοσσὸν καὶ γλυκερῆς σπέρματα Βουνιάδος.
Vina, Unguenta, leves tunicas, & *Byſſina* Vela.

C.

Camphŏra. καμφορά.
Cancămum gum.
Cannabĭnum Oleum.
Canthări, inſecta.
Caphūra. καφουρά.
Capparĭnum Oleum.
Capreŏlus, animal.
Carbaſĭnum linum.
Cardamīne. herb.
Carlīna. herb.
Caryĭnum Oleum.
Caryocoſtĭnum.
Caſtor--ōris.
Cathĕter. ετηρ inſtrum.
Caucălis. herb.
Centaurĭum. herb.
Chalcītis. χαλκῖτις.
Chamæmelīnum Ol.
Chamæmŏrus.
Chamæpĭtys.
Chebūlæ myrob.
Cheirĭnum oleum.
Cholagōga potio.
Chryſolīthus.
Chryſoprăſus, lapis.
Chryſomelīnum Ol.
Cinăræ radix.
Cinnabăris.
Citrīna cera.
Clemătis daphnoĭdes.

Cly-

Clyſtēres ῆρες.
Coccina veſtis.
Colchīcum, herb.
Colcōthar.
Colutĕa, τέα herb.
Corallīna.
Corallĭnum Arcanum.
Coronŏpus, Rad.
Coſtīnum. Oleum.
Cotylēdon. herb.
Cratæogŏnon-γονον.
Crocĭnum Oleum.
Cryſtallīnum ſacchar.
Cumīnum. Cymīnum.
Curcūma κύρκυμα.
Cuſcūta. Caſsūtha.
Cyăni. flores.
Cyclămen- ĭnis. Rad.
Cynorrhŏdi conſ.
Cynosbăti conſ.
Cypēri Rad.
Cyprīnus lapis.
Cytĭni flores.

Cannabinas nutrit ſylvas quam commodo noſtro.
Carbaſinum, ac ſpatiis geminata monilia colli.
Caſtoreas ſiliquas bis ſex perquirere cura.
Καυκαλίδας, σιὶ δ' αἰθὰ βάλοις φιμωδεὰ μύρτα.
Abrotanique graves & triſtia *Centauria*.
Cadmia, *Chalciti*, Chalcantho, Chalco & aduſto.
Ardua *Morus* erat gelido contermina fonti.
Artemidiſque *Chamæpityoſque*, atque Achrados herbæ.
Per juga *Chryſolithi*, poſitæque ex ordine gemmæ.
Chryſophraſo, & ſidus ſaxis ſtellantibus addit.
Hiſpida ponatur *Cinăra*, & quæ dulcis Jaccho.
Ἄλλοτε κλήματόεσσαν ὐν ὄξει ῥύπτεο πέρδιξ.
Coccina famoſæ donas, & Janthina Mœchæ.
Et poſuere inter virgulta *Corallina* cippos.
Porrò *Coronopodis* radix aſtringit & aret.
Friget & abſtergit *Cotyledon* atque reſolvit.
Et *Crocino* nares myrrhinus ungat onyx.
Sic Aretinæ violant. *Cryſtallina* teſtæ.
Ordine ſub primo *Cuſcuta* caleſcit, & aret.

Cy-

Transeat inſtabiles ſtrenua *Cyaneas*.
Cyperum, Ladanum, Sagapenumque & Tragacanthum.

D.

Daphnīnum Oleum.
Diacurcūma.
Dianŭcum.
Diaphœnīcum.
Diaphorēſis. *νσι*.
Diarrhŏdon Abbātis.
Dioſpўros. herb.
Diphrўges.
Drepax-ăcis.
Dryoptĕris. *εφίς*.

Corpore de patrio parvum *Phœnica* renaſci.
At *Diphryges* valde deſiccat ——
Pſilothro faciĕmque lavas, & *Dropace* calvam.

E.

Ebĕnum lignum.
Empyēma *ημα*.
Enĕma. *εμα*.
Epilīnum herb.
Epūlis. *ἐπυλίς*.
Eranthĕmum. *θεμον*.
Erica. herb.
Errhīnum.
Erythrodănum.
Exoſtōſis *ωσις*.

Fert *Ebenum*: Solis eſt Thurea virga Sabæis.
Calfacit & ſiccat, ſeu clamat amaror, *Erica*.
Ἀμβροσίῳ ὑπὸ ῥῖνα ἐχάζῳ θῆκε φέρουσα.

F.

Faginus.
Febrifŭga potio.
Figulĭnum Vas.
Formīca.

Poſt vario nitens ſub pondere *Faginus axis*.
Parvula nam exemplo eſt magni *Formica* laboris.

Ga-

G.

Gagătes. | Glottides, aves,
Glaucīnus color. | Gratiŏla. herb.

Naſcitur in Lycia lapis, & propè gemma *Gagates*.
Pallida donabit, *Glaucina*, Coſme, tibi.

H.

Halĭmus. herb. | Hippolĭthus lapis.
Hedychrŏi Troch. | Hippopotămi dens.
Hedysărum herb. | Hi pūris. ἵππαρις.
Heliochrўſon. herb. | *Hormīnum.*
Helleborīne. herb. | Hydragōgus. ωγὸς.
Herba Parĭdis. | Hypecŏnum. herb.
Hierobotăne. herb. | *Hyperīcum.*

Μάγμαϖος Η'δυχρὸν ϖαρὸν ἐφελκομένον.
Horminum ſiccat mediocriter atque caleſcit.
Οὐρήλω Τ'πέρηκον, ὀδ' υ'ϖαώπα ὀρσοδάμνας.

I.

Jacĕa herba. | Irĭnum Oleum.
Janthĭnus color. | *Isātis* herb.
Jaſmĭnum Oleum. | Jujŭbæ.
Illecĕbra. herb. | Jujūbĭnus Syr.
Intŭbus, *Intŭbum.* | Juniperĭnum Ol.

Coccina famoſæ donas & *Janthina* mœchæ.
Illecebris erat, & gratâ novitate morandus.
Intuba, jam teneris frondens lactucula fibris.
Nectit *Iſatis* agrum, vel florea regna Priapi.

Lab-

L.

Labdănnum. Ladănum.
Lagōpus. herb.
Lampsăna. herb.
Lapis Armēnus.
Lapis Lazūli.
Lathȳris. herb.
Laurīnum Ung.
Lentiſcĭnum lign.
Leucöĭum.
Leucöinum. Ol.
Leucogrăphis. herb.
Libanōtis. ωτίς.
Lithanthrăces.
Lumbrīci.

Cyperum, *Ladanum*, Sagapenumque & Tragacanthum.
Si mens auritâ pendet *Lagopede* Flaccus.
Aut herbæ ſuccum, *Lathyris* quæ nomine fertur.
Καὶ ῥ'ἐδον, ἠδ' ἴα λεπτῶν ἀὲὶ σπερμοῖον ἄεξει.
—— Λιθ ανθρακας αἰθομενοιο.
Lumbrici quoque terreſtres miſcentur Olivo.

M.

Macropĭper.
Malabăthrum.
Martăgon. herb.
Maſtiche.
Maſtichĭnæ Pil.
Melĭa terra.
Melicrătum.
Melīnum Oleum.
Melŏnum ſem.
Melopĕpo. πέπον.
Melopepŏnis ſem.
Miclĕta. ἔτω.
Mumĭa.
Myosōtis. ωτις.
Myrrhīnum Ol.
Myrtīnum Ol.

Maſtichis addentur fractæ jam molliæ farra.
Rugarum ſulcos lentiſci *Maſtiche* tendens.

N.

Narciſsĭnum Ol.
Nardĭnum Oleum.
Nenūphar.
Nenupharīnum Ol.
Nepĕta. herb.
Nervīnum Ung.

Sive apio *Nepetas* tereti cum Maſtiche junges.

O.

Ocўmum, *ocĭmum*.
Oeſўpus.
Omphacīnum Ol.
Onobrўchis, herb.
Opălus, lapis.
Ophioſcorŏdon. herb.
Ophthalmīa. morb.
Ornithogălon. herb.
Oppopănax-acis.
Origănum.
Oſўris. herb.
Oxălis-ĭdis.
Oxycrătum.
Oxyrrhodīnum.

Ocyma præterea, bulbive linuntur amari.
Oeſypa quid redolent, quamvis mittantur Athenis.
Βεβρύχως, κόνιος ———
Expirant autem *Panaces*, Abſinthia tetra.
Cùmque hoc abſumi debebit *Origanus* herba.
Siſtraque erunt, nunquamque ſatis quæſitus *Oſўris*.
Λ'ρκτιον, Ο'ξαλίδας τε καὶ ὁρμενόεντα λύκαψον.

P.

Pampĭni folia.
Papaverīnum Ol.
Parŭlis. morb. οὐλις.
Pepŏnis Sem. ονος.
Perdicis Fel.
Periclymĕnum. herb.
Periplŏca. herba εχα.
Petroſelīnum.
Peucedănum.
Phellodrys. δρυς.
Philanthrōpus ωπος.
Phyllītis herb.

Pla-

Platănus. arbor.
Piperĭnum Ol.
Polygăla. herb.
Polygon tum.
Polygŏnum. herb.
Polytrĭchum.
Pomphŏlyx. ўgos.
Potamogīton. ἀτων.
Prasĭnus color.
Priāpus.
Propŏlis --ἀπω.
Pſilōthrum.
Ptisăna.
Pylōrus πυλωρός.
Pyrĕthrum. ἐθρον.

Heu male tum mites defendat *Pampinus* uvas.
Lepra, Elephantiaſis, Cancer, Gangræna, *Parulis.*
Seu fel *Perdicis* parili cum pondere Mellis.
Φύλλα τε καὶ πίνοντα Περικλυμενοίο φέρουσα.
Peucedanùmque ſonat flammis, Erycinaque Thapſos.
Jamque miniſtrantem *Platanum* potantibus umbram.
Ἤλασε τὸν δ' αὐτῆ λύτο γόνατα, καὶ φίλον ἦτορ.
Helleſpontiaci ſervet tutela *Priapi.*
Pſilothro nitet aut acidâ nitet oblita Cretâ.
Frumentum, Milium, *Ptiſanamque*, fabamque ſolebas.

R.

Raphănus.
Reſīna.
Ricinus. com.
Rubrīca, ochra.

Semine vel *Raphani* permiſto dulcia melle.
Reſinam Veneto nec reſecare luto.
Sanguine ſeu *Ricini*, quem Bos geſtaverit ante.
Calfacit & ſiccat bina ſub claſſe *Ricinus.*
Excepto ſiquid Maſuri *Rubrica* notavit.

Sam-

S.

Sambucĭnus Syr.
Sampsūchum.
Sampſuchĭnum Ol.
Sandarăcha.
Sandўcis emp.
Sanguisūgæ.
Santalĭnum cerat.
Sapphirĭna Aqua.
Sardŏnix. ὄνυξ.
Saxifrăga.
Scariŏla.
Schœnoprăſon.
Securidăca. herb.
Scordĭum.
Serapĭnum gum.
Seſamĭnum Ol.
Sasămum.
Sinapĭnum oleum.
Siſări Radix.
Smilax-ăcis.
Sophĭa Chirurgorum.
Storăx ăcis.
Strobĭlus.
Strobilĭna reſina.
Styrăcis Pil.
Styracĭnum Ol.
Sycomōrus arbor.

Nataque jam veniant hilari Sampsūcha canopo.
Galbana, *Sandaracham*, Sampſuchum, ———
Interdum Libico fucantur *Sandyce* pennæ.
Marte ſatos ſcires, timor abfuit ubera *Sugunt*.
Cunctæ *Saxifragæ* deſiccant atque caleſcunt.
Σκέρδιον, καὶ κῆνο ὀπὸν μίσγνο ἀμώδη.
Seſamon at leviter calet: occluditque meatus.
Ductor cujus erat præfectus *Siſara* turmis.
Et crocon in parvos verſum cum *Smilace* flores.
Cum tibi ſit *Sophiæ* par fama & cura Deorum,
Aut *Styracem* torres, aut diri Vulturis alam.
Non *Storace* Idæo flagrantes picta capillos.

T.

Taraxăcum.
Tetănus morb.
Thalaſsīna.
Tragopōgon. ὠγων.
Tribŭlus aquat.
Trichomănes.
Tripŏlis. τρίπολις.
Tryphĕra.-- ερὰ.

Hinc tuſſis, ſpaſmus, *Tetanus*, Dyſpnœa, Catarrhus.
Auro includuntur, teriturque *Thalaſſina* veſtis.
Semina jacta legunt, lolium, *Tribuluſque* fatigant.

V.

Vagīna
Venĕtus ſapo.
Vernix-īcis.
Veronīca.
Veſīca.
Vicia.
Umbilīcus.
Vomīca morb.
Urăchus.
Urēter--ēris.
Urēthra.—νθρα.
Uſnĕa.

Vagina tectus, quem cum diſtringere coner.
De praſino conviva meus, *Venetoque* loquetur.
Calfacit & ſiccat *Veronīca*, fugatque tumores.
Nam, diſploſa ſonat quantum *Veſica*, pepedi.
Aut tenues fœtus *Viciæ*, triſteſque lupini.
Et Phthiſis, & *Vomicæ* putres, dimidium crus.

Z.

Zeopȳrum.
Zibēthum.
Zizŷpha. Jujūbæ.
Zythogăla.

Πυρὸν ἐρεπτομένους παρὰ πύελον ἦχι πάρος περ..
Ἦν δ' ἐπιδρομέων ἦν νεαλὲς Γάλα τεύχε' ἀγερός.

Non

Non fuerit hìc forſan ſupervacaneum, Regulis duabus generalibus, quàm plurimis, in pronunciandis dictionibus, difficultatibus mederi.

Regula prima generalis.

Adjectiva in *inus* à rebus animatis ſenſitivis deducta; item, Nomina Cognationum, item, propria & Gentilia penultimam producunt: ut, Caro *agnīna*; pinguedo *anatīna*; ſtercus *equīnum*; Syr. *Byzantīnum*; ſena *Alexandrīna*; manna *Calabrīna*, &c.

Regula ſecunda generalis.

Adjectiva in *inus* à Rebus non animatis, (vid.) plantis, lapidibus, aliiſque materialibus; (qualia ſunt permulta à Græcis vocibus formata:) item, Adjectiva ab Adverbiis temporalibus, aut Subſtantivis quatuor Anni tempora notantibus, derivata, penultimam corripiunt: ut *Acanthĭnus*, *Amaracĭnus*, *Cedrĭnus*, *Cypreſſĭnus*, *Fagĭnus* *Glaucĭnus*, *Adamantĭnus*, *Amethyſtĭnus*, *Hyacinthĭnus*, *Diutĭnus*, *Craſtĭnus*, *Priſtĭnus*, *Perendĭnus*, *Hornotĭnus*, *Rotĭnus*, *Earĭnus*, *Therĭnus*, *Oporĭnus*, *Chimerĭnus*, &c. Matutīnus autem & Veſpertīnus, quia à nominibus Matutâ & Veſpero flectuntur, penultimam habent longam.

FINIS.

TABULA POSOLOGICA

Doſibus Pharmacorum quorundam.

(Quæ in *Pharmacopœa Londinenſi Noviſ. Edit.* occurrunt .)

Expeditiùs computandis Accommodata.

In nonnullis ad amuſſim uſque, in aliis quàm proximè, Ingredientium purgantium, &c. calculantur Quantitates.

Continentur in

Arom. Caryophyllat. ℈ iv. { Ambr. grif. gr. 4. / Moſchi. gr. i.

Arom. Roſat. ʒi. gr. xii. { Ambr. grif. gr. i. / Moſch. gr. ß.

Bened. Laxat. Spec. ℈ ii. gr. vii. { Diagrydii. / Eſulæ. / Hermodact. an. gr. xv. / Turpet. ℈ ß.

Caryocoſtini ʒß. { Diagrydii. / Hermodact. an. gr. xv.

Catholici ʒvii. { Pulv. Senæ ℈ i. / Polypod. / Rhab. an. ℈ ß.

Con-

Continentur in

Confect. Hamech. ʒi. — Diagryd. gr. viiß. Pulv Senæ. Agar an. ℈i. Epithym ℈ß. Colocynth. in Decocto gr. xv.

Confect. AlKerm. ʒ ii. ℈ ii. — Ambr. grīs. Margarit. an. gr. j.

Conf. de Hyacinth. Spec. ʒ xi. — Ambr. gris. Moschi, an. gr. i.

Decoct. Epithymi, ʒiv. — Epithym. Senæ, an. ℈ iv. Helleb. n gr. xv. Turpeth. Myrob. chebul. Indar. an. ℈ ii. Agaric gr. v. Polypod. ʒ i.

Decoct. Senæ Gereon. ʒ iii. — Senæ, ʒ ii. Polypod. ʒß.

Diacarthami ʒ i. — Diagrydii gr. ix. Turpeth. gr. xviii. Carthami. Hermodact. an. gr. xii.

Diacodii ʒ ix. — Capit. Papav. ʒ iii ß. in Decocto.

Diachyl. Ireat. ʒ iß. — Pul. Irid. Florent. ʒi.

Continentur in

Diacinnam. Spec. ℥ iſs.	Moſchi gr. i.
Diaprun. ſolut. ℥ viſs.	Scammon. ℈ i.
Diaphœnic. ℥ ſs. gr. xiv.	Diagryd. gr. xii. Turpeth. gr. xxxii.
Diarrhod. Abbat. ℥ iii. ℈ i.	Sem. frig. maj. ℈ ſs. Moſchi gr. ſs.
Diaſatyr. ℥ x.	Moſchi gr. i. Ambr. grif. gr. ſs.
Diaſcordii ℥ v. gr. xii.	Opii gr. i.
Diaturb. cum Rh. ℈ ii. gr. xvii.	Hermodact. Turpeth. an. gr. xii. Diagryd. gr. vi. Rhabarb. gr. xv.
Elect. Amar. major. ℥ i.	Aloës ℈ ii. Thrpeth. Rhabarb. an. gr. xv.
Elect. Amar. min. ℥ v ſs.	Epithym. gr. v. Aloës ℥ i.
Elect. è Citro ſolut. ℥ iii.	Diagryd. gr. vi. Turpeth. gr. viiſs. Senæ gr. ix.
Elect. Lenitiv. ℥ i.	Pulv. Senæ ℥ i. Polypod. & Sen. in Decoct. an ℈ i.

Elect.

Continentur in

Elect. è Sassafras ʒi. { Ambr. grif. gr. i. / Mosch. gr. $\frac{1}{12}$.

Elect. è Succo Rosar. ʒiiiß. { Diagrydii gr. xii.

Empl. Barb. magn. ʒiß. { Opii gr. i.

Empl. Cephalic. fort. ʒi. { Piper. nigr. / Euphorb. / Pyrethri, an. gr. vi.

Emp. Diachalcit. ʒviiß. — Vitriol. ust. ℈i.
Empl. Epispastic. ʒiii. — Cantharid. ℈ii.

Emp. Hysteric. ʒii. ʒiß. { Gall. Moschat. / Alipt. Moschat. an. gr. i. / Moschi gr. ß.

Emp. Oxycroc. ʒiii. — Croci ℈i.

Empl. de Ranis ʒi. — Hydrargyri ʒß.

Hier. Diacolocynth. Spec. ʒi. { Colocynth. / Agaric. an. gr. vi.

Hier. Logadii, sc. Elect. ʒvii. { Colocynth. / Opopanac. / Sagapen. / Polypod. an. ℈i. / Diagryd. / Agaric. an. ℈ß. / Helleb. alb. & n. an. gr. i. / Sem. Thymel. / Euphorb. an. gr. vi. / Aloës opt. gr. v.

Continentur in

Mithridatii ʒiv. ϑii.	— Opii gr. i.
Moschelæi ʒi.	— Moschi gr. i.
Philon. Magistral. ϑ ß.	— Opii. gr. iv. vel v.
Philon. Rom. ʒii ß.	Opii gr. il ß. Sem. Hyoscyam. gr. v.
Philon. Persic. ϑ iv.	Opii gr. ii ß. Sem. Hyoscyam. gr. v.
Pil. de Agarico ʒj.	Colocynth. gr. 4. Turpeth. gr. x. Agaric. gr. 6. Hier. picr. gr. 8.
Pil. Aggregativ. ʒj.	Diagryd. gr. v. Colocynth. Agaric. an. gr. 2. Turpeth. Aloës, an. gr. 6.
Pil. Aurear. ʒi.	Diagrydii, Aloë, an ϑ ß. Colocynth. gr. 2.
Pil, coch. major. ʒj.	Diagryd. gr. iv ß. Turpeth. gr. ix. Colocynth. gr. vi ß.
Pil. coch. min. ʒj.	Scammon. Colocynth. Aloës, an. gr. 13.
Pil. de Cynogloss. ϑ ß.	Sem. Hyoscyami, Opii, an. gr. i.

Pil.

Continentur in

Pil. Diambræ ℈ i. — Ambr. grif. gr. i.

Pil. de Eupator. maj. ℥j.
- Rhabarb. gr. vii.
- Aloës ℈ ß.

Pil. Fœtidar. ℥ i.
- Colocynth.
- Opopanac.
- Sagapen.
- Epithym.
- Aloës, an. gr. 4.
- Turpeth. gr. iii ß.
- Scammon. gr. ii ß.
- Esulæ Rad.
- Hermodact. an. gr. i ß.

Pil. de Gutta Gamand ℥j.
- Gutt. Gamandr. gr. ix.
- Scamm. gr. 6.
- Aloës, gr. 15.

Pil. de Hermodact. ℈ ii.
- Colocynth.
- Turpeth.
- Hermodact.
- Sagapen.
- Aloës, an. gr. iii.
- Opopanac. gr. i ß.
- Euphorb. gr. ß.

Dyſenterica. Enema conſolid. Enema Sanativ. | Nepenthe.

E.

Eccoprotica. v. *Laxantia alvum*.
Ecphractica. *Aperientia*. Apoz. Splanch. | Pil. Chalyb. P. Splenet. | Vin. Ecphract.
Emmenagoga. *Menſes moventia, &c.* Fot. Emmenag. | Pedilav. | Peſſar. | Pil. Chal. P. Emmenag. | Saccul. Col.
Emolliens. Catapl. Emoll. | Gargar. Emolliens.
Eryſipelatis remed. Ung. ad Eryſip.

Expectorantia. Bechica. Decoct. Bechic. | Hydrom. Bech. | Magist. Benzo.

F.

Febrifuga. Catapl. Febr. | Epicarp. | Haust. Febr.

Flatus discutientia. v. *Carminativa.*

Fœtum roborantia. v. *Abortum prohibentia.*

G.

Gonorrhœæ remedia. Aq. Ment. comp. | Bol. e Terebint. | Emulsf. de Sarsâ | Inject. Alumin. | Pil. Restring.

H.

Hæmoptoica. Decoc. Cretæ comp. | Emulsf. Hæm. | Expres. Hæm. | Jul. Stypt. | Lohoch Hæm. | Mist. purg. Hæm. | Oxym. Hæm.

Hæmorrhoidalia. Bol. Hæm. | Catapl. Hæm. Empl. album. | Enema H. | Fot. H. | Ung. de Ovo.

Hectica. v. *Phthisis.*

Hepatica, Splenetica, &c. Apoz. Splanch. | Catapl. Splen. | Empl. Spl. | Fot. Spl. | Pil. Splen. |

Herpetis cura. Ung. Balsam.

Hypnotica. Emulsf. somni. | Nepenthe.

Hysterica. Mist. tub. Cephal. | Pil. Camph.

I.

Icterica. Apoz. Icter. | Emulsf. Icter. | Pul. Croci comp.

Impotentiæ virilis remed. Elect. de Satyrio | Pil. Aphrod.

Ischuria, v. Urina suppressa.

L.

Lateris dol. remed. v. *Pleuritica*.

Laxantia alvum. Decoct. Laxat. | Elect. Lax. | Uv. Corinth. lax.

Lethargo subvenit. Pul. Sternut. v. *Apoplect. & Cephalica*.

Linguæ, & Faucium asperitati medentia. v. *Aphth.*

Lithontriptica. v. *Nephritica*.

Lochia suppressa. v. *Emmenag.*

Luis Venereæ remed. v. *Siphylica*.

M.

Mammarum Cancer. v. *Cancri remed.*

Martiata. Aq. ferrata | Pil. Chalyb. P. Splenet. | Vin. Ecphract. | V. Sidereum.

Melancholiæ remed. Apoz. de Pomis. A. Splanch. | Aq. Pom. comp.

Menses moventia. v. *Emmenagoga*.

Mercuriata. Elect. Æthiop. | Pil. de Mercurio vivo | Ung. Mercurii.

Morbilli. v. *Variolæ*.

N.

Nephritica. Aq. Fragar. comp. A. Glycyr. | Bol. Nephrit. | Catapl. Diuret. | Cerev. Diuret. | Elect. è Tereb. | Fot. ad Calc. | Serum Nephrit.

Nutritiva. v. *Restaurantia*.

Oph-

O.

Ophthalmica. Collyr. Metall. | Pul. Euphrag. comp.
Opiata. v. *Hypnotica.*
Oris Ulcera. v. *Aphth.*

P.

Paralytica. Elect. Paralyt. | Linim. Paral. | Pul. ſternut. | Sacc. Cephal. | Ung. Paralyt.
Pectoralia. Decoc. Bech. D. Chinæ comp. D. Pect. incraſſ. | Hydrom. Bech. | Magiſt. Benzo. | Ung. Pector. | v. *Catarrh.*
Peſtifuga. Suffumig. Peſtil. | v. *Alexiteria.*
Phthiſeos remed. Apoz. Phthiſ. | Aq. Glycyrrh. Aq. Phthiſ. Aq. Plant. comp. Aq. Sang. | Decoc. Chinæ comp. D. Rapar. comp. | Elect. Tolut. | vide *Pectoralia*, & *Reſtaurantia.*
Pili ut creſcant. Fot. Crinif.
Pleuritica. Decoct. Pleur.
Podagrica. v. *Arthritica.*
Proſtuvii albi remedia. Aq. Ment. comp. | Cerev. Traumat. | Hydrom. Traumat. | Jul. de Hormino. Pil. corrob. | Pil. Gum. | P. Reſtring.
Prolifica. Elect. de Satyr. | Pil. Aphrod. v. *Reſtaurantia.*
Pruritus. v. *Scabiem.*
Purgantia. Dec. Guaiaci purg. | El. Purg. | Jul. Cathart. | Miſt. purg. Hæm. | Pil. Reſin.

R.

Raucedinis remed. v. *Catarrhalia.*
Reſtaurantia, Nutritiva. Caudela Analep. | Cerev. cor-

corrob. | Elect. de Eryng. | Emulſ. Analept. | Juſc. Chinæ comp. | Pil. corrob.

S.

Salivationem excitans. Ung. Mercur.

Sanguinẽ rectificantia. Aq. Saponar. cõp. | Bochet. | Decoc. Santal. D. Sarſæ attemp. | Elect. Æthiop. El. de Guajaco.

Scabiem, *Pruritum*, *&c. curantia*. Aq. Sapon. comp. | Baln. Pſoric. | Elect. Æthiop. | Ung. de Sedo.

Scorbutica. Aq. Scorb | Cerev. Scorb. Cerev. è ſuccis. | Expr. Scorb. | Ol. Junip. comp. | Pil. Mercur. viv. | Succi Scorb.

Scrophularum remed. Elect. Æthiop. | Pil. Mercur. viv.

Siphylica. Aq Sapon. comp. | Decoct. Sarſæ exſicc. | Elect. Ethiop. E. de Guajaco. | Pil. è Mercurio vivo. | Ung. Mercur.

Sitim extinguentia. Apoz. de Pomis | Dec. Paſſul. comp. | Emulſ. de Scorzon. | Infuſ. Glycyr. | Jul. ad ſitim. | Tab. Tartar. comp. |

Splenetica. v. *Hepatica*, *& Melancholiæ remed.*

Sterilitatis remed. v. *Prolifica*.

Stomachica. Catapl. Cydon. | Decoc. Cydon. | Empl. Tolut. | Epith. Stom. | Sacc. Aromat. Sacc. Stom. | Tab. Card.

Styptica. v. *Aſtringentia*, *& Hæmoptoica*.

T.

Tabidis remedentia. v. *Reſtaurantia*, *& Phthiſ. remed.*

Traumatica, Cerev. Traum. | Decoc. Sarſæ Tr. | Elect. Tr. | Hydrom. Tr.

Tuſſis remedia. Elect. de Alth. El. incraſſans. El.

El. Pect. incraſſ. | Infuſ. Glycyrr. | v. *Catarrhalia, & Pectoralia.*

V.

Variolæ. Decoct. *Scorzon.* | Gargar. Emoll. Garg. de Ficub. | Lohoch Angin.
Ventris Tormina. Nepenthe. | Saccul. Aromat.
Vertiginis remed. Infuſ. Ceph. | Pul. Pept. Cephal.
Vigiliarum remed. Emulſ. Somnif. | Nepenthe | Pedilav.
Ulcera. Infuſ. bened. | Inject. Alum. | Inject. detergens.
Urinæ ardorem extinguentia. Elect. Nenuph. El. de Terebint. | Emulſ. Nenuph.
Urinæ ſuppreſſæ remed. Catapl. Diuret. | v. *Diuretica, & Nephritica.*

FINIS.

JACOBI LE MORTII

FUNDAMENTA

NOV·ANTIQUA

THEORIÆ MEDICÆ.

JACOBI LE MORTII
FUNDAMENTA
NOV-ANTIQVA
THEORIÆ MEDICÆ,
AD
NATURÆ OPERAS REVOCATA.
Superstructa
FLVIDO CORPORVM EXERCITIO,
HUMANAM MACHINAM
Afficienti.
CHYMIÆ NOBILIORIS,
HOC EST,
PHYSICÆ ANTIQUÆ EXPERIENTIA
Suffulta.



VENETIJS M. DCCII.
Apud Io: Gabrielem Hertz.
Superiorum Permissu, & cum Priuilegio.

Veris Medicinæ Cultoribus, egregiisque Naturæ Miniſtris, bene valere & Vivere.

QUoſcunque ſtudiorum detinet amor, methodi optimæ cura angit. Hæc filum exhibens Ariadneum, ipſis per intricatiſſimas, vix abſque illa ſuperabiles, rerum ambages, iter tutum concedit. Ingreſſus ſcientiarum primo facilis, allicit Curioſos, mox in præcipitia varia trahendos, niſi caute pedem figant, res ipſas ſerio inſpiciant, eaſque volvant, revolvantque donec perceptione gradatim acquiſita, judicij ſuperetur

difficultas. Quantum laboris pariat Methodi nobilioris inveſtigatio, ſufficienter ex natura noſtra liquet, inepta ad ratiocinandum, niſi per computationem quandam, ex additione & ſubſtractione conceptuum noſtrorum conflandam. Hi conceptus, ſæpius infidi & immaturi nominum & notarum corporearum ſunt fætus, quibus non quid ſint res, ſed quid de rebus noſtro more ſentiamus, proponimus. Artes verò & ſcientiæ alio innoteſcere modo cum nequeant, unaquæque ex illis propria ſibi vendicare debuerunt nomina, quæ poſtmodum illi arti vel ſcientiæ propria evaſere. Hæc nomina, primam ſtudiis methodicè proſequendis labem intulere, eorumque difficillimos effecere adytus, progreſſus & fines. Hærent enim in illis vocabulis, vitamque terunt literariam & ſcholaſticam plerique eruditiores Viri, relicto naturalium rerum ordine, in actione corporum, cum ſuis attributis &

cir-

circumſtantiis innumeris procedentium ad graviſſimos fines. Ardua igitur ad Methodum exactam eſt & erit via, quamdiu verbis potius quam rebus aſſueſcere nobis viſum erit.

Verba cogitationum interpretes, Mentis noſtræ judicium exprimunt; res ſunt certiſſima Naturæ indicia. Imagines Menti obverſantes, non ſemper ei perſpicaciam illam permittunt, ut clarè, & diſtinctè eas percipiat, unde error verborum à Mentis feſtinante interpretatione, quamvis rerum exiſtentia permaneat. Comparationes Mentis ſedulo operantis, à maximè cognitis magiſque perſpectis, aſcendentes ad abſtruſiora incognita, tanquam per ſcalas fiunt, ordine ac ſerie quadam conſtitutas, quibus ad ſublimiora pergit ſapientiam ſolidam petens. Lentæ & ſucceſſivæ rerum contemplationes, judicio noſtro ſeſe produnt per actiones earundem, incurrentes noſtros ſenſus, unde rei conformitas ad ſuum

activum exemplar ſemper judiciosè reuocanda, ut exinde concludat Mens confirmata per euentus varios. Varietas eventuum, corpora actualiter exiſtere per motum denunciat, ubi preſſiones differentes concretarum molium contemplatur, quæ Mentem diſponunt ad diſtinguendum objecta, per motum & quietem. Diſtinctio hæc, nos deducit ad obſeruationem certi ordinis, quem ſenſim format Mens ex copula idearum exemplarium, argumentationem verè rationalem offerentium. Argumentationes ſunt certæ ruminationes Mentis, attributa rerum ad comparationem relativam reducentes, eaque ſuas in claſſes redigentes, & diſtribuentes. Reductiones hæ tandem proferunt voluntatem coactam, ut his aſſentiatur, ab illis autem diſſentiat, inter data hæc reponens, illa abſolutè rejiciens. Voluntas ingenuæ Mentis, ſemper terminatur in poſſeſſione veri, cuius prætioſam acquiſitionem

labore impigro venatur. Veritas profert ſtabile Judicium, cum acquieſcentia noſtræ Animæ, obſervantis catenam rerum auream à Deo Naturæ conceſſam, prælucentem in operibus ejus unis ex alteris profluentibus, ſine interruptione terminorum. Hanc ſiquis viam ambiat, Methodum excellentiorem ſed difficultatibus innumeris obſitam reperiet, Mentiſque noſtræ deteſtabitur imbecillitatem, verum cognita propria humilitate, minus ſuperbè de ſe pronuntiabit, ac de toto genere humano modeſte ſentiet, ſicubi hic illeve erraverit homo.

Methodus incipit à perceptione ſenſibilium, Intellectus illam evehit ad inſenſibilia. Perceptio ope nervorum facta, ſenſorio communi offertur, cujus auxilio Menti communicatur de ea cogitanti. Cogitationes hæ, eò puriores evadunt, quò tardius, & circumſpectius rerum actiones intimiores perſpexerit, ſuſpenſo cum judicio Mens noſtra, corporeis

reis minus citò assentiens organis. Suspensio judicii, non in dubitatione mera, quamvis illa multum præcipitanti festinationi detrahat, & præcaveat cæcorum catulorum partum, sed in veræ doctrinæ amore ejusque legitima investigatione, consistit. Hic amor ingenitus nobilioribus ingeniis, natus ex gloriæ cupidine & perpetua voluntate commode & bene vivendi, nos trahit ad lucidos fulgores ex tenebricosis fumis educendos, ad beatioris Vitæ possessionem veram, non imaginariam qua vulgo uti Defectus autem perspicaciæ in Mente, eius miseriam involvens, amovendus sensim venit per remotionem falsarum opinionum nimis avidè haustarum, discussionem dubiorum & obscurorum, collectionem verisimilium, ubi defectus humanæ indolis obest, possessionem veritatum acrius reservandarum, ulteriusque extendendarum, in omnibus suis demonstrationibus.

Ex-

Extenſiones demonſtrationum, abſolvuntur per Experientias. In hiſce corporum attributa, ab actionibus hauſta, principia conſtituunt Philoſophiæ naturalis practicè ſua rerum media & fines, expiſcantis per motum. Hæ experientiæ, demonſtrativas ineunt extenſiones, convenientes Scientiis & Artibus, quarum elucidationi inſervire debent. Singulis propria adaptantur vocabula, pro rei natura obiter explicanda, unde cuivis pro arbitrio relinquuntur denominationes, modo claræ & diſtinctæ ipſas concomitentur limitationes. Limitatio illa ex naturalibus operibus ſumenda, cum interpretatione noſtrorum conceptuum, quid de iis ſentiamus, vel quid aliis demonſtrare cum iisdem poſſimus aut conemur. Ultrà poſſibilitatem naturalem, noſtri conatus extendi nequeunt nec debent, niſi phantaſmata fingere velimus inania. Licet autem, eadem libertate unicuique recedere ab aliorum verbis, ac ubique alia convenien-

nientiora eligere, prout præceptoribus Ducibus, ſecundum ſuas licuit contemplationes, hæc illave fingere & reponere. Res ipſas naturales invertere, nemini in poteſtate eſt, quicquid etiam conetur Sophiſta logiſticis armatus terminis. Veritates enim & falſitates, nullam habent relationem ad imperium Dominorum vel Magiſtrorum audacter judicantium, & ratiocinantium, ſed error permanet error, etiam millenis dicentium autoritatibus ſtipatus & antiquitatis titulo graviter ſuperbiens; ex contrario Veritas invicta ſtabit, eò majore coruſcans fulgore, quò anguſtiora occupaverit loco, ab mendacium linguarum numero preſſa.

Antiquitas, nullibi invenitur, niſi in operibus Naturæ. Hominum ſcripta, innumeræque lecturæ libri, eatenus antiquum redolent, quàtenus Naturam exhibent ludentem in ſuis corporibus planè divino modo. Hic eſt fons, & ſcaturigo ſapientiæ humanæ, non per lecturam me-

ram,

ram, ſed per concurſum eximium attributorum expiſcanda, ut exinde aliquid ſolidi, & firmi aſſequatur ſedulus veritatis Amator. Lecturam quis ſanæ mentis homo præpoſuerit inveſtigationi naturæ? niſi Metaphyſicus, & Theologus, mere inſenſibilia & ſpiritualia proſequens, ab Dei ore & inſtinctu immediatè propoſita in ſacris literis, de ſe teſtantibus. Profanæ igitur ſunt blaſphemiæ, Ethnicorum libros profanos Bibliis ſacris velle æquiparare, ut plurimi ſat flagitiosè hodienum audent. Novi nihil ab ullo proferri ipſa teſtatur Natura, ſed ea tantum aut nova verborum ſerie in ſcenam procedunt mundanam, aut abſtruſa Naturæ myſteria in lucem evocata, videntur ignaris nova. Sic plurimæ Stellæ de novo creatæ videntur, poſtquam altiſſima ex cæli nos latitante regione, in noſtrum venerint conſpectum. Sic Magnes, æque ante & poſt virium ſuarum indagationem, ferri trahendi efficaciam obtinuit, novam non acquiſivit. Novatoris

ris titulus igitur, ei competeret, cui in naturam imperium violento eſſet jure acquiſitum, quo corpora ſuſquedeque ad nutum ſuum procedere cogeret, novam ſtatuens Naturam, legibus Nouatoris ſubjectam. Verba enim res non mutant, metuſque eſt frivolus eorum, qui ſtatuunt gemere artem ſub jugo alicujus hominis, ſua ratione experimentali utentis, ſed cauda privatæ vulpeculæ aliis caudam vellent præſciſſam, invidentque Fatui aliorum laboribus, fructibuſque.

Medicina, Naturæ cogitatione acquiritur. Ejus inveſtigatio, eſt unicus Medicorum liber. Reliqui librorum Auctores, tantum valent, quantum ex Naturæ fonte lectoribus propinant, eorum Autoritas præterea nihil ponderis habet in Medicina. Actiones & attributa corporum, non in homine ſolo, ſed in aliis hominem neceſſariò afficientibus ſunt venanda & expiſcanda, pro Medicinæ vera cultura. Nomina Morborum, ſunt tantum admi-

nicula, nil facientia ad cognitionem exquisitam Medicinæ, nisi limitata distinctionibus effectuum explicentur. Enarrationes morborum, cum practicis dictis observationibus, gloriæ potius cupidine, quam Artis medicæ emolumento compilatæ sunt, in quibus non rarò falsa, dubia, fictaque veris intermixta observantur, cum maximo Medicinæ detrimento. Nulli dantur, tam fidi nec ab omni parte docti Viri, ut ipsam perspicaciam operum Naturæ exactissimè tradiderint, quin hic illicvè cæcutiverint, quod humano semper adhærebit ingenio. Ideoque Antiquiorum optimi, cum fuerint homines, errare potuerunt æque ac hodierni, unde non major ipsis adhibenda fides quam his. Omnibus autem sua concedenda gloria nullisque deneganda fides, quamdiu per naturæ leges processerint, in suis rationibus experientiæ naturali innixis, ibi enim sacra anchora jacienda.

Postquam mihi, aliqua circa medici-

nam

nam tentata, conſcribere viſum fuit, libertate humana uſus methodum non vulgarem intrare volui, ſed eam quam ipſa mihi videbatur dictare Natura. Hujus myſteria temeraria manu haud tractanda, argumenta præbent labore improbo acquirenda, fructibus ſuis nunquam carentia; ita ut multa quamvis ſint ardua, attamen pulchra intelligentibus eſſe non deſinunt. Medicus enim Naturæ miniſter, ab ejus docta poſſeſſione æſtimatur, quæ in directione actionum corporearum per medicas miſcelas elucet. Hæc directio à corpuſculis tenerrimis derivanda, veram acquirit motus ideam in fluidis, quippe ad ſimpliciorem ſtatum quam proxime accedentibus. Corpuſcularem igitur Philoſophiam ſecutus ſum, atque in hac methodo continuavi & continuabo, donec meliorem mihi quis demonſtret viam, qua facilius & brevius ad Naturam pateat iter, parum ſollicitus, quid codrus aut momus, famoſis in libellis effutiat.

Com-

PRÆFATIO.

Compendioſe hiſce in ſcriptis agere libuit, ob duas cauſas. Primo, Ne faſtidium crearem lectori, nondum ad ſimilia conſuetudo. Secundo, Ut melius retineri poſſent, data, poſtulata, & propoſitiones, memoriæ & judicio offerenda. Experimenta, ex conſulto in pleriſque reticui, ne illotis manibus ad interiora Naturæ penetralia, invita etiam vt ajunt Minerua accederent pigra ingenia, fucorum ignavorum æmula; inter quæ ſola Lectura ſi Diis placet docti, ſumma cum ratione reponendi ſunt. Facilis autem iis ſuccurret experientia, quibus Naturam divexare cordi fuit, utpote actiones ejus familiares cognoſcentibus in exercitio mutuo corporum Limitationes illorum exercitiorum relationem habentes ad certas formarum diſpoſitiones, ſunt tot demonſtrationes & exceptiones motuum & tendentiarum, in quibus ſe fatigare cogitur Phyſicus Medicus, ut ad certas claſſes redigat ſuos rerum eventus, tam in quam

collatis? Si ad hæc ſedato pectore reſpondere, eaque diluere dignentur, offerendo meliores Naturam inveſtigandi vias, pedibus in illorum ſententias ire, eorumque methodum amplecti non dedignabor.

Verba ſi inuſitatiora, hic proferam, mihi æque ac aliis hanc concedendam peto licentiam. Res non minoris evadent ponderis, ſi ad lancem experientiæ trutinentur. Ea accerſere coactus fui, quippe convenientia ſuis effectis quamdiu illa repperi, non erubui à vulgari loquendi modo diſcedere, prout in omnibus meis liquet ſcriptis. Nugatoribus hæc offendiculo erunt, non eruditis nec exaſciatis Viris, iſtos autem aſperno, hos colo, ac me meaque omnia placidæ eorum diſquiſitioni ſubijcio, ridens irritum fungorum conatum. Hanc autem peto æquitatem, ut cenſorum juſtitia tanta ſit, nihil criticæ ſuæ ſubmittere, niſi quæ clarè & diſtinctè ab ipſis percepta ſint, ex

lectura

lectura judicioſa ſæpiuſque repetita; dein me juſti arguant, non iniquo, mendaci, & ſcurrili calamo, aliquid excerpant aliquid omittant, meaque dicta & ſcripta, ingenuo non ſuo modo, proponant & interpretentur, latronum more tyrannico. Primum hunc tractatum, eum in finem reipublicæ ſacravi medicæ, ut prima inde guſtarentur initia rerum practicarum, ex quibus ulteriores Medicinæ progreſſus magis liquere poſſent, in ſequentibus fundationibus & conſtructionibus ædificii illuſtris Apollinei, à me proſequendis. Ad majorem vero elucidationem hujus tractatus, ſequentes viſum fuit meas intentiones in ſingulis hoc modo depingere, ut primo intuitu meus appareat ſcopus.

Vindiciæ Chymicæ, depellere intendunt calumnias myſochymicorum, abutentium ſua auctoritate antiqua, vanæ impoſturæ innixa. Illud demonſtratur ex ipſis adverſariorum ſcriptis, rei natura;

& per chymicorum naſcentem gloriam, meritis non gratis acquiſitam. In hiſce etiam, venerandæ non infimæ fortis viri tanquam homines erroribus ſubjecti, non tanquam dii proponuntur, ne lectores ſub jugũ venerationis & adorationis miſſos trahant, ut quibuſdam placet nugatoribus. In quo caſu, artem nobilem, ab ignobilium temerariis auſis ſalvare non ſolum volui, ſed homines ad libertatem veramque doctrinam evocare quantum in me eſt conſtitui, abſque ullo quod ſciam aliorum opprobrio.

Chymiæ comparatio, ponderatione varia, expendit artes medicinæ neceſſarias. Naturæ opera, per artes eſſequenda, ibidem judicioſæ cenſuræ ſubijciuntur, ut artis Chymicæ honori, nec aliarum debitis encomiis quantum poſſibile nihil deſit. Quid medicina, quid natura, quid Chymia tentent in ſuis operibus, quid phyſicæ poſſint contemplationes, quid Anatomia depingat, quid

mathe-

matheſis ſolidi demonſtret, quid praxis poſſit, hic obiter delineatur, non perfecte deſcribitur in omnibus ſuis circumſtantijs. Concluditur autem, circa neceſſariam fluidorum inquiſitionem, quoniam natura in ſuis operibus à fluido inchoat & per fluidum pergit ſtatum, in ſuo principio, medio & fine.

Philoſophiæ medicæ breviſſima delineatio, diſponit animum medicum, ad methodicam illius ſtudii perceptionem, ſecundum corporum graviorum leges. Hac in parte, nil minus volo quam contemplationes phyſicas, nec animus eſt deſcribere integrum ſyſtema philoſophicum, nec ad amuſſim omnes depingere motus intendo, ſed ea tantum trado quæ nota & familiaria ubivis occurrunt, in praxi medica. Deviare igitur debui, à Phyſicorum ſectis hucuſque cognitis, ne cum iiſdem motus ſuperiorum nimis abſtractæ intuens, cæcutirem in pleriſque inferioribus, in quibus noſtra viget

machina. Hac autem methodo, dignas non detraho philoſophis palmas, quibus facile ſuas relinquo, dummodo non invideant aliis ſua conamina, improbo labore digeſta. Particulis ſeu corpuſculis tertii elementi, craſſioribus ſcilicet reſpectu ſublimiorum, forſan craſſa nimis Minerva, omnem adſcripſi impetum motus aliunde ſuſcepti, tranſitorium tamen ad mutuas reactiones in occurſu fluidorum. Ex quibus dein, variegationes tendentiarum deduco, ad ſuos fines neceſſario eventu obtinendos.

Sanitatis Theoria, contemplatur hominem in ſuo ſtatu vegeto. In ſanitate actiones blandæ, magiſque propulſivi quam inteſtini motus conſiderantur, hi autem leves tantum apparent, non gravi tendentia fines ſuos aſſequentes. Modificationes humorum, in ſuis elaboratoriis reſenſcentur, eorundemque miſcelæ mutuæ quid proferant deſcribitur. Relativæ actiones, ex appulſu & inſinua-

nuatione aliorum corporum oriundæ, in noſtra machinæ affectione viria, expenduntur & proponuntur. In hac etiam doctrinam naturæ ſecutus, ab ovo & ſemine vivificante exordium ſumo, ubi in tenellis ſolido-fluidis corpuſculis, prima obſervo diſpoſitionis mechanicæ & motus determinati rudimenta egregia, eouſque duratura, quamdiu regiminis moderamina, penes ipſas perſtabunt ſolidas partes rite conſtructas, balſamico humore nobilitatas. Anatomicas autem obſervationes ſedulo omiſi, ne falcem meam in alienam meſſem immittere aliis videar, quamvis eas magni ponderis æſtimem, & abſque iis Medicina manca foret, ſed hanc ea in parte verſatiſſimis Viris ſpartam colendam relinquo, meis contentus pomœriis. Si vocabulis non ſemper medicis utar, veniam facile mihi impetratum iri credo, ab æquis rerum, non verborum, æſtimatoribus. ubi viderint me ipſas fun-

ctiones corporis humani, non omnes pede prèſſo velle ſequi per ſingulas minutias, ſed eaſdem principes tantum facultates, ſenſui & motui imperantes & miniſtrantes. Haſce operationes, conſueta actione naturali proſequi mihi propono, non diu nec anxie in contemplationibus hærens, quamvis hæc & reliqua extenſione ampliſſima ornare potuiſſem. Verum intendi hæc via. Methodicè leges Naturæ demonſtrare abſque ambagibus; tam in ſanitate, quam in Morbis & remediis.

Theoria morborum, functiones proſequitur læſas Oeconomiæ humanæ. Ipſas morborum denominationes nullas trado, niſi eas quas ab effectis ſortiuntur. In hiſce, quamvis à Practicorum methodo declinare viſus fuerim, attamen hanc ab ipſis utplurimum calcari res ipſa demonſtrat, in eorum Morborum deſcriptione illis uſuali: Sic omnes Morbi definitiones ab effectis, id eſt à poſterio-

ſteriori proponuntur, cum à priori cauſas rerum non poſſimus deducere, ea in parte cæcutientes, ut in præcedentibus indicavi. Ex: gr: Pleuritis, eſt dolor lateris punctorius, cum reſpiratione difficili, tuſſi, febre continua, ſputo nunc cruento nunc purulento. Omnia autem hæc effecta poſſunt adeſſe, membrana ipſa illeſa, ut ſæpiſſime cadaverum inſpectio Medicos edocuit, ſingula etiam effecta occurrunt, in plurimis aliis morbis. Medicus enim, in auxilium ægri, non ſani, advocatur, ubi adſunt præſentia morborum effecta, ex quibus ſuam carpit notitiam medicam, gradatim ab inferiori loco, morbi principium, medium & finem contemplans, eaque cum aliis comparans, cauſas ſæpiſſime abſtruſas, incertas, imo ignotas, tandem pro notis fingit & ſumma cum ratione per experientiam ſolidam judicioſè concludit, quid ſit ſperandum, metuendum, agendum. Eò magis hanc

ample-

amplexus methodum fui, quò judiciariam tyronibus nullibi faciliorem posse tradistatuebam; ingenue enim confitendo, Præceptorum & Magistrorum, sibi & aliis arroganter imponentium, superba est vanitas altum velle sapere, ubi de natura tanquam de re perspecta humanæque sapientiæ subjecta differunt gloriolæ avidi. Non foret ipla Medicinæ tam curta in scientiis supellex, nec remediorum frequentiores infidi successus, nec pharmaceutices tanta dissensio, nec de operationum modo & eventu tantæ inter Medicos rixæ & lites, tam quoad Morbos quam remedia Morborum, passim occurrerent, si ab primis causis, effectuum futurorum scalam dimetiri & conscendere, cum ente nostro cogitante nobis liceret, sed hæc nondum liquent.

Effecta & distributiones classium generalium Morborum, absque ordine certo recensui. Impossibile enim est, hæc ita disponere secundum leges quas-

dam, ipſa natura viam non monſtrant, ubique in aliis ſibi ſimilem; claudicans enim in hac parte Vulcanus, id eſt motus, conſpicitur. Ideoque hæc, cuicumque viſa fuerint melius digerere, ei hoc integrum eſto. Plura potuiſſem collexiſſe ſymptomata, morbos ipſos concomitantia, vel ex ipſo Morbi motu prodeuntia, ſed ea reſervare propoſui, ad ſequentes Morborum hiſtorias, in ægrorum motuum tendentiis, exarandas. Effecta enim progredientia in ægro corpore, ſunt tot tempeſtates noſtri microcoſmi, ignem ſpiritualem & Aerem commoventes, ad quarum nutum reliqua percelluntur fluida, & quibus tandem parere coguntur ſolida. Hæc illuſtrata & nota, conſtituunt prudentem Medicum, ipſumque diſtinguunt à medicaſtro quovis, quemadmodum prævisæ tempeſtates Nautis prudentioribus minus nocent, ſic & Medicum honeſtant præſagia & directiones, ex hiſce hauſta

& ad uſum nobiliorem tracta. Unde ad effecta, ſuis tamen cauſis phyſicis annectẽda prius ducere Lectores auſus fui, ut poſthac ad ulteriora facilius pateret iter.

Difficillimis hominum ingeniis hæc placitura an diſplicitura ſint, parum mea refert, modo injuſtè non judicent, ſed ſtatuant me hæc elaborantem gloriæ faſtu, inuidia & odio caruiſſe. Quænam enim inde ad me hucuſque redundavit gloria? aut quiſnam exinde honos affulſit publicus mihi ſcribenti? quæ emolumenta loculos meos replerunt, ex ſtudiis & laboribus meis, publicum in commodum divulgatis? Nulla profecto, inde reportavi ſpolia, niſi propitium Dei ter optimi maximi favorem, me ab inſidiis nequiſſime ac maledicentis turbę defendentem & præcaventem, illiuſque impios conatus eludentem, & quædam honeſtiorum ac Doctiorum Virorum encomia. Veritatis igitur eruendæ ardor, inſerviendi proximi amor, divini Natu-

ræ luſus cupido, me ad haſce, tenues quamvis, lucubrationes, in lucem edendas coegerunt. Si lectio lecta placeat, in hoc exiguo volumine, decies repetita forſan placebit magis, ubi illa monita, ad lancem experientiæ, ad opera Naturæ, ad functiones noſtræ Oeconomiæ, ad operationes Morborum, ad reactiones medicamentorum, non falſas & fictas, ſed naturales, ſedulo comparata & in ſuis circumſtantiis dilucida inveſtigata fuerint. Siquid male repoſuerim minuſque Naturæ operibus ratiocinia & experimenta conſona obſerventur, illa non ex autoritate aliorum, nec ex venerandis Antiquorum ſcriptis, exquirenda & refellenda veniant, ſed ex veriſsimis & antiquiſsimis Dei & Naturæ operibus, quibus me fragilem erroribus obnoxium, ſapientię admiratorem, non poſſeſſorem, totum quantum devoveo & ſubjicio, reliquas ſpernens mundanorum calumnias, tergo meo affrictas vel affricandas.

NOI

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAuendo veduto per la Fede di reuisione, & approbatione del P. F. Raimondo Asperti Inquisitore nel Libro intitolato: *Iacobi le Mortij fundamenta Nou-Antiqua Theoriæ Medicæ ad Naturæ opera reuocata*. Non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza à Gabriel Hertz Stampatore, che possi esser stampato, osseruando gl'ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 12. Giugno 1702.

(*Gio: Lando Cau. Proc. Ref.*
(*Sebastian Foscarini Cau. Proc. Ref.*
(

Agostino Gadaldini Segr.

CHYMIA VINDICATA

In gratiam Naturæ Curioſorum Divulgata.

Viri Experientiſsimi.

Silentio me nimis alto detentum, vos dolere, ac pænitere, tam ex literis ad me datis, quam ex familiaribus colloquiis & ore mandatis percepi. Vos urgentes hac in rè video, magnis illis copia & authoritate prævalentibus, Viris, inſidioſe & mala fide inſurgentibus, contra Chymiam, tandem obviam eſſe eundum. Si deficiam, ſtatuitis non meam, ſed omnium cordatiorum, rem agi: quorum defæcatus à ſordibus animus, iniquæ ſervitutis jugum dejecit, amplectendo Naturam ducem, & abhorrendo Dominorum in animam & corpus imperium. Judicii enim libertatem, naturæ inveſtigationem, ejus admirandas operas proſequendi, ac publice & privatim proponendi fiduciam, ſublatum hoc modo iri, veremini. Uno verbo vos gentilibus Diis Apollini & Æſculapio, eorumque fidis mancipiis Hippocrati & Galeno, ſubjiciendos alte deteſtamini, mea hac in parte auxilia ſerio inclamantes. Sicco pede

tranſeo, de publicis ſcholis monita, hæc enim illis relinquo quibus Æthiopen lavare libet, ego practicis aliiſque negotiis detentus utiliora peto, mittens illa vadere ut volunt, ea in parte non ſollicitus.

Silentii mei cauſam tradere, nimis longum foret & tædioſum. Saltem hac in parte meam agnoſcent modeſtiam, & ad rixas tarditatem, quoniam ſæpius provocatus tacui. Si quis autem iniquus mei æſtimator, hæc puſillanimitati attribuat, is eodem jure, (ſit venia comparationi) moloſſum meticuloſum pronuntiabit, à catulo allatratum, non retroſpicientem. Diſtinguo enim inter opponentes, aduerſarios & ſcurras, eos qui publice & privatim alicui contradicunt, vel ſpecie reformationis ea proferunt, quæ alio modo vel intellecta vel interpretata fuere, ab ipſis vel aliis eorum præceptoribus, vt ſuccurrant ſapientiæ humanæ, aut propriæ authoritati. Si vero examini accuratiori ſubjiciatis, pleroſque in hoc mundo ſcriptores, eos fere omnes ſibi gratulantes, ſuiſque ſectis & ſtudiis unice faventes reperietis, omnibus aliis deſpectis. Si cuivis ſcientiæ aut arti vacantes inſpexeritis, unuſquiſque aut Patronum aut Genium ſuum invocantem obſervabitis, reliqua illis inferiora ſtatuentes. Ardor invidiæ & odium his præſuppoſitis accedentia, ubi ſe ſe in oblivionem & paupertatem redactos à melioribus vident, quæſtui id ſolum ſibi vindicant, ut male de iiſdem loquantur. Hac enim via ſe emerſuros, ſibi ipſis ubi promittunt, calumniando audacter, veritatem ſcurriliter occultando, mendacia perfricte obtrudendo procedunt.

Quam-

Quamdiu igitur tales repperi, in hac ciuitate, eo talo ſtantes & procedentes, infra meam iram eos poſui, nec ulla reſponſione dignos cenſui, utpote nimis tenues, & à fida relatione ac ipſa veritate alienos Viros, in eorum publicis, præteritis ac præſentibus, contra meam perſonam & publice ſæpius edita ſcripta invectivis. Quorum nimis aperta mendacia, & malignæ detrectationes, ex collatione meorum cum illorum exſcriptis ad oculum unicuique patent & ipſos ſufficienter refellunt, ac ad ruborem reducerentur, ſi erubeſcentia ipſis virtutis locum adhuc aliquem ſupereſſe deſignaret. Profecto major fides pietaſque Viris adeſſe deberet, talia caſtra ſequentibus.

Meas igitur privatas partes, Deō ter Optimo Maximo, Veritatis & Naturæ cultoribus æquis tuendas relinquo, hiſce amicis contentus, cætera contemnens mundana flagitioſo corde acta: Tanto magis quietus illaque ſpe fretus incedo, tranquillam mihi reſeruans mentem, mediis in fluctuum alliſionibus, intrepidam, quoniam nullius odio flagrans, nec livido invidiæ ſtigmate defædatum cor poſſidens eam, quam mihi Deus & amor Proximi, ſpartam ornandam impoſuere, pro viribus excolo & orno. An illis hucuſque faverint Jehovæ benedictiones conatibus, abunde hiſce & vicinis incolis innoteſcit, magnorumque Virorum applauſus non mediocres in mea Praxi, frequentiſſimæ Auditorum, ac Civjum academicorum, ad meas Ædes, confluentiæ, inimicorum impotens ira, horumque Deo auxiliante irriti hucuſque conatus, illud evincunt. Itaque, per me licet, ipſis cum mendaciorum

tiorum Patre ſit conſuetudo, ringant os, ilia rumpant, bilem evomant, me intrepidum ferient. Hiſce enim impiis conatibus, annuentem nunquam, ſed reſiſtentem acquirent male invocatum Jehovam.

Tranſeo ad ipſam Medicinæ ſcientiam & artem, ejuſque inſtituendi, proſequendi & evehendi methodum, cujus obtinendi & proponendi rationes diuerſas, imo quot capita tot ſenſus video. Profecto antiquarii, omnia antiquis nota ſtatuunt, eoſque non ſolum Duces ſed Dominos agnoſcunt, juniores ex contrario vix illud admittunt, imo pernegant, quicquid etiam cereo modo & voce ſtentorea in contrarium afferere ex obtrudere conantur, veteranæ militiæ medicæ addicti. Unum autem hoc reſtat, ab utrisque conceſſum, Medicos eſſe Naturæ Miniſtros. Frequentiſſima enim Naturæ vocabula, in ore utrorumque verſantur. Eam igitur quam maxime obſervandam ac dignoſcendam, nemo homo Medicus negabit, ſed eum eſſe optimum Medicum, cui naturæ penetralia fuerint optime perſcrutata, ambo concedent.

Naturæ vocabulo, quid deſignent non ſemper tradidere; unde ex eorum ſcriptis tantum colligere licet, eos motum corporum, variaſque tendentias eorundem, & certas figuræ corporeæ determinationes ſolidas ſub intellexiſſe. Natura igitur univerſaliter ab iis conſiderata, phyſicorum contemplationibus ſubjecta exſtitit, in qua certis regulis & legibus illam perſtringebant, ac auditoribus ſuis obtrudebant hanc, veluti nudam Dianam viſcendam. In hac ſpeculatione ardua, miris modis homines ingenioſi ſe torquentes,

tes, naturæ frænum injicere tentarunt, illique ad præscripta sua ire, quantum possibile, dictis suis, coegerunt. Hinc sectarum Philosophicarum turmæ, origine non ignobili, nempe ex cerebro humano, instar tot Palladum, profluxere. Sed vix perstantes illæ, egregia ratione, si. Diis placet, stipatæ scientiæ, una cum suis Authoribus & assectis, brevi, succubuere, quam primum è luto meliore ficti, illa examini graviori subjicerent prolata siculnea argumenta physica.

Sæpius autem demiratus sum, doctissimorum mundanos lusus, ubi in scientiis & artibus, gravibus ac vere sapientibus argumentis suffulti, in scenam procedunt, theoreticas suas contemplationes proferentes, illos ad praxin nunquam accedere, nisi tremula lingua & infirmo talo. Testes erunt omnes vere docti habiti & encomiis, ea in parte, suis ornati, ut Baco Verulamius, aurea præcepta tradens, maximus illorum neglector. Sic enim proponit in distributione sui operis, circa novum scientiarum organum, *Nam huic nostræ scientiæ finis proponitur non ut argumenta inveniantur sed Artes; nec Principiis consentanea, sed ipsa principia; nec Rationes probabiles, sed designationes, & indicationes operum.* Ulterius pergit *in eo esse labōrandum, quod non tantum ex Mentis penetralibus, sed etiam ex Naturæ visceribus extrabitur. Sensus enim fallunt utique, sed & errores suos indicant; eo enim rem deducimus ut sensus de Experimento, Experimentum de Re indicet. Itaque omnia Artium Mechanicarum, omnia operatiuæ partis liberalium, omnia Practicarum complurium, quæ in Artem propriam non coaluerunt, Experimenta perscribimus, quo-*

niam Natura Rerum, magis ſe ſe prodit per vexationes Artis, quam in libertate propria. Homo enim Naturæ Miniſter & Interpres, tantum facit, & intelligit, quantum de Naturæ Ordine opere vel Mente obſervaverit, nec amplius ſcit aut poteſt. Qui enim, ſecundum eundem, de Natura tanquam de Re explorata dicere auſi ſunt, ſive hoc ex animi fiducia fecerint, ſive ambitione & more Profeſſorio, maximis illi Philoſophiam & Scientias detrimentis affecere. Ut enim ad fidem faciendam validi, ita etiam ad inquiſitionem extinguendam & abrumpendam efficaces fuerunt. Neque tantum virtute propria profuerunt, ſed, quantum in hoc, nocuerunt, quod aliorum virtutem corruperint & perdiderint. Geſtit enim Mens exilire ad magis generalia, ut acquieſcat; & poſt parvam moram, faſtidit Experientiam: præſtat autem Naturam ſecare, quam abſtrahere, & demonſtratio longe optima, eſt Experientia. Rerum vilium ut & vulgarium contemptum, eſſe temerarium & damnoſum albi tradit, imperiumque in naturam, hoc modo nunquam acquiri.

Hæc Vir, Nobiliſſimus ſublimia petens, aureis characteribus ſibi alliiſque exhibens, ad praxin tranſiens poſtulatorum obliviſcitur, aut ſaltem male in uſum ducit, ea ubi immediate talia profert. At etiam in hoc genere non prorſus ceſſavit induſtria humana, hoc ipſum enim innuit ſeparatio corporum ſimilarium per deſtillationes, & ſolutionum modos, ut diſſimilaritas compoſiti, per congregationem partium homogenearum appareat. Mox vero dicti penitens ſubjungit ignem corpora confundere, ita expreſſe monet non per ignem Chymicum certe; ſeparationem eſſe faciendam, ſed tranſeundum à Vulcano

cano ad Minerſam . Hæc , odio Chymiæ flagrans , paſſim inculcat , quæ ulterius proſequi non libet . Quomodonam Vir cætera eximius , artis hujus ignorantiâ palpaverit , in ſuis de calore & igne traditis abunde liquet , vbi de flamma ſpiritus Vini agit , eam nominans lenem & clementem , imo molliſſimam inſtar ignis fatui , cum ipſa etiam duriſſima liquet metalla & vitra fundat . Sileo de ipſis Experimentis Chymicis paſſim ab ipſo invocatis , in ſuis inductionibus & inſtantiis , ubi malitioſe ſuos detrectare videtur Chymiæ honores , nempe in ſolutionibus ferri & ſtanni calidis , in effectis fortium vitrioli , ſulphuris , aluminis ſalium ; in ſpiritus vini bene rectificati operationibus calidis , ſuper albumen ovi & panem ; in Calcis vivæ actionibus , &c. Quæ omnia ſufficienter demonſtrant , eam ipſi cognitam & privatim invocatam , publice autem deteſtatam fuiſſe : forſan quoniam eo tempore male audiebat , ab ejus perſecutoribus Galenicis , prima ſub ſellia prementibus . Plurima etiam ſunt , in illis inſtantiis tradita , quæ experientiæ contrariantur , & quorum ſucceſſus admodum infidus & dubius exiſtit , quæ brevitati ſtudens omitto , eum enim refutare non propoſui , niſi quoad Chymiæ contemptum.

Celeberrimum Carteſium , Chymiam odio non habuiſſe patet , ex ejus querela , quod ipſi pro hac arte comparanda , tempus & ſumptus deficerent , tædio habens ipſum in hac parte cæcutire . Hinc miſerrimos , ac tanto Viro indignos , paſſim in ſuis libris commiſit errores , circa ſalia , ſulphura , ſpiritus , reliquaque chymicis experimentis hodie in contrarium demon-

ſtrata, ut & in motum ſpecialium definitionibus, actionibus & reactionibus corporum ſolido fluidorum ſe mutuo afficientium. Hæc ad oculum demonſtrare, ſtudio & amore Veritatis, haud Nobiliſſimi illius Viri Odio, mihi conſuetudo plurima in privatis Exercitiis eſt. Ejus enim monita dubitandi de omnibus, ipſum illis legibus non ſolvunt, nec ejus ſcripta tanti ponderis, ut pro abſolute veris haberi queant, quamdiu Experientiæ & Naturæ non concordent ejus tatiocinia.

Ejus autem ſecte pertinacius addicti, ipſum reverentius colentes & admirantes, infenſiores videntur Chymiæ hoſtes, quamvis plurimi vocabulis motum particularium è Chymiæ fontibus petitorum abutantur, ut fermentatione, efferveſcentia, &c. quæ aliis ſano, ut loqui amant, ſenſu obtrudunt, quamvis nil minus in natura corporum eorum appareat; quod patet in noſtro ſanguine, lympha, ſero & ſimilibus noſtri corporis humoribus. Ulterius autem pergit is, qui cenſoria virgula Scientias & Artes perſtringens, oratione publica, de Medicinæ ſtudio inſtituendo, ne mentionem quidem de Chymia injecit, aperte maximum in hanc artem odium demonſtrans, cujus vilipendio omnimode laborare videtur. Forſan ob experimentalium demonſtrationum nimis ſordidam & humilem ipſi viſam viam, illiuſque in Naturam jam occupatum, multis abhinc annis imperium. Sed hæc tranſeant cum cæteris erroribus, nimis hominem redolentibus.

Natura ſpeciali determinationi ad certum corpus ſubjecta, nullibi magis exculta fuit, quam

in

in machina humana. Hæc prouincia Medicis demandata, ſecundum illud proverbium, ubi Phyſicus deſinit, ibi incipit Medicus. Medicina igitur hominem reſpiciens, eum intuetur tanquam Naturæ partem nobiliorem, ſuis legibus motus & quietis utentem, reſpecto determinatæ conſtructionis fluidorum & ſolidorum, hanc machinam conſtituentium. Cum autem corporei motus ſint concatenati in hoc mundo, una protrudentia alia conſpicimus, abſque ſeriei interruptione, ideo abſolute homo non ſolus, ſed cum & per alia movetur corpora. Hæc ipſum afficientia, viciſſitudinis leges ſubire eum cogunt, unde perpetuæ alterationes per totam ſuccedunt vitam. Naturales eas vocant perſtante ſanitate, præternaturales nominant invadente morbo, relatione habita, non ad univerſum, ſed ad hominem ſolum collabaſcentem. Exinde ut ſuccurratur injuriis motum, in ſtatu ſano alimentis reſtaurantur jacturæ, in ſtatu morbido occurrunt remedia oppoſita motui devianti. Utraque aſſumenda, omne ſuum abſolvere opus videmus, per ſolutionem fluidam & mobilem corporum ingeſtorum, Ex contrario obſervamus, fruſtrà ea exhiberi indiſſoluta permanentia, vel perverſam ſolidam miſcelam & figuram acquirentia in prioribus viis. Adeoque ſanitatis, Morbi, imo Mortis ipſius variationes in noſtra vita, dependere à debita conformatione ſolidarum partium, ex fluido tamen ortarum, & naturali liquatione & propulſione fluidarum. Illa omnia videmus foveri & nutriri per calores Solis, ignis & per influxus Aeris & motus inteſtinos calidos aſſumtorum, quibus

bus deficientibus noſtræ deficiunt vitales Auræ.

His addendæ ſecretiones neceſſariæ, partium hæterogenearum dictarum, quibus carere homo, per totum vitæ curriculum, nequit. Partes enim aſſumptæ, quamvis omnes in alimentis homogeneæ ſtatuerentur, quod impoſſibile, attamen per motum colliſionis, frictionis & attritionis, in varias ſecedere coguntur partes à ſe invicem diſcrepantes, præſertim nimium fluidas & ſolidas tales, quæ machinæ ſuſtentandæ ulterius inutiles exiſtunt. Has ſubtiliores fluidas per cutis poros tranſpirare, & per os exhalare vnicuique patet, craſſiores per urinam excerni & ſalivam vulgare eſt. Solidiores fæces per alvum exonerari quotidie experimur. Dari etiam alias, ſed minorem fæcum abundantiam præbentes hic illic vias, perpetuo obſervamus, ut in auribus cerumine infectis, in capitis furfuribus, in cutis ſordibus. Quibus rite ſeſe fluido modo exonerantibus, corporis bonum experimur habitum, ſecus retenta; vel copioſius ſecreta, vel depravata, ejus malum enaſci ſtatum videmus.

Humores noſtri corporis fluidos, non unos, ex uno tamen fonte derivatos agnoſcimus. Horum differentiam agnoſcere certa vaſa, vaſcula & vaſella minima, pro ſuis hoſpitiis & elaboratoriis, ad oculum manifeſtatur in diſſectione animalium. Ipſas exinde profluere miſcelas neceſſario reperimus, ob vaſorum illorum continuitatem & contiguitatem, in quibus indefeſſum exercere coguntur liquida contenta curſum. Has miſcelas modificationis, alterationis ac ſeceſſus varii eſſe authores, ex ipſa corporum natura patefit, quas agitationes blanda & leni propul-

ſione

ſione in ſanitate, feroci ſæpius motu inteſtino & gravi in ægritudine, procedere nimis perſentiſcimus. Accidentia humorum manifeſta, ſæpius in ipſa non admodum periclitante ſanitate, diverſa affulgere, etiam vulgo hominum palam fit, in paſtu, exercitiis, animi pathematis, aeris inconſtantia, &c.

Corporum ſolidorum ſitum, ordinem & texturam mirifice variantem, hic non proſequar, ſufficiunt enim hæc à fluido enata & producta conſideraſſe, & nunquam ab aliis niſi fluidis conſervari & nutriri, imo eadem in mere fluidas particulas poſſe reſolvi. Eorum etiam conformationem quandam, naturæ illi congruam, requiri, ut ſufficiant ſuſtinendis arietationibus tam fluidi interni quam externi illic appellentium, ut ſimul etiam præcaveant Chaos, ſeu confuſionem univerſalem humorum, ac tandem ut in theculis ſuis abditioribus reſervent balſamiſcas vitæ noſtræ particulas, ſenſim ac ſenſim inſtar auræ vitalis aliis humoribus communicandas, ad conſervationem legum noſtræ Oeconomiæ. Quod abunde teſtantur Nervi, Membranæ, tendines, Medullæ oſſium, glandulæ, tunicæ vaſorum ſuis etiam vaſculis & eſſentialibus, ut ita loquar, humoribus ſcatentes, &c. Hæc igitur male diſpoſita, ad nimiam ſoliditatem vel raritatem redacta, pervertere craſin humorum, impedireque vitæ noſtræ beatiora munera, quotidie experimur.

Hæc breviter de Homine medice & Phyſice proſequendo, præmittere volui & debui, ut ſtatum controuerſiarum medicarum eo melius, abſque ullis partium ſtudiis proponere, & quantum in nobis eſt, calumnias Chymicorum tergis af-

fictas

dictas dilvamus, & adverſariis meliorem mentem procuremus. Studium enim conſervandæ ſanitatis, Medicis incumbere debet ſana mente præditis, & quoſcunque Jehovæ amor detinet, illos nec mendax vulgi turba, nec terriculamenta ulla movent, ſed veritatis ſtudium & ſapientiæ ſublimioris ardens inquiſitio movent & promovent.

Omnes hucuſque controverſiæ medicæ, quammaxime ventilatæ, in ſequentibus verſari videntur. A parte Antiquariorum, liceat mihi hoc vocabulo uti, abſolute ſtatuitur Medicinam veterem eſſe meliorem moderna. Unde primo lecturam Antiquorum Medicorum, ſummis viribus, commendant, & inculcant ſuis Auditoribus & lectoribus, quibus, ut ajunt, omnia vel ſaltem neceſſaria pernota fuere quæ medicam ſpectant artem, & ex quo puriſſimo fonte dulciſſimæ bibi ſolent aquæ. Dein ad eorum primam & unice neceſſariam normam, medicinæ vlteriorem inquiſitionem & prouectionem eſſe dirigendam, ſecus ſi faxint conclamatum ac proſtratum iri Medicinam, ſuis fundamentis deſtitutam. Tandem altè conqueruntur de novatoribus, ac deterrent auditores ſuos ab eorum converſatione, lectura, auditu, utpote quaſi in perniciem Medicinæ natorum & conſpirantium. Hos fædiſſime delineatos, tanquam homines impios, deteſtandos, ubique delendos proponunt, ſaluti humanæ imo rectæ rationi adverſantes. Eos poſtmodum Chymicos, ſpeciali denominatione, exclamant, ciniflones, fumivendulos, impoſtores, dracones terræ in ſtragem hominum natos, mâgos, veneficos, ac mille aliis impotentiæ animi

ſignis

ſignis deſignant, ut patet in Paracelſi fædis encomiis, ab adverſariis illius editis. Moderni autem Chymiæ adverſarii Medici, modeſtius ſed æque ſeuere & conſtanter in ipſam invehi ſolent, gemere enim Medicinam, inſtar Eccleſiæ ſub jugum preſſæ, ab Chymicorum conatibus ajunt, quoniam omnem fere medicam ſapientiam ad ſuos furnos revocare videntur. Chymiam eſſe partem Pharmaciæ ſtatuunt, adeoque medicamentis parandis tantummodo utilem, in quibus aliquando feliciter res ipſis ceſſiſſe fatentur. Sed extra oleas illam vagari, ubi practicis negotiis regulas præſcribere audent ejus Patroni, ac in peſſum ruere omnia antiquitus gloriosè ac ſtrenuè acta Medica, illorum ſcriptis, Authoritatem, dignitatem & famam tantorum Virorum labefactari eorum inſultibus; tandemque futurum vt in oblivionem cadant gloriæ tantis laboribus comparatæ, tot ſeculis à corruptela reſeruatæ, tot commentariis illuſtratæ. Uno verbo, ſtudii medici ruinam imminere, niſi illis audiant monitis, & actum fore de ſanitate Animæ & Corporis, niſi deſiſtant ab illis inquiſitionibus prudentiores facti Medici.

Ad hæc reſpondeo, à lectura deterritos nunquam audivi Chymicos, nec ipſos deterrentes alios unquam obſervavi, ideoque culpæ illius vacant, niſi contrarium demonſtretur in eorum ſcriptis. Si autem eos antiquos, homines non divos conſideraverint, illud, ſaltem à ſanioribus non in opprobrium verti poteſt talibus, quibus cordi ſemper fuit ad cotem & lancem Naturæ operantis, hæc ab iis propoſita examinare & ſubjicere, ut vera à falſis, dubia ab evidentibus,

para-

paradoxa à vulgariter admiſſis diſtinguerent. Ea enim methodo, honos & gloria ipſis accreſcunt non decreſcunt, ſi veritatis naturalis tramite ubique eos procedentes videant ruſpatures. Naturæ impigri. Sin tanquam homines erraverint, an cum ipſis errare imprudenter nobis licet, authoritate antiqua munitis? An illud ignominioſum eſt illis & nobis, ubi ea Naturam ſecando aſſequimur & in lucem edimus? Fateor modeſtè, hæc eſſe denuncianda, ab inventoribus etiam hominibus, ſed eadem modeſtia & manſuetudine excipiendi, & animandi eſſent, labore impigro cum ſudore procedentes inventores, ſed non vituperandi & mendaciis obruendi, multo minus deterrendi, ut hactenus factum.

Structuram Ædificii medici ornatiſſimam admirantur, eamque à nobis vix imitandam deſcribunt, ob amotas ſcalas aliaque inſtrumenta, quibus antiquitus uſi fuere, in illius fabrica & ornatu, in tantum culmen educendis. Hinc inquirendæ illæ viæ, illa inſtrumenta congerenda, illæ machinæ miniſtrantes adaptandæ ſunt à nobis junioribus, ut non amplius inſtar puerorum permaneamus in mira & mera contemplatione Alitis Junonis, id eſt, illius Palatii Medici. Sed eorum conſenſu, hæc adminicula ſublata ab iis, ſtructura tantummodo nobis relicta. Si igitur illud ruinam admitteret, an clamore & querelis reſtitui poſſet, an vero inſtrumentis, & quibus (ſed æternum abſque dubio illis cenſebitur. Quæſo, ut mihi aliiſque igitur demonſtrent, quid ulterius ſit agendum ſapientiæ Medicæ ardore flagrantibus. Lectura illud nunquam patefiet, divino inſtinctus opus eſt, hæc ſi quis divi-

nare

nare velit ex ſola voluminum evolutione, in quibus ſtudio videntur prudentes Antiqui ſua myſteria occultaſſe, ne divulgata contemptui, non admirationi haberentur Concedamus Antiquis plurima perſpecta fuiſſe, hodieque nil aliud creari, à doctioribus Viris quam novo antiqua, magis nuda in lucem, aliis vocabulis ornata procedere. Sed undenam illud liquet niſi ex fedulis Naturæ inquiſitionibus, fidis illorum doctrinæ antiquæ interpretibus, unde nihil tantis nominibus detrahitur, ſed potius quam plurimum accedit gloriæ, ſed dividendæ cum detectore magis Antiquis illis ſincero. Siquis autem hæc detegere poſſit abſque illis armis, cur in campum non procedit ſtrenuus pugil, & ſuas demonſtret conatus, ſaluti humanæ conſulens.

Ex antiquis, Hippocratem Coum, ſummum eo tempore in Græcia virum, tanquam divum colendum, vix ac ne vix quidem adorandum, intuentur. Ejus Aphoriſmos, tanquam oracula medica ſuſpiciendos, protrudunt, de quibus ſiquis dubitet, perjurium eſto. Verum ſalva authoritate tantorum Virorum, ipſarumque Manium honore illibato, in aphoriſtica illa congerie divina nulla reperio, ſed naturalia, eaque ſæpius feſtinante calamo & mutilo judicio tractata. Hæc autem non gratis à me dicta eſſe, Galenus aliique ipſum corrigentes in plurimis, antiquiores Viri, illud paſſim in ſuis demonſtrarunt ſcriptis, quibus Chymia nunquam pro lege fuit. Cur illi non tanquam perfidi, à talibus declamati fuere? nam inſurrexere contra verba Præceptoris tanti. Si Aphoriſmi tam clari & diſtincti ſunt, cur tot indiguere interpre-

tibus

tibus commentantibus, ut in volumina excreverint ipsa comentaria super Aphorismos, quæ oculatissimam patientiam defatigarent sola inspectione. Taceo de eorundem versionibus, differentibus pro Medicorum transferentium captu, ut unicuique cerni datur in diversis linguis.

Non is sum, qui deletos illos vellem, neque ullus Chymicorum, furnos suos præposuit Aphorismis, sed ex contrario illos antiquitate venerandos & lectione dignissimos statuit, sed commentatores sola authoritate sui cerebri innitentes eorumque meros admiratores, non tanti æstimo, ut eos sequendos censeam. Quoscunque autem generosus inquisitionis ardor stimulat, per experimenta naturæ eos non sugillant nec obtrudunt, sed eosdem defæcatos tradunt.

Si ulterius pergat æquus rerum contemplator, suspicionem malignitatis adversariorum reperiet, statim primo intuitu detegendam. Secula quæ à Chymicorum injuriis immunia exstitere, nullum aut pauciſſimum in Medicina progressum fecere, nullis tunc impedimentis contrarium molientibus. Cur illis temporibus dormiere Viri exasciatissimi, Hippocrate & Galeno optime instructi. Forsan sub umbra eorum quievere, modestiæ & damnosæ abstinentiæ à Naturæ indagine dediti Viri, ea ratione moderationis summæ pacata tempora transigentes. Quare Medicina non cultior in Græcia & Asia quam in Europa, ubi floruere hi divi? Ibidem enim ultimi Cæsares, (non Cæsares in genere) etiam Medicos constituere, & Regia de stirpe nati, vel ut condonetur fabulanti, ipsi Reges illic medicam coluere artem. Regia igitur pars, excellenti ful-

ti fulgore coruſcans ex iis oris haurienda, cur in fonte ſuo regio exaruit. Jacturam, ut credo, prætextati illi, incuſabunt ſcriptorum, ſed ea dici potius quam demonſtrari queunt. An vero omnes Medici iis temporibus periere, poſt Hippocratem & Galenum exſtinctos, & poſtquam voraces flammæ, inundationes; vermes, crudeles ſuas executiones abſolverunt? Abſque dubio hic illic evaſere, quod patet ex continuatione Medicinæ practicæ. An illi fuere Chymici ſuperſtites, gens illa Titanica, adverſarii Deorum & hominum? Non. Nam ante Paracelſi tempora, nullæ manifeſtæ iatricæ lites, nec in aduerſa ulla cecidit Medicina, ſed pacifera Apollinis Laurus fulgebat. Nihil tamen actum, ab iis ſecure dormientibus, niſi quod in verba, ipſorum verborum, & phraſium, non rerum rimſpatores acres, ut paſſim ex illorum ſcriptis patet, Magiſtrorum ſuorum jurarent, ex ſucceſſu fido infidove caſualiter, vel ut loqui amant methodice, proveniente, aurum & gemmas ſibi compilantes.

Bachlivus quamvis in Chymiam iniquior, iis concedit Theoriæ melioris fundationem, & medicamentorum ſelectiorem præparationem, ſed in medicinæ practicæ detrimentum ipſos natos ſcribit. Quis hæc comparet oppoſita in uno tertio? juvarunt ea in parte, nocuerunt in eadem. Fateor meum ibi hærere judicium, nam de reliquis, ex Verulamio aliiſque compilatis argumentis nihil moror. Nam aut Theoria ex praxi, aut praxis ex Theoria naſcitur. Sed nulla, ſaltem vera, poterit tradi Theoria alicujus artis, quin ex fonte Praxeos deſumatur, ergo

ubi Theoria eſt melior, ibi neceſſario etiam melioris Praxeos indicia affulgent, præſertim ſi inſtruat & Tyrones per ſemitas deducat planiores, magiſque convenientes ad praxis ideam acquirendam, qui unicus eſt Theoriæ ſcopus. Si vero Vir eximius, per meliorem Theoriam, intelligat melioribus verbis, & argumentis non rebus ornatam à junioribus, ſeu ut pluribus in locis loqui amat, novatoribus eam fuiſſe, profectò quis Medicus verbis curat? aut qui per verborum, & literarum ornatum ad Medicinam pervenere? Hippocraticis, & Galenicis olim medicis, hæc literarum & linguarum ſtudia cordi erant, nunc a plurimis etiam raucæ, & barbaræ voces prolatæ honori eſſe videntur, latino, vix ſermone inſtructie. Ideoque in hanc partem concludo, illud honori ipſius Chymiæ cedere, etiam in ipſius Praxeos vera conſtructione acquirenda, modo recte procedatur via nobiliori Chymica. Haud neglectum hiſtoriæ morborum defendimus, ſed eandem omnino promouendam cenſemus, nam exinde, omnes chymyci generoſiores ſua hauſerunt, de humoribus eorundemque variis accidentiis, in diuerſis morbis, quæ ex miſcelis patent. Exinde Galenicorum errores detecti, & ſtrenue refutati fuere, imo inde Chymiæ practicæ melioratio in dies accreſcit. Unde non opus erat ipſi, nec aliis, hæc monere, nam ſi hæc negligerent, palmam non ita cedere cogerentur Chymicis Galenici, ubi de diagnoſi & prognoſi morborum, circa ægrotantes agitur inter utroſque conſultantes. De quibus Exempla infinita proferre poſſem, ſi gloriolæ cupido me detineret. Ideoque aut oſcitanter

ante

ante hac ægros ſuos tractaſſe Galenicos conijcere debeo, aut eos nunc per Chymicorum vigilantiam, & induſtriam, ad æmulationem deductos fuiſſe, quod utrumque defendere ac demonſtrare poſſem, ſi de eorum praxi non denigranda, ſed veris coloribus delineanda, abſque ullo invidiæ vel odii minimo fuco, hic ageretur.

Ea quæ anatomicis hiſtoriis incluſa, ab ipſo vere laborioſo ac indefeſſo Viro proferuntur, ornatum Medicinæ magnum, pauciſſimum autem uſum practicum afferunt, adeoque inter ſcientias è Cadaveribus petitas referenda ſunt, quæ mortem ejuſque ultimam cauſam ob oculos ponunt, ſed non primas ſanitatis fluctuationes exhibent, quæ ultimæ eſſent medicæ utilitates ad praxin accommodandæ. Miror itaque hominem eruditum, poſſe rejicere eam Artem, quę, ipſo Judice, duo maxima attulit medicinæ emolumenta, medicamenta nempe morbos debellantia & inſtitutiones meliores Medicinæ. Sed, moribus antiquis ſtat res Romana virisque, id eſt, Galenici antiquo more convitiandi procedunt.

Inquiſitione cenſoria, nec Principum legibus vetita, multo minus à Chymicorum ſæpius laceſſitorum inermi turba prohibita fuit Authorum inveſtigatio. Ipſi experientia enim aliorum indigent, vt brevitati ſuæ vitæ, & ſumptibus conſulant. Legere etiam & aliorum inventa corradere opus habent, ut exinde inſtar apum mella colligant, ſibi aliiſque proficua. Si naturam negligere ament, ſi eam diſſecare nolint; ſi rationem humanam debilem præferant Experien-

tiarum faci ; ſi corpus humanum ſolum conſiderare velint , extra mundana imperia poſitum ; ſi leges Naturæ ignorare ambiant , deſinant eſſe Miniſtri Naturæ. Si verba hominum illis in unica verſentur Æſtimatione ; ſi abſtruſas eorum ſententias prolatas admirari velint ; ſi vitam & tempus terere velint, in evolvendis hominum ſenſibus , mortuos conſulant , vere cæcutientes & mortui . Nemo Chymicus , eos ad ulteriorem damnabit, invita Minerua , inveſtigationem , nec ipſorum intereſt , ut illi manus & mentes oculatas poſſideant . Abſtineant modo ab invectiuis & calumniis , alioſque à laboribus ne deterreant, ſibi aliiſque inhumaniores.

Sicubi Chymicī , in errores inciderint, iidem præſto ſunt prudentiores, alii, errorum ſuos collegas convincentes. Neque rubori habent homines eſse, errare poſſe, ſed erubeſcunt mendacia proferre , illa enim hominem dedecent , naturalibus demonſtrationibus innitentem , nam culpa ipſos ſtatim redarguit ex contrariis, non verbis ſed rebus prolatis, ipſique ob oculos poſitis. Et profecto ut omnes artes, ſic etiam Chymia, ſuos obtinuit teneros ortus & progreſſus maſculos, quos ſecundum celebriores hodiernos practicos publice & privatim in Europa docentes , eouſque attigit , ut fundamentum nobile conſtituat Phyſicæ ad medicam artem ſpectantis , clavimque poſſideat qua theſauri operum Naturæ reconduntur , quorum ope egregia Theoriæ & Praxeos Medicæ adyta pateſacta , firmiori talo procedunt , quam olim Majores noſtri vel potuère vel tradidere.

Hoſtiles autem adverſariorum impetus , inſidiis

diis pleni, primo diluendi veniunt, ut argumenta juxta ſe invicem poſita eo magis elucescant. Per Chymiæ vocabulum, illud opus, ab operariis manibus, furnis & igne proficiens intellectum volunt, aliudque nihil conari vel agere eos laborantes ſtatuunt. Hoc autem contra omnem veritatem eſſe, & libri & conatus, & adverſariorum metus, ſufficienter evincunt. Quis enim tam veſanæ exiſteret mentis, ut ad mineras & metallifodinas evocaret ſuos auditores, ubi de corpore humano ejuſque motibus diſſerere & demonſtrare vellet. Ideoque Celeberrimus Bachlivus inſulſe debachari videtur in hoſce, ubi illis hanc mentem attribuit inſanam. Verum comparative, relative & per gradus aſcendunt experientiarum naturalium collationes, judicioſe, tanquam per ſcalas alta petentes loca. Non per ignes Chymici, nec per ſuos furnos concludunt, ſed per motus igneos totius vniverſi, & caloris variationes tranſeunt, per Phæbum, aut Vulcanum aut ſolem proprie ad Palladem viam ſibi ſternentes adamantina ſecuri, ſat magno ſæpius ſuorum loculorum incommodo.

Chymia igitur eſt ars, fluida ponderans per miſcelam & motum varium corporum. Imitatrix igitur naturæ per fluida pergentis ad ſuos fines & ultimas rerum tendentjas & medicinæ, ſola miſcela & motu medicamentorum opus ſuum grave abſoluentis. In ea, furni infima tenent loca, ad operarios relegata, attamen ipſis in magno pretio habita, ut inſtrumenta quibus ipſa natura utitur in montibus vulcaniis, imo quibus non dedignantur, magni quamvis

Myſochymici, Botanici in ſuis reſervatoriis exoticarum plantarum & arborum, ex calidioribus locis ad nos delatarum. Calor fouens, non deſtruens; ipſis in maximo pretio reſervatur inſtar alius Veſtæ non adoratæ; ſed excultæ, ad generationem novarum rerum, vel ad ſeparationem partium ſimpliciorum à compoſitis, ad modum hujus uniuerſi ſole illuſtrati & aere molliore cincti. Si vero rudes in principio illam tractaverint homines, illud commune eſt & fuit omnibus artibus & ſcientiis humanis. Ideoque qui eam corrigere velint, eique contradicere ambiant hodiernæ magis cultæ, non antiquiorem petendo hodiernam denigrent. Eadem enim perpetuo retorqueri poſſent vitia, in artium pueritia, & adoleſcentia commiſſa, in Virili ſtatu nunc illa deteſtantibus, artificibus prudentiſſime rem agentibus. Hinc non parva malignitatis indicia, ex talibus opponendi modis, patent; nam non inquirendum, quid crediderint & ſtatuerint, ſed quid credant & ſtatuant. Quamvis Borrichius, Vir omni eruditione plenus, ſufficienter calumnias in Paracelſum immerito datas retuderit, ut nulla Excuſatione digni videantur, hodierni male erga Chymiam affecti, de tam celebri Viro impudenter falſa pronuntiantes.

Hiſce igitur ſufficienter & abunde ſatisfactum credo, pro antiquitate ſtantibus, non contra ejus authoritatem ſed infallibilitatem, & tenebricoſam lecturam rem habens. Verum quoniam fruſtra ab iis expectarenius ſcientiarum augmentum, quibus tantum cordi eſſe videtur, ut vetera novis, antiqua recentibus intermiſceant, chaos confuſi partum tentantibus, nequid cum

illis

illis aliquid monſtri informis alere videamur, ad ipſa rerum principia pergemus, quæ pro modulo noſtræ experientiæ, Natura duce proſequi conabimur, ex ipſo homine in ſua & aliorum Natura conſiderato.

Chymiam autem in ſequentibus non qua Artem defendere conabor, ne magni Verulamii præceptis ob ſim, ſed ejus experimentalem Doctrinam & lucidam rerum inveſtigationem. Parum attamen conſiderandam illam diſtinctionem autumo, in qua diſtinguit lucrifera à luciferis experimentis, ut & ubi ea ſeparat quæ in Artis formam ſunt reducta. Optime Vir opulentus ſe ſtatuit non indiguiſſe amplius ſordido lucro, nec eum, ſupra artes omnes poſitum iis opus habuiſſe ad vitam ſuſtentandam. Sed quid mali perpeſſæ ſunt ſcientiæ ab artibus excultis? quid ex lucriferis inſidiis hominum, incommodi eædem obtinuere? Annon exinde Prudentiæ commoda reſultarunt? Prudentia vero, omnis ſapientiæ veræ primas occupat ſedes, atque ex ea derivantur, quæ ad ſolidam ſcientiam ſtabilienda unice faciunt. Illud evincunt à doctiſſimis exhibita præcepta, & leges, ex hiſtoriis utilis ex noxii, natæ, nil aliud demonſtrant, quam ipſa vitæ beatioris commoda fluxiſſe ex iis prudenter obſervatis circumſtantiis, quarum neglectu ſilveſtres & feræ nationes in ſuis adhuc perſeverant barbariei incommodis. Relinquenda igitur nec negligenda illa, ullus cenſebit, cui incrementa Eruditionis cordi ſunt, verùm potius ea ambabus manibus, id eſt cordicitus eſſe amplectenda ſtatuet, licet enim cuivis gemmas ex ſtercore colligere, ut Poeta loquitur.

Artes reliquas, non Chimiæ oppoſitas, nec Chymiam eis adverſantem, multo minus de palma & imperio cum iiſdem ex profeſſo certantem introducemus ſed ejus utilitates hucuſque in Naturalium inquiſitione exhibitas Medicinæ adornandæ & ſtabiliendæ commoda, illius auxilio, prolata enumerabimus, ac lectoribus ſuum arbitrium relinquemus, ea de re concludendi. Hoc unum attamen nobis concedendum puto, ut illius partes tenere quamdiu ſecundum plures naturæ leges hanc procedere demonſtravero, mihi licitum ſit, adverſans paſſim aliis non meris verbis, ſed rebus, donec mihi demonſtraverint eas meliores & plures ab adverſariis in campum poſſe produci neglecta authoritate aliorum, quos duces non Dominos, comites non Imperatores, agnoſcimus. Ut exinde de dignitate & excellentia ſingularum, abſque Præjudicio ab omni artis Medicæ gnaro pronuntiari poſſit. Ideoque ſinguli illarum artium operandi modi, eorum inſtrumenta & ultima effecta proſequar, quæ ad lancem Naturæ operantis in corporum graviori luſu trutinanda, & probanda ad praxim, tanquam lapidem lydium totius Medicinæ venient. Hæc autem quantum poſſibile breviter & ſuccincte tractanda, hiſce nitentur fundamentis. Naturam omnia moliri per fluida, ejus opera ibidem eſſe vigilantiſſima & maxime ardua, quas operum tendentias ultimas in ſolidis determinat ſtructuris, inconſtantia ſumma attamen præditis, adeoque ſemper ad fluxilem ſtatum diſpoſitis, imo illuc abſoluta neceſſitate denuo properantibus.

Adeoque nullius artis præceptis, nec aſcititia autho-

authoritate, vel prærogativa, quoad medicinam complendam & inſtauranda facientibus præoccupatus, multo minus aliarum artium abſolute ad ipſam medicinam ſpectantium odio aut amore commotus, hæc quoad ipſam ſanitatem humanam debite retinendam vel recuperandam, propono.

1 Naturam per Naturam eſſe explicandam, in ſuis nempe operibus.

2. Hominem tanquam partem naturæ conſiderandum, nullibi illis operibus liberatum.

3. Ejus ſitum ſolidum à fluido inchoaſſe.

4. Ejus functiones liberas à fluidis dependere & perpetuari.

5. Harum læſiones à fluidis oriri, & progredi.

6. Medelas per ſolida, nunquam qua ſolida fieri, ſed qua fluida.

7. Artem de fluidis eorumque vexationibus tractantem, eſſe theoriæ & praxeos fundamentum

8. Hanc Artem eſſe Chymiam, non deſtillatoriam, nec Pharmaceutices partem, ut malevoli audacter divulgant.

9. Reliquas Medicinæ partes haud rejiciendas, ſed amplectendas eſſe, cum ſumma neceſſitate.

10. Anatomiam infuſoriam, non eſſe anatomiæ ſed Chimiæ partem, & multo incertiorem chymicis Experimentis.

11. Anatomiam & mathefin, ad Medicinæ optimam praxin rite inſtituendam, parum conferre, niſi quoad chyrurgiam id eſt, manualia medicinæ opera, ad quæ obtinenda unicum prebet fundamentum, omni laude dignum.

12. Anatomicas obſervationes, maximi eſſe ponderis, circa eventus ultimos inquirendos, nihil autem præſtare poſſe ulterius in cauſis primariis inveſtigandis.

13. Botanicam eſſe veram, Materiæ medicæ & Pharmaciæ excellentiorem partem.

Hiſce fundamentis innixus, Theoriæ Medicæ tradam initiam quibus alii ſua addere aut iis ſuperſtruere poſſint; ſi quid vero erronei inſit, amicas, & humanas nunquam abhorrebo admonitiones; nec inimicorum mendacium & nugatorum fabulantium inhumani me unquam movebunt inſultum, ut illis iraſci, vel eos reſponſione dignari velim. Tandem enim ſe ipſam vindicabit Chymia, nobile caput attolens, intrepide procedens, nulli noxia, omnibus proficua, antehac levis habita, nunc Regum favore ſtipata, in plurimis Europæ celeberrimſs ſcholis gnaviter exculta.

Hæc brevi & currente calamo pro reſponſione habeant Amici, & Auditores mei ut non amplius me literis ea de re me ſollicitent.

CHY-

CHYMIA

Cum alijs Medicinæ

FULCRIS,

COMPARATA.

RAtionis veræ unicum propoſitum eſt veritas. Hujus autem inveſtigandæ & acquirendæ modi exiſtunt, apud Homines, ſemper de rationis poſſeſſione gloriantes, varii. Mentis exiſtentiam nemo Homo negaverit, illius autem ideam, nimis corporeis aſſueti, aut nullam, aut mutilam admodum obtinemus. Theſauri divini participes, nobis nunquam perſpecti, vitam terimus rationalem, ignari ipſius ſedis & eſſentiæ illius maximopere actiuæ.

Ex effectu igitur patet nobis, exiſtere animam cogitantem, tanquam ex conſpicuo ejus operandi modo, diſtincto ab actionibus omnibus merè corporeis. Si autem attentius rem ipſam perſcrutemur, ad cauſam nempe inveſtigandam aſpirantes, cadunt ſublimibus auſis noſtram tentamina, ignorantiam noſtram ubivis demonſtrantia, irritis ulterioribus ſucceſſibus nos defatigantia. Quæcunque igitur nobis relicta ſpes ad illa altiora pergendi, quamvis minima ſit, deſumenda venit à poſteriori non à priori, quicquid

quid etiam vaniloquiis assueti nobis obtrudere conentur.

Adminicula unica & solida Rationis, sunt Cogitationes. Hæ, ex ipsa Mente, abstractè consideratæ, procedentes, ut motus primus à Deo per excellentiam Motore, observantur, adeoque illi tanquam fonti purissimo debentur. Cogitandi autem status, ubi varios esse observamus, eosque periodicas revolutiones pati, in infantia, adolescentia, virili & senili ætate, aliunde petenda causa quam ex mente. Omne quod est immateriale, incorporeum, inextensum, passionibus mere corporeis subjicere, absurdum esse nemo inficias ibit, qui omnem denegat menti corpoream ideam. Passiones Animæ igitur aut nullæ, aut saltem eæ concedendæ, quæ soli Deo & veritati litantur, tanquam congruæ suæ Ideæ & contemplationi propriæ, veluti Imagini perfectissimæ. Hæc autem, passio Animæ propriè dici nequit, sed ejus prima & optima actio, reliquæ sunt passiones magis dicendæ, quatenus à corporeitate, ejusque diversa modificatione procedentes ortum trahunt.

Cogitationes puræ & defœcatæ, rarius in Homine occurrunt. Illud demonstrant educationes, natalitia sola, vitæ consuetudines, studia partium, in quibus, ipsum interesse mundanum & corporeum prævalent. Ex eo fonte, passionum occulti & sæpius sordidi affectus, effecta præbent, magni æstimanda & celebranda, sæpissime abhorrenda & vilipendenda prout cupiditate, odio, amicitia, inimicitia, reliquisque illecebris grandibus aut vilibus instigetur Actor. Conscientia etiam, rarissime genuinis coloribus de-

pi-

picta, in errores pertinaces, imo & in veritates non ſufficienter perſpectas trahitur acrius propugnandas, ob ſcopum mundanum.

Intellectus ſimplex & perſpicuus, vix homini conceditur. Cogitationes enim ipſæ cum per organa corporea tranſeant, eodem modo ut radii Solis per Aerem ſparſi, ad nos delati, nunquam in ſimplici ac primo ſtatu actiones ſuas exequuntur, ſed ope miſcelæ diverſæ varia ſortiuntur effecta. Illæ autem neceſſariæ exiſtunt ad intellectum humanum, imo earum ope formatur & quaſi cogitur ad hoc illudve intelligendum, ſed auxiliatricibus organis ſenſoriis. Senſuum vero fallacia & imbecillitas ubique obvia ſeſe ſiſtit, digito monſtrans intellectus noſtri miſeriam. Ingenium ex intellectu creſcens, gradus non paucos admittit ſuæ ſcientiæ, pro diverſitate illorum organorum, cogitationum, ſtudiorum. Coacta enim ut plurimum impelluntur ingenia, cæco impetu ruentia, non judicioſe procedentia in ſuis cogitandi & perpendendi modis.

Judicium, ex affectibus, vulgariter in pleriſque dependet. Non ſemper, dantur enim quibus ex meliore luto ficta ſunt præcordia, primo ruminantes & ad lancem exactiorem trutinantes, ea quæ ſunt dijudicanda. Sed plerumque occæcati, ſuis ſemel admiſſis notionibus, judicium omne ad illud ferent punctum, ut quadrent nempe ſuis cogitatiunculis & ingenioſis commentis. Hinc Voluntatum fluunt rivuli, torrentis inſtar aliquando rapidi, omnia ſuſque deque habentes, imo proſternentes, ſuo ut intellectui, & Judicio, & Cogitationibus, pertinaciter menti infixis gratificentur. Ubi enim

res clarè & distinctè sibi percepisse arbitrantur, statim tanquam pro aris & focis omnia aguntur, non attendentes, hominem erroribus obnoxium facile in sua causa cæcutire.

Rationem humanam, multum à Diuina differre, ipsa ratio dictat. Purum enim lumen Veritatis, ipsaque Veritas nullis impedimentis corporeis distracta, sui ipsius conscia, à priori ipsas & rerum causas, ultimosque agnoscit fines, ipse Author & Moderator rerum. Quodnam autem sit illud nobile inter Mentem & Corpus commercium, illud hucusque æque latet ac Idea ipsius Mentis, absque enim hoc adminiculo nunquam patefiet. Imperfectio corpori adscribenda facile percipitur, sed quomodo animæ, eadem tanquam divinæ auræ particula considerata, illa attribui debeat, difficilius à nobis intelligitur. Saltem rationem nostram, esse veritatem ipsam, vix illi apparebit cui, rationis humanæ suppeditamenta vacillantia cognita sunt, id est, quoniam corporeis armis ipsæ acies cogitationum siculneæ sunt redditæ, ubi menti nostræ obversari incipiunt. Abstracta autem cogitationum Ideas, divinumque Mentis nostræ fulgorem, aliquando posse concedi haud abnuo, imo sedulis inquisitionibus viam ad abstrusiora patefieri posse plurima coarguunt effecta.

Sapientia humana, à posteriori seu ab effectu ortum sumsit. Artes & Doctrinæ omnes, sensim incrementa & perfectiones suas adipiscentia illud evincunt, nam à priori si incepissent nunquam tramites diversi, sed uni tantum calcandi propositi fuissent, cognita enim rerum causa, eaque rite proposita, omnes in consensum

absо-

abſolute traxiſſet. Ea enim eſt vis ipſius Veritatis nudæ, ut in ejus amorem omnes nolentes volentes rapiamur. Obvelatæ autem & faſciis tectæ non eadem eſt vis, libenter enim nobis adulamur ac tandem ſuperbe etiam imperitis imponimus, contrarias calcantes ſemitas, prout paſſiones noſtræ receptæ prædominium varium obtinent.

Effecta à nobis proſecuta, dicuntur Experimenta, corporum eſt proſequi motus, moles & figuras, quoniam extra corporeitatem nulla conceditur nobis experientia. Hæc extraordinarias rerum faeies revelat, ac per varium acceſſum, ſeceſſum, nexum, coordinationemque mobilem, interiora mundi conſpicua offert, tandemque ſublimius petenti Animæ, Divinæ potentiæ luſum aperit hac in ſcena mundana. Corporeis inſtrumentis cincta Mens, corporeis utitur inſtrumentis, corporeas ſibi fingit Ideas, quas tandem trutinando perpendit, tandemque intellectui offert ad Judicium inde efformandum. Hinc Experientia præcedit firmiorem non vagabundam cogitationem, ut cognitio literarum lecturam, quam informat poſtmodum ratiocinium, ex ipſa experientiæ inductione multiplici & cogitatione judicioſa ac defæcata gignendum. Experentia igitur cogit rationem & cogitationes noſtras huc illuc deflectere, & in conſenſum varium abire, pro corporum motu diverſo, varia accidentia & attributa offerente. Ratio autem ab ipſa experientia acuata, ulterius veloci cogitatione aſcendit, ab expertis ad nondum experta pergens, excellentiorem hoc modo ſapientiæ gradum acquirens, non vano titulo glorians ubi hæc, per experientiam, ſuæ

ratio-

rationi respondere in ipsis effectis viderit.

Experientia nunquam fallit. Fallax autem nominatur apud plurimos, non attendentes propriæ fallaciæ & judicio præpostero, seu potius nimium festinanti ad pronunciandum. Cogitationes enim nostræ rarò ita suspensæ detinentur, donec ab una ad aliam transierint experientiam, & ex ipsa experimentorum plurium multiplici collatione, peruenerit ad veram ac judiciosam rationem, omni fastu privatam. Tædet longitudo inquisitionum, labores immensi deterrent, sumptus desunt, gloriolæ cupido nos trahit, adulationes aliorum nos instigant, ad fructum Mentis immaturum producendum. Ea attamen non desunt esse vera, quæ hisce elucidantur ac demonstrantur experimentis, (quamvis illa effecta ex iisdem corporibus non ad omnes casus referri queant,) modo semper eadem observentur effecta primaria in corporibus. Sic exceptiones, animadversiones egregias offerunt, pristina effecta haud inficiantes, sed illa ad certas regulas restringentes, unde Judicii eximii elucet fastigium, eo magis excellens, quo illis numerosius stipatum fuerit, antequam suam inde proferat hypothesin. Systemata, & fundamenta igitur antequam cudi possint, ab scientiarum & artium Magistris, illa experientia indigent multifaria, nisi scopas velint offerre dissolutas, & ex arena funiculos nectere, prout plurimi solent.

Experientia omnis, versatur circa figuram, molem & motum corporum. Corpora enim considerantur, hisce tribus attributis, quatenus rempe, nostros sensus, aliaque obvia corpora

assi-

afficiunt, inde infinita phœnomena producentia. Eaque aut motu veluti proprio, constantique figura procedunt, aut quiete pertinaci suum servant locum ac situm. Ex hisce omnes mechanicæ consarcinantur figuræ, variis usibus adaptandæ, experimentisque plurimis dicatæ. Inde etiam resultant, motus innumeræ species, sibi aliisque vicinis communicandæ, mutuo impetu, pressione, penetratione, ubi se invicem exercent. Tandem eorum cognitio ac perscrutatio, ea profert commoda, quæ ad beatiorem contribuunt vitam.

Corpora, quæ manibus aut instrumentis comprehendi queunt, notionibus nostris quam maxime subjiciuntur. Ea quæ sensibus nostris non patefiunt, Experientiæ ita dictæ non parent, nec de eorum attributis primis, nos certos reddere possunt, insensibiliter nos afficientia. Hinc ficta nomina iis imponere cogimur, ubi per ipsas corporum crassiorum actiones, quasi in tenebricosis locis palpando oberrantes, cernimus alia ac alia subesse instrumenta motus, modificationesque partium varias ab extra advenientes. Illud patet in plurimis physicis disquisitionibus, ubi sua proponunt vocabula, gratis inventa ac proposita, nihil demonstrantia nec significantia, si accuratiori examini subjiciantur.

Instrumenta ad hunc usum solida, in cavitates varias exstructa, iis veluti irretiendis, excogitata, nobis effectum suæ motæ & motus, ob oculos ponunt, spiritualem in modum agentia. Ubi de particularum, visui nostro sese subducentium, excellentiori efficacia, nos obiter

non plenarie, certiores faciunt, multo minus nos clarè, distincte & absolutè imbuunt. Exinde non minimus disputandi pruritus, doctrinæ veræ scabies, ortum progressumque sumsere.

Corpora actiones distinctas offerunt, permanente ipsa figura. Ideoque claræ magis ac distinctæ exinde hauriuntur naturalium operum ideæ, quamdiu libera & constans independentia perseverat figuræ mechanicæ semel admissæ; Eadem vero, aliis occurrentia corporibus diversimode figuratis, ubi alterantur, aut mutua figurarum copula, aut accessu & secessu aliquarum partium figuras & moles illas mutantium, non eadem conceditur perspicacia actionum, nec eadem certitudine ratiocinia nostra procedunt, sed partim claudicare coguntur cum suis figuris jam deviantibus. Minori igitur labore & prudentia hi indigent, qui versantur circa corpora constantia perscrutãnda, quam illi quorum opera tædiosa ac improba occupantur, in eruendis vicissitudinibus rerum, faciei inconstantia admiranda nobilitatarum. Illi enim sua data axiomata semper vera esse, absolutè statuere queunt, modo numerata ab iis requisita adsint, quod hi incertis modis tantum facere coguntur, facile illudendi ex improvisa metamorphosi figuræ, infinitis modis componendæ & destruendæ. Certitudo etiam nulla prioribus affulget, nisi ita permanserint figuræ notæ, obviæ, familiares; quibus semel turbatis cessa illorum axioma, omniaque ruunt ac collabuntur dicta & postulata, si etiam leviſſimo modo deficiunt. Eadem, in rerum inconstantium motu & miscela, statui posset certitudo, si exactæ corporum sensum subter-

tērfugientium delineationes nobis palam fierent, ſed impoſſilium nulla eſt obligatio. Obſcurioſa magiſque ardua, ſed non minus pulchra ac utilia proſequitur is, qui è fumo tenebricoſo lucem producere ſatagit, illis experientiis Naturam rerum abſtruſiorem, caligineque ſumma quaſi ſepultam, eruens.

Corpora exiſtunt compoſita. Illa compoſitio ex miſcela variantium figurarum utplurimum dependet, unde rarius niſi in mente noſtra ſimplicia conſiderari queunt. Quicquid autem cogitationes noſtræ agunt, illæ ſemper intentæ ſunt, ut perceptionem, intellectum & tandem judicium de objectis ferant, illudque rationem poſtea nominent. Externam cruſtam, ut ita loquar, conſiderantes, ejus figuram menti pertinacius imprimunt, exinde hypotheſes formant mechanicas, tandemque illas accommodant ſuis, inde deducendis, ſyſtematibus. Verum quo ſucceſſu hæc fiant, prudentiores, vere docti Viri, norunt, nimium conquerentes de noſtræ indolis ac ſcientiæ vanitate, lubricitate; ignorantia. Hæc autem compoſita, non conſiderantur tanquam talia, nec opus habent; ab iis, qui ſolam externam proſequuntur conſtructionem, & motum proprium illorum, ſedes quaſi fixas exactiſſime retinentium, aut ſaltem quam minime ab illis aberrantium. Sic interne, ſemel ſeſe offerentes cavitatum conſtructiones, perſeverant in ſua exceptione, emiſſione exceptarum partium & reliquis motuum attributis, quamdiu hæc perſeverari obſervantur in ſuis circumſtantiis externis ac internis. Contrarium vero effectum præbent,

omnia in ipso actionis effectu alteranda & alterantia, vel ut vocabulis vulgaribus utar, ubi agentia & patientia corpora, in motum reciprocum feruntur, haud facile suis terminis circumscribendum.

Duplicem statum in corporibus observamus, solidum nempe & fluidum. Ex hac observatione, duo præsertim effecta ab indagatoribus studiosis expenduntur; primo solidi corporis figura & moles, in omnem dimensionem extensi & operantis pro concessa forma, qualitate, quantitate; secundò, fluidi inconstantia, miscela, mutatio, quam omnibus modis versatilem prosequitur, tam in ipso fluido ita dicto, quam in solido statu eorundem ad fluidum reducendo. Utrique autem Naturæ leges prosequuntur, sed per diversos tramites incedunt, æque tamen necessarii sese sistunt, modo illis, veritatis per experientiam proponendæ, unicus existat scopus. Facilior autem, cum affulgeat solida ac constans via, quam fluida & lubrica, non mirum, est, quod progressus hucusque firmiores magisque demonstrabiles in suis solidis circumstantiis facti sunt in priori, quam in posteriori prescrutatione. Minor vero utilitas non allata est, in hac quam in illa, ut ut tam demonstrabiles hucusque non exhibuerit propositiones, data, postulata, &c. Sic enim navigationes incommodæ, plus utilitatis, quam itinera per terras, attulerunt, quamvis incertitudini plurimæ subjiciantur, fluctuum æstuatione inconstanti, tempestatibus, terræ mutationibus &c. Utriusque igitur suus manet honos, verum nunc inquirendum, an eædem rationes ac methodi possint

ſint retineri, in utraque inveſtigandi Methodo.

Quorum cognitio certa & evidens eſt, ea legibus ſuis determinari queunt, è contra, ubi dubia & obſcura eſt ſcientia, eorum deſcriptio difficilior avadit, nec ad notiones tam exactas reduci poſſunt. Aditus igitur non ſolummodo tædioſior ſupereſt in his, ſed etiam per obſtantes corporum catervas, ad interiores receſſus antequam perveniat, ſuperficialem ut recludat texturam, ad crypta ſubterranea ut penetret, aliis atque aliis indiget auxiliis inveſtigator ſedulus. Profecto aliud eſt externa tractare, aliud interna in lucem trahere examinanda, aliud tellurem & agros colere, aliud fodinas ac mineras evertere, margaretas aliaque prætioſa è fundo maris expiſcari. Singula enim ſuis conſtant propriis inſtrumentis & laboribus. Toto autem cælo, ut ajunt, differre debent, eæ inquiſitiones mixtorum & valde compoſitorum corporum fluidorum, ab mechanicis ſolidis ſtructuris, ſeorſim actiones ſuas cum figuris reſervantibus inveſtigandis. Hic enim perſtant, illic abolentur figuræ, novam ideam aſſumentes, in omnibus ſuis qualitatibus, recenter quaſi creatis, ſtatim denuo delendis. Ideoque nego, unquam poſſe eoſdem fines, iiſdem auxiliis obtineri, in plane differenti hac corporum ſenſibilium ac inſenſibilium conſtitutione, quamdiu non poſſint tradi eædem partium conſtantiæ ac delineationes requiſitæ, figuræ, in utriſque illis corporum ſolidorum & fluidorum inveſtigationibus. Mutuis autem adminiculis utroſque indigere, ut bene rem agant, concedendum eſt, ita tamen,

ut non plenaria ſcientia opus habeant pro ſolidarum figurarum inveſtigatione neceſſaria ad fluidorum naturam inueſtigandam, levior enim cognitio ſufficit, ut judicium ſuum eo exactius obtineat, circa viciſſitudines fluidorum occupatus. Eadem valet ſententia apud eos, qui ſeſe addicunt ſolidis enucleandis, multum enim luminis ex fluidis rite intellectis haurirent, præſertim ubi de gravitate, levitate, motu, quiete, calore, frigore, coloribus &c. differunt, in quibus ut plurimum manco pede procedunt.

Scientiæ & artes mundanæ, in ſolidis exercentur per Matheſin & Anatomiam, in fluidis per Chymiam. Ad haſce tres perſcrutandi Methodos, reliquæ artes convocari poſſunt, quippe ex illis ſua actionum adminicula obtinent mechanica, tam ſolida quam fluida.

Mathematicorum regulæ exactiores ſunt, quam reliquorum Artificum, conſtanter enim ad ſua confugientes prima data, ſenſim ac per gradus procedunt, ad ulteriora. Eorum veritas ergo dependet, ex primis illis axiomatibus, fundamento conſtanti ſeorſim procedentibus, nulliſque admiſſis fluidis impedimentis, quorum altum penes ipſos eſt ſilentium illas figuras ac moles turbantibus. Quam primum vero hæc aurea catena ullo modo inquietatur, cadit fluctuans redditum argumentum, ſuis alias numeris conſtans, imo ſi minimus intermiſſus fuerit numerus totum ruit computum. Exactiſſima igitur adeſſe debent requiſita, ſerieſque rerum non interrupta, ſi quid concludere aut aſſumere audeant, quod in hac ſcientia & arte, concedi poteſt, quamvis difficultatibus plurimis haud

haud careat. Sic ſtellas earumque curſum obſervarunt, ſed eas ab illis viſas, ſedes ac motus proprios ſibi hucusque vindicantes, conſtantiqûe in figura permanentes. Ideoque hanc colunt Aſtrologiam ab ævis receptam, quam ulterius excolere ipſis facile erit quamdiu ordo ille perpetuabitur. Nihil autem proſtulerunt, de Cometarum motu certo, de reliquis Meteoris nunc apparentibus nunc diſparentibus, de variis cæli mutationibus, tempeſtatibus, &c. niſi quæ admodum ſunt incerta, imo vaniloquiis intermixta. Geometræ, optima præbant ſuæ doctrinæ fundamenta, ſed circa ſolidas ac permanentes figuras, non circa fluidas ita dictas, niſi leves & incertas ſtatuerunt regulas, ſaltem difficillime proſequendas in plurimis, niſi ubi omnes circumſtantiæ deſideratæ adeſſent, quod vix unquam obtinetur.

Exinde quoad fluida, parum utilitatis exſpectandum quamdiu illa adeſſe non deſinent obſtacula. Menſuras egregie ponderant, admodum autem demiror illorum modeſtiam, vix ſibi fidentium in terris dimetiendis, cum magna fiducia ſolis ac reliquarum ſtellarum dimenſiones obtrudentium. Unde concludere licet, non Geometriam, ſed Geometras non raro hallucinari, etiam in ſua arte, quamvis nemine contradicente, ex acciſſima inter omnes reliquas mundanas, quoad Theoretica & practica poſſideant fundamenta. Quoad liquidorum motum progreſſivum, plurima exhibuerunt ſtatuta mechanica, quibus aquas in varia loca per varios canales, tubulos, meatus, premerent. Quid etiam fluida ſubire debeant, in ipſa propulſione & vi-

ciniæ perpetua mutatione, in diverſimode figuratis, anguſtatis, dilatatis cavitatibus. Quid inſuper, Aeris ac Ætheris influxus valeant ſua vi elaſtica, ad circumrotationem illam continuandam, reliquaque talia quæ competunt conſtanti figuræ ſolidæ, ac motui uni aut variegato illarum particularum ſecundum rectilineos, incurvatos, anguloſos, &c. ductus vaſorum continentium vel excipientium. Nunquam autem cogitarunt de liquorum modificatione, in vaſis contiguis & continuis, ut externa accidentia imo effecta poſtmodum differrent, in ipſo quieto & mobili ſtatu. Nulla verba demonſtrativa tradiderunt, circa revolutiones gravitatis & levitatis, niſi talia quæ generalibus & confuſis terminis continentur, ſaltem geometricæ ibi deſunt demonſtrationes. Pluſquam Ranæ ſilent ſeriphiæ, de miſcelis, motibus inteſtinis differentibus, vegetatione, corruptione corporum, & ex iiſdem propullulantibus miris accidentibus, non minus proſequendis, ad optima vitæ commoda obtinenda. Nullas niſi leviſſimas excipias demonſtrationes præbent, de ventorum origine, ignium productione, omnium mineralium, vegetabilium, animalium, ortu, progreſſu, interitu, quoad potiores ac principes eorum partes & functiones. Rem nauticam ſi ſpectes, magnetis inventum iis non debetur, illius autem uſus aut nullus aut paucus eſſet, niſi ſtellæ fixus concederetur locus. Soliſque obſervationes ex ejus conſtantia dependent, ceſſant autem illis diſparentibus vel obnubilatis, Reliqua ſileo obſervanda circa mutabilia corpora, quæ ex ipſa fluctuatione vel ipſa inconſtantia figuræ

etiam

etiam minimæ oriuntur, nam ea tot ac tanta ſunt, ut his non ſufficerent pagellis.

Impotentiam igitur manifeſtam ſuam, in hiſce proſequendis, ut patet, ſufficienter tot ſæculis demonſtraverunt Mathematicorum filii, etiam acutiſſimi, quoniam hucuſque nihil reale in talibus protulerunt. Pulveris pyrii mixtura & motus igneus, abſque eorum inſtitutionibus inventus, illis tamen ſuæ efficaciæ augmentum debet & variationem effectuum adipiſcitur, à machinis differenter, conſtructis, ad Mathematicorum leges fabricatis. Infinita talia ſunt, ab aliis inventa, ab ipſis ornata, quatenus mechanicis figuris intercepta & coacta determinationem motus egregiam inire cogebantur. Hæc autem reſpiciunt ſolidas partes, Aerem, Ætheremque coercentes, illaque ad fluidum motum redacta dirigentes ad certam determinationem in illis anguſtiis. Nihil enim addunt, nihil demunt illis mobilibus, niſi ipſum aerem liberum, ut eo fortius compreſſa fluorem concipiant majorem, directionemque motus progreſſivi æqualiorem, reliqua aliorum ſunt inventa. Verum eſt, uſum fructum exinde multiplicati imo dirigi, ad deſtinatos fines, eaque ratione Matheſin perutilem exiſtere, imo abſolute neceſſariam reddi, quod nemo negaverit; ſed & evidentia utilitatis ac neceſſitatis, æque magna ſeſe offert illius artis, quæ hæc ſuppeditat fluida, uſui mechanico deſtinanda.

Multum autem gloriæ Matheſi & præſertim geometriæ accederet, ſi hæc, à priori, mixta, in futuris neceſſariis effectis demonſtrare valeret, accreſceret in immenſum, ſi ipſas rerum fluida-

rum

rum viciſſitudines ſuis regulis comprehendere poſſet. Divina dicenda merito foret, ſi haſce leges Geometricas extendere poſſet ad vegetabilium ac animalium ſuccos, non ſolum premendos & propellendos, ut Borellus, Bellini, Pitcarnius, irrito ſucceſſu tentarunt, ſed eoſdem alterandos, mutandos, ſecernendos plurimis modis, ad mechanicam ſtructuram & functiones corporibus requiſitas proſequiendas. Inconſtans quamdiu noſtræ machinæ ſitus & ordo ſolidarum partium datis regulis ſeſe ſubtrahet, ſemper ea in parte deficientibus. Quis enim tam veſanus eſſe velit, hæc ex eorum arbitrio fluere in Titio, Caio, &c. in pondere, numero & menſura, ab ipſis, ſi Diis placet, optime enumeratis, illa enim gratis poni nunquam demonſtrari poſſunt, niſi forſan, ut illis aliquid concedatur, in individuo quodam ſubjecto. Illud enim quod maximum eſt omittitur, parum enim conducit, me ſcire numerum guttarum propulſarum certo temporis puncto, quod æquè dubium permanet, ante & poſt illam enumerationem geometricam, ſed plurimum prodeſſet obtinere ſcientiam miſcelæ, in motu proferentis illas actiones, ſic perfectiorem hiſtoriam vitæ mechanicæ proſequi daretur, ad ulteriores non infimæ in corpore humano utilitatis inveſtigationes, quæ hucuſque Mathematicis deſunt & deerunt, quamdiu vitales actiones in fluidis perſiſtent, & à fluidis dependebunt.

Philoſophia, iiſdem incommodis circumſepta, multum veræ ſcientiæ detrimenti attulit, ubi generales exhibens hypotheſes, univerſales tradidit voragines, quibus ingenia hominum abſor-

pta

pta ac inebriata, magis dicere quam facere consueverunt. Definitionum scopulis itinera horride distincta, confusa, invia reddiderunt. Succinctis suis ratiociniis, quasi vero, optime docentes, vel potius verba tradentes, præterea nihil agentes, desidiosæ ignorantiæ progressum stabilierunt. Sordent enim ipsis Experimenta nimium tædiosa, longa, fallacia, ac declamata, unde à rebus & factis, ad verba & dicta imperitos deducunt juvenes, sub jugum cæcæ obedientiæ mittendos fumo contemplationum pascendos. Cumulantur enim commenta cerebelli vani, faces proferunt tremulas, passionibus occultis agitatas, non veritatis sed partium studiis accensas. Authoritas dicentium invaluit; & à paucorum dictis, ac non raro unius animulo interpretante, dependet æstimatio, inquisitio, totiusque doctrinæ possessio. Hinc scientiarum & artium loquaces ac tædiosæ revolutiones, non autem progressus invaluerunt, ab Hominibus scientia arroganti tumidis, vani fundamenti possessoribus dicris. Ut aliis etiam prævalere ipsis concedatur, quidvis audent, secundum nutum suum aliorum acta, modos, cogitationes dirigentes. Inde vetera vilipendio habita arbitrariè rejiciuntur, novique habitus Animæ indicuntur, cogitationibus judiciis, voluntatibus, alio versis. Tandem eadem levitate & inconstantia, nova rejiciuntur, ab æstimatore grandiloquo veteris doctrinæ, Dominium occupante; postremo aliis nova antiquis intermiscentibus. Perpetua igitur animorum fluctuatio, nos in opera sudoreque æternum duraturis, detinet, quæ optime fovebit desses docentium vita, labores impigros experien-

tiæ

tiæ abhorrentium, adeoque illas artes per experientiam multiplicem arduas denigrantium; quamdiu, cum dolore, ruinam ſuæ dignitatis Magiſtralis & Grandiloquentiæ, imminere iiſdem, ſuſpicient. Ea etiam eſt ratio, cur Homines alias acuti & docti, illa tantum laudent media, quæ longo exercitio ipſis fuere perſpecta, imo in quibus, fere à primis ſaltem ſtudiorum ſuorum incunabulis, dicere & demonſtrare conſueverunt; ideoque illa obtrudunt ut plurimum tanquam unica fundamenta omnium ſcienitiarum & artium.

Philoſophia autem, ſeu ea pars quæ Phyſica dicitur, corporum naturalium ſcientiam tractans, eo magis vacillare viſa eſt, quo ejus Antiſtites arroganti doctrina, divina humanis, fluida ſolidis, inſenſibilia ſenſibilibus, generales ad notiones redegerunt, imperioque ſuæ rationis ſubjecerunt, quæ Chaos horrendum tandem producere non deficient. Non omnia poſſumus omnes, nec uno pede omnis premitur tellus, ſed ea tantum noſtra credenda, quæ experientia multiplex dictitaverit, auxiliis debitis ſuffulta. Verum hæc neglecta, nuditatem noſtram revelat, & in abyſſos profundas detrudit, è quibus puteis emergere profecto durius eſt, quam ubi noſtræ ratiocinationi minus audacter fidentes, experientiæ lancem gravem, tanquam veram mundanam facem, in uſum vocemus. Si tardius iter hac via abſolvatur, ſecurius & melius ſeſe menti quietæ reddet, demonſtrationibus judicioſis beatæ factæ ſapientiam non fictam, quamvis arctioribus limitibus deſcriptam, ſed veram & modeſtam poſſidenti. Hoc incommodum tamdiu occurret, quamdiu, in ſcientia corporum natura-

ralium, ipſius naturæ neglectus locum inveniet. Hinc ad aciem ingenii, & generalia rerum fundamenta obtinenda, ſed ad praxin rarius ullam applicanda, inſervit vulgaris Phiſica, non ulterius pergens. Forſan objicient ſeſe accuratiſſime experientiis naturalibus inſudare, pleraque corpora ab ipſis ſecari, ſed ubi? in ſuis antliis pneumaticis, barometris, thermometris, Hydrometris? Optime hæc ſuis deſtinata uſibus non infrugifera ſunt, ſed prout monui, ex matheſeos regulis deſumpta, ad corpus humanum nihil faciunt. Niſi, prout aliqui ridicule Chymicis objiciunt de furnis, quod ipſi omnem ſapientiam ad illa inſtrumenta revocare velint, illaque in corpore humano locum habere demonſtrare conentur. Ubi autem Aeris exantlatio, morbus viſitur vel effectum morbi in machina humana? Ubi vaſa noſtra ab omni parte repræſentant barometra, Hydrometra &c. illum ad uſum conſtructa? vel ſuſpenſi in aere noſtro liquores cernuntur, & quibus modis Mathematicis hiſce incommodis ſuccurendum demonrent Viri ingenioſiſſimi. Fateor plurima talia, contemplantem detinere pro tempore hominem, aeriſque gravem elaſticitatem multum facere ad preſſionis perpetuationem, ſed hæc etiam in mortuis accidunt æque ac in vivis, mutatis tantum gradibus. Ideoque hæc deſignanda forent, quot & quibus modis illa fiant, in ſanitate, morbo varietate morborum & morte, id eſt, in ortu, progreſſu & deſtructione noſtræ machinæ, per medicamenta, alimenta, venena, animæ & corporis exercitia, &c. Quod ab illis tamdiu efflagitabimus, donec demonſtrent, vel inſcitiam circa talia fateantur.

Ana-

Anatomia, ſitum partium ſolidarum proſequens, earum nexum, ordinemque varium proſequitur. Inveſtigatores hujus, unicum ſibi proponere ſcopum videntur, detectionem vaſorum non ſolum majorum, ſed etiam minimorum, quibus machina ſolida jam in ſtatum ſoliditatis redacta conſarcinatur, fluida continentium Sedulli ac profecto ea in arte viri ſatis acuti, hanc inquiſitionem plurimis inventis ornarunt, non ita nec tam clarè olim obſervata detexerunt, novis etiam obſervationibus egregie nobilitarunt, unde, in medica arte promovenda, ſuis non deſtituuntur laudibus. Fluidi etiam motus progreſſivos, in hiſce vaſis ſolidis, optime demonſtrarunt, unde communicationem omnium partium Machinam conſtituentium, non ſolummodo revelarunt, ſed exinde non mediocrem Medicinæ inveſtigandæ lucem obtulere. Pleraque autem commoda, imo unica fere auxilia ei parti exhibuerunt, quæ proprie Chyrurgiæ nomine venit. Namque dexteritate ſua ac inſtrumentis appropriatis, partium extirpationis ſeparationiſque methodum accuratam ediderunt, per detectas, interlineationum notas, omnium majorum & minorum molium & vaſorum, in animali Machina exiſtentium. Idem in partus difficultate, manuali operatione ſublevanda, in lithotomia & ſimilibus incommodis violenter, ſed dextrè, tollendis, felici ſucceſſu abſoluerunt. Digniſſimi igitur, ſuis ut deprædicentur encomiis, ſunt, ac laudibus & honoribus, merita eorum æquantibus, proſequendi, ab iis præſertim, quibus Medicum ſolidarum partium ſtudium cordi eſt.

Mul-

Multæ autem obſtant difficultates, impedientes progreſſum hac in arte, quæ non tam facile removebuntur, quamdiu ſeſe illius cultores circa plurimas nugas detinendo, tempus inutiliter terent. Ad minima enim tranſeunt vaſcula, etiam capillares fibrillas, miliares glandulas, & reliqua ſimilia attingentes, ut ſemper de novis hactenus inauditis oſtentationes protrudant, gloriolæ magis quam humanæ utilitatis cupidi. Mille nomina barbara imponunt, minutias ſuas magnifico aut ſordido modo decantantes, cum revera nec ad praxim, nec ad Chirurgiam faciant ſimiles quisquiliæ, niſi ut operoſior reddatur Anatomia, oculos hoc modo & aures paſcens, nihil agens. Curioſitati autem & diligentiæ eorum eſſet condonandum, ſi interim meliora neglectui non haberentur, quod plerumque accidit, curioſa non utilia proſequentibus.

Cereæ, metallicæque vaſorum Anatomicorum operæ, quid utilitatis attulerint, nemo facile dixerit, niſi ut tyronibus & plebeis admirationi ſint, atque Theatrorum anatomicorum ornatum conſtituant. Extra conſtitutionem naturalem poſita præparata, ſcientiam præbent cadaveroſam, imo damnoſam, nam ad haſce leges referre motum partium inſanire eſſet. Mirandum igitur, quod tantoperè illis præparatis dictis inſudent, theſauros naturæ quaſi effodientes, plurimos ſumptus & tempus non modicum iis impendentes, donec tandem, doctiores facti, confiteri cogantur, ſe magno molimine magnas nugas peperiſſe.

Eadem obveniunt Medicis cadavera ſuorum

ægro-

ægrorum, indiscriminatim cultro Anatomico subjicientibus, exinde, Diis faventibus, arcana naturæ effecta eruentibus. Sed quis tam fatuus, ut credat, ex destructa machina, in suis organis mutilata, in fluidis corrupta, mediante dissectione, sapientiam Medici crescere, præsertim talis, cui principia morbi, effecta motus intestini continuati, reliquaque symptomata, nisi forsan in fine cognita fuere? Is facile in talem descendet cogitationem, qui crediderit Auguribus & Aruspicibus exta inspicientibus, exinde ac præterita & futura rationantibus. Quot enim millia, calculo laborantia, mortuorum dissecta cadavera? nihil tamen exinde certi de ejusdem generatione statuerunt Anatomici. Reliquos, morbis variis defunctos, prætereo, quorum historiolas suis inseruerunt divulgatis libris practicis, ornatus & delectationis, non utilitatis nec doctrinæ causa. Hisce tanquam miracula naturæ, monstra monstrolaque effecta interseruerunt, tempus terendi non instituendi causa. Melius, saltem meo judicio, facerent hi compilatores, ut hæc inter historias præternaturales, ut loqui amant, medicas, seorsim tractarent, sic hæc avide legentibus satisfacerent, praxin non denigrarent. Optime autem propriæ famæ & Medicinæ veræ consulerent, si causas rerum, successuum, effectuum, finium, attentius examinarent & docte offerrent, experientiaque duce suum rationale lumen, aliorum luminibus adderent & devoverent, in amorem proximi & sui.

Anatomia igitur circa machinas solidas cultris suis in partes integrantes dividendas, versatur, fluida extra eorum limites derelicta, multum

tum defectus incremento ipſius Medicinæ promovendæ reliquerunt. Sic enim nobis ob oculos poſita fuit conſtitutio, non uſus vaſorum delineatus ab ipſis in lucem prodiit, ſtatuam mechanicam internam & externam ubi proſequitur Artifex. In hiſce generales tantum, & familiariter obviæ ſtructuræ, cavitateſque ſufficienter illuſtratæ, deteguntur à ſuis velaminibus denudatæ, multifarie etiam jam exiſtentes alterationes ſæpiſſime ab ipſis deſignantur hiſce in vaſis hic illic in ſua conſtructione variantibus; ſed de humoribus alterandis, eorundemque futura mutatione, niſi externam, ac ſuperficialem eruditionem excipias, alte ſilent. Inſertiones vaſorum perſcrutantes, relinquunt egregias mixtiones fluidi, ac ſi vitam mobilem ejuſque functiones ipſi machinæ ſolidæ tribuerent.

Ideoque Anatomia ei Medicinæ parti perficiendæ, innititur, quæ ſolidorum, ſua naturali conformatione gaudentium, corporum, ritè medendorum regulas reſpicit. Hæc autem pars Medicinæ, nunquam praxis ſimpliciter nominatur, ſed Chirurgia ſeu manualis operatio. Hoc demonſtrant & evincunt eorum inſtrumenta ſecantia, ſcindentia, perterebrantia, uno verbo, partes ſolidas ſemper reſpicientia. Inſuper eorum faſciæ, ligaturæ, &c. quibus vaſa ligant, & à ſe invicem diſtinguunt, idem redarguunt, nam hæc fluidis applicari nequeunt. Reliqua quoad cognitionem ſtructuræ humanæ, in ſuis elaboratoriis & vaſis diſtinctæ, ad ſcientiam Medicam, non ad ejus Artem, ſeu exercitium nobile Medicinæ Practicæ, releganda ſunt.

Hiſce non contradicunt, eorum experimenta de fluidis facta, nam illa nunquam Anatomiæ, nec ejus inſtrumentis debentur, ſed aliis viis ea proſequuntur, id eſt, per motum corporum ad fluidam miſcelam pergentium. Hinc non tanquam Anatomici ſed tanquam Chymici rem agunt, nempe non ſecando & ſcindendo ubi res agunt, ſed transfundendo & miſcendo fluida. Quis autem prohibet, Anatomiam Chymiæ poſſe jungi? Plurimi enim in utriſque excelluere Viri, ut Borrichius, Bohnius, VVilliſius, &c. magni pariter Anatomici & reuerà inſignes Chymici. Sunt enim duo maxima medicinæ fundamenta, à nullo ſanæ mentis Medico rejicienda.

Geographorum humanorum vices ſupplent Anatomici, in machina noſtra, regiones & loca, ad vivum exarata, offerentes viſenda. Eorum autem mobiles fluctuationes, tempeſtates, æſtus reciprocos, ac innumeras alterationum obſervationes, non uno modo illas geographicas poſitiones aſſicientes nautis & itinerantibus relinquunt, ut proprio periculo prudentiores fiant, in, conquirendis mercibus, in reſarciendis jacturis, in vaſtationibus præcavendis, in defenſionibus illorum corporum contra injurias inferendas aut illatas, &c. quæ aliorum curæ committunt. Hinc natum videtur Proverbium, *optimi Anatomici, infeliciſſimi Practici.*

Supereſt illa ars, quæ de fluido exercitio corporum agit. Plurima, imo fere omnia, ex fluido ortum traxiſſe, & ſacræ & nobiliores profanæ hiſtoriæ denunciant, illudque experientiæ innumeræ confirmant, motuſque corporum, ſcenam mundi verſatilem exhibentes, evincunt. Soliditati

tati igitur, non primus ſed ſecundus locus aſſignandus eſſet, ſi naturam ducem ſequi nobis integrum foret, ſed ſolida inveſtiganda præcedunt, quoniam à poſteriori ſemper tantum inchoare nobis conceſſum eſt, nam à ſenſui maxime ſubjectis ordimur, ut ad inſenſibiliora pergere tandem poſſimus, quæ via ſemper calcanda erit, dummodo rationi & veritati non repugnet. Lubrica & inconſtantia in hac parte ſeſe offerentia corpora, rarius ſimplici vel uniformi figura inſtruuntur, unde majora præcedentibus requirunt adminicula, obſevationes plurimas, judicium quietum & ſolidum, omniaque ea quæ doctiores vere ornant mentes, ut corporum niſus & tendentias Artifex dirigat, eas ponderet, tandemque hoſce motus ad deſtinatos fines deducat ut ornata poſtmodum corpora producat, in ſuas tandem claſſes diſtinguenda. Uno verbo ſi geometrizare divinum ſit opus, ſecundum Excellentiſſimum Philoſophum gentilem, fluida per motum in varias ſpecies diſpeſcere, ac eventa exinde rerum mundanarum gubernare, & generare, ſunt ipſius Dei opera excellentiſſima, ſecundum ſacras literas, nulli dubitationi locum relinquentes. Humanam autem humilitatem agnoſcere, prout in pleriſque, in hac arte quam maxime cogimur, ubi omnia fluctuantia cernimus, incerti ſæpius de motus principio ac fine, niſi ſenſim ac ſenſim per familiaria reddita effecta, cognitaque paulatim diſpoſitione concurrentium corporum, tandem concluſiones firmas acquiramus, ex reſultante fine, forma nempe rerum ultima, inde emanantium.

Hæc autem de fluidorum exercitio tractans

Ars, nec pharmaceutico nec alchymiſtico operi inſudans, nec lucello ignominioſo merè inhians, nec ſolius corporis ignobilis auxilio ſeſe fidens, nobiliori uſui deſtinatur. Ipſius naturæ leges abſtruſas rimatur, eamque pede preſſo proſequitur, lente feſtinans, non furnis ſolis, non inſtrumentis artificioſe excogitatis, non igni deſtruenti, ſecure indormiſcit, ſed graves corporum luſus, ab omni parte in ſcenam ſuam profert, eoſque attente depromit, conſiderat, comparat, dijudicat. Vilem enim Chymiam, Pharmacopæis ac Materialiſtis relictam, plebejæ inſtar philoſophiæ habemus, & lanionibus ſua eſt relinquenda Anatomia, Operariis ſua Matheſis, rudiori Minerva procedentibus concedenda, prout in vilioris ſortis hominibus aliqua eruditio, brutalem vitam ſuperans, elucet, non ſemper contemnenda. Idem occurrit in variis ſcientiis & artibus, non æque ab omnibus excultis, ut in empyricis, Agyrtis, circumforaneis, & ſimilibus liquet, quæ referre ſimul tædioſum & odioſum. Saltem diſtinguenda hæc eſſe, eo magis monere volui, ne Myſochymicis ſolas contumelias, ac in hanc nobiliſſimam artem calumniantes invectivas ſupereſſe concedamus, cum plurima in alios, & in ipſos dictatorio jure abutentes Magiſtros, incidant vitia, non uno calamo perſtringenda. Etiam ut moneamus Chymicos, non ab omni parte beatos eſſe, ſed ab incunabulis levioribus ortum traxiſſe, progreſſuque lento ad altiorem lucem perveniſſe, non uno ſaltu palmam aliis præripuiſſe, ſed multo ſudore Palladis limina ſubintraſſe, nondum Palladium poſſidentes.

Chy-

Chymia fluidorum exercitia, grauesque Naturalium corporum lusus perlustrat, adeoque vitales universi actiones prosequitur. Igneos motus per Solem & salem, assequendos perpendit, eosque in abditioribus corporum duriorum spirituosis recessibus investigat, flammeas id est, luciferas ex orco animas educens. Corporum solidorum repagula blande aut graviter solvit, ut ibidem contenta ac sepulta lucem aspiciant analysi curiosa, ubi in lucem edere coguntur ea, quæ oculos fugiebant. Hæc autem non magnis instrumentis sed tenuissimis punctis salinis, quibus ipsi per totam vitam carere nequimus, fluctuationes mundanas profert non alibi æque observabiles, facieisque rerum mutatas, in apricum æthere, igne, Aere intervenientbus prolatas offert. Corporum intricatas texuras extricat, illasque in simpliciores partes reducit, non ita cohærentes. Statum eorundem & accidentias invertit, nunc solidum, nunc fluidum reddendo, levibus miscelis. Ipsaque corpora, nunc Ætheri, nunc terræ jungere videtur ad motum vel quietem reducenda. Eorum vires, simul cum figuris evertit, alterat, immutat, ut meram inconstantiam prodat, & demonstret, quam parum distent à venenis Medicamenta & alimenta. Quieta, compacta, solida, & hac ratione ad nostram machinam afficiendam ineffi-cacia, fere nulli usui inservientia, mobilia, levia, fluida, efficacia esse facit. Colorum, Odorum, Saporum, productiones, existentias ac modificationes innumeras in campum producit. Contenta interna in uno eodemque individuo dicto & continentia examinat, ac in va-

rias redigit claſſes, ſpecie differentes, imo ſæpius in effectis totaliter diſcrepantes. Motus inteſtinos in perſcrutatione difficillimos petractat, illos ad ſuos fines mechanicos graviter deducendo. Miſcelas corporum expendit & diſpenſat, ut luculenta motuum variorum ſpecimina inde hauriantur. Uno verbo ſolida æque ac fluida, ipſis pro modificatione motus obtinenda in magna parte obediunt, inſtrumentorumque aliquorum ſolidorum, igniſque & Aeris beneficio, pleraque ſuis manibus ſubijciunt, & ad lancem experientiæ illa examinant.

Non autem deſunt huic Arti ſua incommoda, imo vero plurima ſunt, quæ illos Artifices detinent. Lucrifera intentio circa Metallorum transmutationes, multos transfixit. Illud tamen boni inde reſultavit, ut egregia experimenta exinde, eorum ſumptibus non modicis, orbem beaverint, quod paſſim teſtantur artes tinctoriæ, pictoriæ, metallicæ. Non inglorius igitur labor, ſi alia ſpectes effecta, manſit, miſi iis quibus loculi emuncti, pauperiem ultimam afferebant. Unde, ut credo, odium in hanc Artem maximum reſultavit magni Verulamii.

Curioſitas mera, qua mediant, excellentes motus, tincturas eximias, ſubverſioneſque ſtatuum intendebant, ut, ludendo quaſi, tempus terere poſſent, parum ſolliciti quibus mediis hæc procederent, nimis craſſa & invita fere Minerva exhibentes ſuas iis de effectis rationes. Præſertim hæc ubi tentabant in aliquibus caſibus & corporibus, non ulterius excurrentes, tum quod rudes eſſent, tum quod labor deterreret, tum quod ſumptus deficerent, hoc modo ſibi non

aliis

aliis vivere coacti. Indoctorum hominum labores, potius ad victum quærendum, quam ad ſtudia promovenda, latitare coegerunt eximias experientiæ utilitates, illæ enim ad vulgum ignarum non pertinent. Omnibus autem ſuæ laudes non denegandæ, quod plurima detexerint ignota, viamque ſtraverint, ad plurima alia inveſtiganda & obtinenda.

Maxima inſuper detrimenta obtulerunt invidi, omnia inventa ſua celantes & pro arcanis habentes, ut poſſeſſores ſuos locupletarent, quamuis & illud ſæpius ingrato mundo imputandum. Plurima hoc modo periere, & de novo reſuſcitata lucem aſpexere, Veteribus olim cognita, unde non minima longitudo artis producta. Præmia honoribus debitis juncta, indigne diſpenſata, abſque dubio inventorum nobilem progreſſum impedere, & ne creſcerent divulgatione perpetuanda, mundo prohibuere. Singuli enim quærere coacti, pauciſſimorum inventorum teneri poſſeſſores morimur, labores etiam improbos ſuis fructibus junctos non raro nobiſcum humo mandantes. Nepulones, Agyrtæ, fumivenduli, illi inſuper arti, minimam non intulere labem, affricando enim nequitiæ ſuæ maculas, totam fere artem odioſam & ſuſpectam iniquioribus reliquerunt Æſtimatoribus, præcipue Miſochymicis illud odium maxime fo-ventibus, ac ſi commiſſa unius alteriuſve, omnes ejuſdem farinæ artifices conſtitueret, uno carbone denigrandos.

Nunc quibus procedat mediis Chymia inquirendum reſtat, ut ea ad Naturæ & Medicinæ opera comparemus. Exceptis furnis, igneque ter-

reſtri, Chymicus corpora per corpora examinat, adeoque nullis tunc inſtrumentis indiget, niſi mere naturalibus. Sic in Effervescentiis, miſcelæ ſunt duorum corporum, ſe mutuo validius penetrantium, cum plurimis ſenſibilibus effectis inde emanantibus, in natura ubique conſpicuis, nempe calore, frigore, effluviis copioſis ac nebuloſis, expanſione ventiformi imo ventis, forti iæterum concuſſione & tremore omnium partium, ſeceſſu partium vario, &c. Hæc etiam in noſtra contingunt machina, ut in Hatibus, convulſione, febribus, horripilatione, frigore & calore extraordinariis, diarrhæa, colica &c. In Fermentationibds mera eſt corporum inteſtina actio, à corporibus allis orta; unde exaltationes ad ſpiritum ardentem, acetum, tartarum, fæces; hæc autem quam proxime accedunt ad varios motus inteſtinos alimentorum, potulentorum, digeſtionis noſtræ inventriculo, ſeceſſu bilis, &c. In Putrefactione ubi continui ſolutiones obſervantur, in prioris figuræ corporum deſtructione acquirenda, ibi nihil tentat, niſi quod ipſa molitur Natura in morte rerum, in gangræna, in ſphacelo, in ulceribus ſordidis & cacoethicis dictis, in morbis malignis & peſtilentialibus, in Maraſmo & cachexia, &c. Digeſtiones, macerationes, circulationes, ſolutiones & percolationes chymicæ, ſunt mera Naturæ, non ſolius artis Chymicæ, producta, quæ perpetuo cernuntur in noſtra Oeconomia, in præparatione alimentorum, Chyli, Sanguinis, Lymphæ, bilis, ſalivæ, urinæ, &c. Præcipitationes & coagulationes, utinam pauciores in noſtro corpore conſpicerentur minus laborarent,

rent, ut patet in calculo, arenulis, Schyrris, Hydrope, Podagra nodosa, &c.

Non solum hasce naturalium motuum tendentias in lucem edit, sed earum causas, progressus, status & fines prosequitur, ut certior fiat de motuum illorum investigatione exactiori. Hæc sibi aliisque familiariter conspicienda, eum in finem tradit, non ut ea admiretur ibidemque hæreat suspensum judicium, sed ut ulterius tendat ac obviam eat, Naturæ nimium properanti sæpius ad ruinam quorundam corporum, vel ei succurrat languidius incedenti. Sic exhibet extinctionis motuum illorum modos, ut ex motu intestino gravi, fiat motus propulsivus blandus, per fluctuum illorum compositionem, etiam per mera corpora. Exinde relatione judiciosa & comparatione egregia, perpendit talia corpora, ab hisce externis, ad internas nostræ machinæ passiones mobiles, ex iisdem assumptis productas. Ex: gr: fermentantia sunt purgantia, in nostris humoribus: Acida effervescentiam maximam admittentia, sunt astringentia, coagulantia. Quæ post hac ulterius proponenda erunt, ubi de ipsis Medicamentorum operationibus agemus.

Restant igitur eorum ignes & furni, sed an hi non comparandi essent, cum calido Antiquorum innato & cum facultatibus eorum? Calor enim, quovis modo consideratus est species ignis, & est actio salino ætherea particularum, ad fluorem & extensionem majorem tendentium. Quod sit ignis, illud evincit Hiems ignibus mitiganda, non ad solum externum sed etiam internum calorem, ventriculi & nervorum

rum majorem efficaciam obtinendam. Illud ulterius patet in hypocauſtis & luculentis focis, ubi hilariter tranſigunt hiemalia frigora ſeptentrionis incolæ, alias vita privandi. Si igitur ignis terreſtris tam deſtructorius eſſet, ut plurimi volunt, in hieme maximæ hominum ſtrages fierent, quod contrarium eſſe, ipſa evincit Medicina, nam in Æſtate plures ſunt lethiferi morbi, quam in Hieme. Furni ſunt inſtrumenta quibus compeſcuntur motuum modi, ſi aliquando deſtruantur in iis corpora, idem contingit in noſtra machina, in excrementis, cruditate nidoroſa, pure, &c. Hæc autem fiunt in certis inſtrumentis cavitate ſufficienti dotatis, unde ea ratione cum furnis conveniunt. Admittunt aeris preſſionem pulmones, inteſtinum calorem ventriculus patitur, attenuantur humores, in effluvia ſubtiliſſima & in partes craſſas tandem rediguntur in ſuis cavitatibus. Idem peragit Chymia in ſuis furnis aliiſque inſtrumentis, unde non tantum aberrat hæc ars ab operibus noſtræ & totius Naturæ, ut latius poſthac patebit.

Chymici itaque ſunt ii, qui per deſcriptas jam terras, aquis undique ac undique cinctas, itinera ſuſcipiunt. Non ut ſimpliciter oras luſtrent, maria percurrant fluida, variationeſque ſituum obſervent, ſed ut corporum aptitudines ad hos illoſque motus ineundos, eorum contenta & interiores moles, ac tandem reactionem variam rimentur, corporibus proficuam & noxiam. Ex hiſce commoda promovere, incommoda noſtræ vitæ dimovere, intendit Chymicus & quantum poſſibile, ſuæ curæ committit, contractione &

ex-

expanſione velorum medicorum. Iis obſervationibus inſtructus, imminentes prævidet, ſedulò præcavet, & prædicit tempeſtates inſtantes, ex ipſa motuum inteſtinorum fideliori inveſtigatione. Pixis magnetica ipſi præſto eſt, reperiunda in ſalium natura, ab illorum reactione fideli in alia corpora, è quibus fideliora acquirit indicia. Chymiam, opus abſolute omnibus numeris perfectum, non ſtatuo, ſed eam artem humanam eſſe propono, in ſuis operibus latiſſime ad Naturæ operas accedentem, ad quas non tam facile reliquæ ſeorſim perſpectæ pertingunt. Quoniam maxime naturalibus utitur inſtrumentis concavis, ætherem, aerem, ipſa corpora contenta moderantibus, quæ in Macrocoſmo & in Microcoſmo etiam viſuntur, in generatione, alteratione & corruptione corporum. Quoniam corporibus iiſdem auxiliantibus actiones ſuas proſequitur, quibus Natura opus habet, ut Sole & ſale, Aqua & Terra. Quoniam effecta motuum concordant, in natura æque ac in Arte. Quæ de aliis ita dici non queunt. Si in errores deviet Artifex, illud ipſi & cæcutienti generi humano, non arti tribuendum. Moderationes motuum, hujus artis impigro labore, in majori, ut non dicam in ſola hac rationali experiendi via aſſequendas eſſe, unusquiſque ex eorum Artificum ſcriptis reperiet, unde reliqui ſua hauſere curioſiora. In moderamine illo, totum praxeos optimæ fundamentum habitare, omnes cordati Medici confitebuntur, ubi nihil magis ſtudent, quam dolores & devios motus compeſcere, Archæum & humores ſedantibus mediis.

Botanicam ubi quis inquirit, ibi ſolam materiam reſpicit medicam, etiam in ſtatu ſolido verſantem. Sunt igitur arma medica exinde concinnanda, ſed eorum directiones, à Botanicis non fluxere, ſed ab aliis illam materiam ulterius examinantibus, ac ſub certas claſſes, non Botanicas ſed Medicas, reducentibus. Botanicus enim, proprie non eſt Medicus, ſed Materialiſta, qui acervum medicamentorum accomulat ad quosvis vſus. Ideoque intentio Botanicorum hucusque non fuit, ut Medicinam excolerent, ſed ut ſuos hortos adornarent infinita variegatione Vegetabilium & ſimplicium, Ob hanc rationem, ex unius ſpeciei, herbis, plantis, &c. ſolo flore, colore, aliiſque levioribus circumſtantiis differentibus integros pulvillos comparaarunt, deſcriptionibus ſuis ornatos, quod nihil ad medicinam colendam facit. Reſervatoria eorum calida, ad exoticas arbores, plantas, herbas, fartas tectas in vegetatione reſervandas, ne minimum quidem lucri hucuſque ad Medicam praxin contulere, ſed quidem ad ornatum. Unde eam hic ulterius proſequi, nec libet, nec licet, niſi eorum conatus aliud demonſtrent & evincant, ſed hi hucuſque leviores exſtitere, quam ut aliquid ponderis præ ſe ferrent, quoad Theoriam & Praxin.

Galenicorum Filios obſuſurrantes mihi audire videor, quod ipſis ultimam conceſſerim ſuæ authoritatis in re medica inveſtigationem. Sed iiſdem, ſedato pectore ad interrogata reſpondere, ſi dignarentur, ſequentia mea dubia proponere animus eſſet, ut hac ratione odioſæ loghomachiæ nullus ſupereſſet locus, & ad rem

ipſa

ipſam propius accederemus ; ignorantia & excuſatione omni ſublata :

1. An Authoritas in Medicina valeat ?

2. An Veteres omnia reſciverint, eaque plana vel obvelata nobis reliquerint ?

3. An eorum ſcripta ſint infallibilia ?

4. An Naturam ducem obtinuerint ?

5. An ipſa Natura ab illo tempore defecerit :

6. An nullæ evidentiores demonſtrationes, poſt illa tempora in Medicina apparuerint ?

7. An illi Antiqui abſque ullo fuco de ſe, & ſuis factis medicis ſcripſerint ?

8. An junioris Ævi Medici, ſoli gloriæ, non veritati litaverint, nec Naturam operantem proſecuti fuerint ?

9. An Natura non amplius perſcrutanda, ſed Imperatoribus illis, eorumque dictatoriis legibus omnia ſubjicienda ſint ?

10. An Medicus naturam ignorans, ejus poſſit eſſe Miniſter ?

Quoad primum ſi authoritas valeat, cur non obtemperant juſſis Æger, Natura, morbus ? primum ad Aphoriſticum Medici pronuntiatum, ubi de criſibus audacter ſtatuunt, dies morbi fugæ inevitabiles, morbo ad illorum verba ſurdo, ut mihi aliiſque ſæpiſſime contigit, in conſiliis Medicis. Cur me alioſque igitur deterrerent bruta illa fulmina, & quare inveſtigationes infidorum ſucceſsuum non promoverentur ulterius tendentes ? Ab eorum ignorantia, vel non bene intellecta ſuorum Oraculorum lectura, hæc procedunt, ut tam male res vortant, iis quibus ſimilia curæ ſunt.

2. Si penes Veteres universalis scientia fuerit, eaque nullis limitata terminis, ea aut à Deo, aut à Natura, fida Dei ministra, ipsis accessit. Si à Deo, cur Ethnicis hæc potius communicavit, quam Judæis & Christianis? Deus enim sanam iis mentem largiri in sano corpore, æque voluit, ac aliis ipsum non colentibus Nationibus. Attamen nulla ibidem vestigia, sed apud hosce, soli gentiles, hisce sacris admissi proferuntur. Diabolus, in perniciem humani generis conspirans, absque dubio hæc non suppeditavit proficua, nam ei Venenorum instigatio propria quodammodo esset. Natura iis prælucens in suis operibus, ab investigatione egregia, ac sedulis experientiis, eosdem majore doctrina beavit. Sed hæc inventa, ipsis latentibus ad nos pervenere nimis alta industria constructa, ut Ædificium illud admirari, non imitari liceat. Ideoque anxie satis sua occultarunt, nec aperta fide sua revelarunt, nam hæc demonstrationibus naturæ innitentia dicta, iis ornari potuissent, ad majorem probabilitatem obtinendam.

3. Infallibilitas ubi adest, ibi eventus rerum semper unus, suis legibus à principio ad finem determinatur. At in hac parte maxime claudicare videntur, quoniam rarius auscultant dicta factis, alias enim Medicina non tam infirmo procedere talo cogeretur, ab illis lectura doctis Medicis, sæpius Aphoristicè delirantibus. Plurimi cordatiores Viri, hanc labem videntes, minus quam par est, eorum Præceptorum antiquariorum monita habuere, ac nihil magis Aphorismis obfuit, quam eorum Tyrannis à Græculis

ſis & Galenicis docentibus invecta. Mea opinione eorum deſes vita, ac in verba antiqua conjuratio, propriæque gloriolæ cum iis dividendæ cupido, illud ſtigma ſervilis ignominiæ medicæ, invexere.

4. Naturam aut ſecuti fuere aut non, ſi illam ſecuti, optime & nos illam velle ſequi profitemur, etiam cum & ſine iis præſcriptis, quoniam illius inveſtigatio nobis expreſſe demandata. Si vero illam rejecerint noſtri Duces eſſe nequeunt, ſed alii quærendi, vel ipſa Naturæ viſcera imploranda, ut nobis ulteriora demonſtrent Medicinæ altius evehendæ neceſſaria.

5. Naturam deficere, anicularum ſunt deficientium querelæ, ſed ipſius defectum vix probant ulli. Si ante-diluviana nobis magis nota forent, ex iis multum lucis haurire liceret, ſed horum jactura irreparabilis, nobis divinandi non ſciendi uſum reliquit, an Naturæ opera grandiora eo tempore eluxiſſent. Sed poſita naturæ deficientia, ea quam maxime obeſſet lecturæ illi, nam quæ extra nos nihil ad nos. Nam ad tempora & actiones præſentes, Naturæ Miniſter ſeſe adſtringit, non ad præteritas, nec ad olim futuras. Unde inquiſitionum excellentia, eo magis laudanda & proſequenda, quamvis lecturam vellet aliquis jungere experimentis, ut videat & comprobet differentiam.

6. Ab Doctiorum ſtudio, non tam ſteriles fuiſſe laborum meſſes, hocce ſaltem ævo, illud demonſtrant eorum ſcripta & inventa plurima. Hoc vel ea ratione, ſiquod grati animi indicium penes ipſos Galenicos eſſet, ipſos convinceret, ubi inventa novo-antiqua clariora propoſuere.

Nec

Nec morarentur eos Momi, nullius laboris Viri, qui omnia ſugillare, dente canino proſcindere ſalent, & juniorum, nigro Novatorum nomine, ab ipſis deſignatorum, glorioſa tentamina non deterrerent, ipſi ab omni latere Æthiopes, pluſquam barbari. Si melius, ſi accuratius, & diſtinctius, hæc in eorum bibliotheca exiſtant, ea in lucem edant, nullius in detrectationem hæc cedent, ſed unicuique ſuus ſtabit honos. Nam magna ingenia ſæpius concidunt.

7 Ubi homines contemplamur, eorumque de ſe ipſis dicta, ibi aliqua doli ſuſpicio ſemper locum habet. Magnifice enim de nobis ipſis ſentimus, & quantum in nobis eſt ſpecie veri, æqui, honeſti, libenter alios decipimus. An ſcripta igitur antiquorum iis vitiis immunia ſint, tamdiu dubitare licebit, donec contrarium demonſtretur.

8. Saltem junioribus, Praxeos & hiſtoriolarum Medicarum compilatoribus, hanc labem velle affricare nimis injurioſum eſſe videtur. Attamen in hiſce obſervamus ex novem defunctis & terræ ſilentio mandatis, decimum caput attollere, gloriam Medici ſcribentis decantans. Illud, abſque dubio, iis temporibus etiam uſui veniſſe, probabile eſt.

9. Naturæ neglectus, involvit ejus miniſterii inſciiam, & in confeſſo eſt nomine talem indignum medicum, cui opera naturæ latent. Atqui latere debent ea, quæ minus gnaviter à nobis eruuntur, vel ſaltem minus ac minus clara evadunt. Natura per ſua opera, non per lectionem poſſeſſionem alicui tradit ipſius miniſterii, ſed lectiones ſunt duces anticipantes, me-

diantibus aliorum laboribus, ac noſtros labores ulterius evehentes.

10. Si ignorantia operum ſit valde damnanda, præſertim ea omnimode vitanda in Medico. Ipſa etiam Natura perſpecta, Miniſtro ſuum conciliat nomen & decus, negligentia autem & mala interpretatio, prorſus indignum eo nomine eum reddit. Niſi miniſtri hi, tædio illius nominis correpti, jugum illud decutere, & Magiſtri nomine potius quam re ſuperbire velint.

Quid ex hiſce concludam, niſi male eos ſibi aliiſque conſulere, quibus naturæ inveſtigatio dedecori, authoritas humana gloriæ eſt. Imo exinde decrementa medicinæ illata apparent, ex male tractata Theoria de rebus Naturalibus, præternaturalibus, calido innato, Complexionibus, ſanguine aduſto, bile uſta, atrabilari humore, humido, calido, ſicco, frigido, de facultatibus attractricibus, retentricibus, expultricibus, & innumeris aliis nominibus, nullibi realiter in Natura exiſtentibus, unaque explodendis cum ſexcentis Hippocraticis ſanguineis particulis.

Concludo itaque, mihi vix allucere aliquam Theoriæ ac Praxeos certam ideam in Antiquis. Illorum autem obſervationes haud contemnendas ſtatuo, ſi ad lancem experientiæ ſuis ſtent talis. Nam omnia quæcunque protulit Hippocrates, non ideo ſunt vera, quoniam ipſe hoc indicat, ſed ubi natura illud producit & demonſtrat, Sic pleraque in Aphoriſmis obſervata, quæ vera ſunt, vulgaria admodum ſunt, &, exceptis paucis, viliora. Plurima ſunt, quæ contrariantur veritati, alia quæ ridicula ſunt,

alia quæ falsis innituntur fundamentis, ut circa purgationes elective sumendas & exhibendas. De quibus Sinapius, acutissimi ingenii Vir, optime ratiocinatur, adversus Hippocratis Aphorismos.

Sed opera Naturæ prosequenda esse, nemo Galenicorum inficias ibit. Quænam verò sint illa opera, ubinam rimanda, & quomodo tractanda veniant, ibidem non una omnium sententia. Galenicorum cohors, in solo homine, morborum historiis divexato, illa opera esse perscrutanda censet. Saltem reliqua experimenta, ad hominem non posse referri, quæ à Chimicis fiunt, nam illi ea tractant quæ sunt extranea. Casus igitur & eventus casuum ambiunt, quos primo describunt, ex suis fortuitis compositionibus adhibitis, dein effecta annotant, relationem sæpius non ad morbos, sed ad male adhibita & intellecta remedia, habentia. Tandem Methodice necatos Anatomico subjiciunt cultro, unde lethalem colligunt vitæ finem, exinde causam, in ultimo illo effectu annotantes. Hæc autem, quam inutilia sint conamina, demonstrare libet, ut exinde ficulnea illa argumenta appareant suis coloribus depicta.

In Morbi ortu, corpora existere ad huc vegeta unicuique patet. Hæ vires uno impetu corruunt in malignis, successivè tantum in vulgaribus morbis. In malignis æque ac in vulgaribus, status humorum per vices & aliquas temporis interjectas moras, perpetuo à pristina deflectunt figura, mole, situ, nexu, ordine. Hinc à principio ad medium sunt gradus, ut à medio ad finem, iique semper cum inconstantia

sua

ſua variant, ſecundum leges ſuæ naturæ. Hæ determinationes non poſſunt eſſe, ab omni parte, unæ in omnibus, quoniam variant pro ratione locorum & humorum illos motus ineuntium. Hæc effecta etiam diſcrepare debent pro complexione & temperie, ut cum Antiquis loquar, illorum corporum miſcelas varias ineuntium. Tandem hæc, in ſuis ultimis motibus, diſpoſitionem aſſumere coguntur, omnibus modis differentem, à ſuis primordiis naturalibus.

Hinc ſi Anatomicæ inveſtigationes, nos certos redderent, crudelitati antiquæ medicæ ſubjicere homines vivos deberent innumeros, & innumeris morbis detentos, vivos aperire diverſis temporibus cogerentur, ut principium, medium & finem operationis humorum aſſequerentur. Illa forſan fuere egregia inſtrumenta, quibus ſuum adornarunt Ædificium, Molocho conſecrandum, non Deo vero & unico dicandum, antiqui Medici, Servos impio conatu ad hoc opus execrabile deſtinantes ut in eorum hiſtoriis patet. Profectò, ſi rem altius intueamur, quis unquam corporis ortum, ex ejus interitu denunciabit putrido? quis vinum aduſtum adfuiſſe, in vappa demonſtrabit? Quis fermentum, in vino obſervabit limpido? Niſi illi quibus principia, non ſubtiliſſima ſed ſenſibiliora nota fuerint, ex congreſſu corporum ad motum ea ratione neceſſitate abſolutà feſtinantium. Hoc inquirere in corpore noſtro; eſt impoſſibilia velle, niſi hiſce viis omni humanitate privati incedere velimus. Imò & hæ viæ arduæ & nullo modo imitabiles obſervabuntur, ubi differentes aſpicimus humores, loca, regiones, tempeſta-

tes, & reliqua quæ intrà & extrà nos sunt. Unis enim investigatis corporibus infectis, ratio ulterius inquirenda esset non infectorum, ut hunc statum inducere posset Medicus oppositum materiæ peccanti. Restaret Medicamentorum inquisitio, etiam in vivis anatomico cultro subjiciendis, ut rite illas acquirere & notare possemus tendentias motuum Medicamentosorum. O quanta hominum inde futura esset strages, ex dictis non liquet & repetatur, illorum augurum Medicorum Dissentientium!

Sed Canes, aliaque animalia bruta locum suppletura statuent. Quid autem hæc ad hominem? Nam plurima medicamenta hominem lethaliter alterant, quæ animalia reliqua intacta relinquunt, & ex contrario homines impunè plurima assumunt, brutis lathifera. Unde & hac in parte semper Medicinæ claudicat praxis. Vasorum etiam conformatio non perfectè æqualis observatur, in omnibus animalibus. Inutilis exinde brutorum Anatomia, cui attamen magnum temporis dispendium impendunt seduli Anatomici, hac in parte à Galenicorum puriorum regulis deflectentes. Si vero, iis laboribus conferre aliquid Medicæ reipublicæ possint, conatus eorum laudandi venient, ubi hoc apparuerit.

Extrà corpus humanum igitur, tendere debet, ut ex familiari rerum investigatione, earumque tendentiarum perscrutatione curiosa, obtineat scopum lusus corporei. Hunc sensim & per vices comparans, ut in circumstantiis ponderet suis, ac rite ex oppositis lucem sibi fæneretur ex fumo scintillantem. Hosce tandem motus ad reactiones coactos, in aliis atque aliis corpo-

poribus examinet , , tandemque ad corpus humanum , qua fluidum & ſolidum , referat , ibidemque pedem figat , magis ex obſervatis firmum .

Hoc pede ipſe Hippocrates progreditur , ubi de Anni tempeſtatibus , de Ventis , aliiſque , naturalia producit Morborum effecta . Quamvis hæc ſatis empyricè ab ipſo notantur . Nam ſolæ tempeſtates , tantum ſunt generaliores cauſæ , è quibus nihil certi concludi poteſt , ad ſpecialia phænomena , ſed ubi penitius rem inſpicit naturæ Myſtagogus , repperit iis cum ventis , eas per tempeſtates , aliqua elevari & formari corpuſcula , quæ moleculas ſuo modo figuratas offerunt , per inſpirationem ex aere admittendas , bonorum aut malorum authores . Quæ ulterius nunc proſequi tædioſum foret . Obiter tantum , Venti ex locis flantes frigore ac nivibus damnatis , ſalia vehunt ammoniaca , nitroſaque , unde condenſationes humorum , limphæ muriaticæ , tranſpirationes impeditæ , ergo morbi dectoris , catharri , chronici , &c ; emergent . Venti ex locis calidioribus exhalantes , ramoſas , pingues , aliquando acres præbent particulas per aerem ſparſas , unde major diaphoreſis , motuſque vivaciores exiſtunt humorum , & non rarò morbi calidi ex frictione partium ſalino-ſulphurearum , exinde reſultant . De reliquis taceo , nam hæc optime quadrant operibus omnium corporum , in motu fluido quovis exiſtentium , ut ea dicere & demonſtrare æque facile ſit , abſque ullius Hominis Authoritate . Sed quod ventres ſint calidiores Hieme , quam Æſtate , ut ipſe ait , illud fidem merebi-

tur, poſtquam experientia comprobatum fuerit; nam hæc Naturæ omni contrariantur. Ipſe autem Senex, excuſationem ea ratione merebitur, quod auritus hæc dixerit, nam Græciæ & Aſiæ loca nunquam frigore aduſta obſervavit.

Si Galenicorum res naturales dictas, proprius intueamur, ex earum ſeptenario numero, ſex erunt ad fluidum pertinentes, una tantum ſolida exiſtente. Elementa nempe ſunt fluida rerum principia; Temperamenta à fluidorum curſu & conſtructione dependent; humores ſunt reipſa fluidi, functiones & facultates à fluidorum imperio & nutu unice diriguntur & perſiſtunt; Spiritus conſtituunt partem noſtri corporis fluidiſſimam. Reſtant igitur partes, quæ ſua ſolida conſtructione, ſtatuam mechanicam humanam complent, in quibus illa exercitia motuum vitalium viſuntur, & à quorum fluidorum motuum deviatione, ipſa ſolida ſuam amittere coguntur naturalem conformationem.

Si res non naturales proſequamur, ab iis ita ſed male nominatas, ibidem eadem occurrent. Nam Aerem, hic inter non naturalia recenſent, obliti Elementorum ante hac inter res Naturales enumeratorum, cujus fluiditatem nemo ſobrius negat; cibus & potus, in quantum fluidi tantum nutrimenta ſunt naturalia, Somnus & vigiliæ, ſunt meræ fluidi reciprocæ conſtitutiones magis minuſve cerebri vaſa afficientes; Motus & quies, cum præcedentibus coincidunt, nam abſoluta quies, in ſolidis ipſis vix conceditur, ut optime Nobiliſſimus Boile, in ſuis experimentis convicit; Excreta & retenta, ad idem conveniunt, nam retentio abſoluta non datur

niſi

niſi pro tempore, excernendi autem modus, per fluidi preſſiones tantum fit; Animi pathemata, aut potius corporis affectiones per cogitationes varias, nemo homo negaverit, à ſpirituum violentiſſima concuſſione produci, unde humorum reliquorum turbæ & confuſiones horridæ in campum procedunt.

Res contra Naturam ſeſe offerentes, eidem claſſi adjungendæ veniunt, nam ſub eorum vexillo hoſtiles ſuos proferunt inſultus. Morbus enim, per ſe nullus datur, niſi morbi cauſa adſit & præcedat ipſum, hæc autem primo humoribus, dein partibus ſolidis communicatur vitiandis. Symptoma eſt effectum effectus ulterioris morbificæ materiæ, quod à fluidi perverſa miſcela, motu, arietatione reſultat, atque per motus inteſtinos fovetur. Unde ſufficienter patet, etiam Galenicorum ſcriptis illud dictitantibus, fluiditatis vim eſſe ipſam naturam naturantem naturatam ut cum illis, obſcura utentibus enuntiatione, loquar.

Medicamenta quod attinet, hæc miſerrimis vocabulis expreſſa, ab eorum Magiſtris nunquam intellecta fuiſſe liquet, ubi gradus caloris, frigoris, humidi & ſicci, ab iis traditos percurrimus. Nam avidè reſcire vellem, quomodo illi quadrare poſſint ſtatutis ac receptis complexionibus. Si enim bilioſus recipiat frigidum in quarto gradu medicamentum, illud ad minimum temperabitur ad tres gradus, per fervorem bilis acrem, illud ex contrario augebitur in Phlegmatico frigido, & ſic in reliquis. Nullæ etiam hic diſtinctiones fiunt, valde tamen neceſſariæ, reſpectu criſium tantoperè ab iiſdem promota-

rum. Criſis enim eſt motus violentus humorum, tendentium ad ſuos fines, in quibus perpetua eſt figuræ inconſtantia. Cum autem, abſoluta neceſſitate, corpora agant ratione ſuæ figuræ, illa nunc calida, nunc acria, nunc blanda effecta præbebunt, nullo modo reflectentia ad illos gradus fictos. Illud demonſtrant medicamina, una eademque doſi exhibita, diverſis in morbis non ſolum, ſed etiam in iiſdem, contraria effecta edentia, quæ poſthac proſequi occaſio dabitur, in medicamentorum operationibus ſecundum Naturæ leges inveſtigandis ac detegendis.

Sicco pede prætereo, eorum compoſita medicamenta, quæ ad nutum Medicorum vacillantium in ſua praxi, mixta & præparata ſunt. Simplicia à compoſitis differre unusquisque novit, ſed compoſita nullis modis reſervare ſimplicium naturam, hoc non æque omnibus patet. Quod tamen eouſque verum eſt, ut exinde toto cælo differentes proſiliant effectus rerum, neutiquam cum ſuis ſimplicibus comparandi. An vero Antiqui, hanc ultimam, ex farraginibus ſuis, reſultantem tendentiam & figuram, actionibus illis producendis aptam natam, clarè & dictinctè intellexerint, valde dubito. Saltem hæc non patent, ex eorum commentariis ſuper Theriacam, Mithridatium, Diaſcordium, &c. Nam ibidem meras obtrudunt nugas ſuis Lectoribus, in operibus Naturæ eruditis, ubi vident minimas miſcelas corpora invertere. Sed hæc per tot ſecula, magnam æſtimationem ſibi vendicarunt. Hæc poſſeſſio, eam nobilem, non magis utilem reddere poteſt. Plurimi enim errores, antiqua de ſtirpe nati, non deſinunt eſſe errores, quamuis

iidem

iidem non careant ſuis Antiſtibus, pertinaciùs illos defendentibus, eoſque vulgo obtrudentibus ad pompoſam non proficuam medelam retroſpicientibus.

Hiſce abundè ſatisfactum eſſe credo iis, quorum aures nondum obturatæ, ſanioribus Methodis recipiendis, vias non præcluſere. Nunc ad ipſa tranſeo Naturæ acta, in luſu Diuinæ potentiæ ſeſe ubivis manifeſtantia, ad hominem, nobiliſſimam nempe Naturam referenda, ejus in Creatoris gloriam determinata.

Fluidorum ergò perſcrutatio, ardua quidem ſed pulchra ſua offert dona, nudamque conſpiciendam præbet Dianam, ſedulis naturæ Inveſtigatoribus, eam in ſuis operibus imitantibus Mundana enim ſi ſpectemus, omnia motu igneo, fluore egregio, miſcela varia, ſe mutuo exercent, ut formas ipſas cudant novo-antiquas, nunc apparentes, nunc diſparentes, pro diverſitate liquidi & ſolidi, diverſimode coordinandi, ac in varia genera & ſpecies diſtribuendi, in ſuis ultimis tendentiis. Incertitudo autem major, non derogat ſcientiæ & arti, ſed noſtræ ignorantiæ ſpecimina non latere ſinit, quæ tantoperè alias celantur, ab arrogantis ingenii Viris. Siquis igitur emergere generoſo conatu ſtatuit, hic ampliſſimum reperiet campum in quo ſe excerceat, ut tandem non quid ſuum illi dictitaverit cerebrum, ſed quid ipſa agat Natura reſpiciat, dijudicet, demonſtret. Fidi & infidi experimentorum ſolido-fluidorum ſucceſſus, errores decelant, actionum declinationes ad certas claſſes redigunt, verum à falſo diſtinguunt, ſapientiamque humanam admodum firmant.

mant. Fluidis Nauta committens ſua vela, omnibus modis vigil imperat mari & fluctibus, ventorumque inſultus eludit, ſcopulos evitans, ut portum occupet ſibi propoſitum, quamvis omnem non raro induſtriam eludant improviſus aliquis motus tempeſtati horridæ junctus, novaque ac inopinata Telluris nondum notæ accidentia. Attamen non hæc deterrent alios, ſed contra audentius inſiſtendo mala ſuperant, ac ex aliorum periculis cautiores redditi, commoda ſibi & aliis plurima apportant. Eadem ratione Chymia, nullibi non proficua, ſi Mente ingenioſa auxiliatricibuſque armis corporeis circumſpectè tractetur, novam quaſi naturam arte productam in lucem edit, partu egregio diverſa in campum producens incognita, ulterius deïn phyſicæ & anatomicæ diſquiſitioni ſubjicienda, quamprimum ſolidam acquiſiverint formam.

Hinc præeminentiæ actionum, à fluidis ortum ſumentes, inveſtigationem in iiſdem nobilem ſed ſimul arduam conſtituunt, progreſſus autem ſpes, non minor inde hauſta ac ulterius exſpectanda quam ab aliis, circa ſolida verſantibus ſcientiis, modo patienter labores perferre, rebusque inſudare ſublimioribus conſtanter & leniter aſſueſceremus, gloriolæ vanæ cupidine derelicta. Nunquam Naturæ conatus, motus leges, generationis ac deſtructionis molimina, ſimiliaque talia phænomena in hoc Macrocoſmo obvia, clare & diſtincte percipere licebit, niſi valde ſuperficialiter, ſi fluidorum actiones & miſcelæ incognitæ, imo deſpectæ, maneant, quod ulterius nunc in ipſa Medicina, ad quam

unicè

unicè collimamus, demonſtrandum erit.

Ars Medendi, præcipue duo intendit, conſervationem figuræ jam conſtitutæ noſtræ machinæ, & reſtitutionem deviantis illius figuræ, amiſſa enim figura in ſolidum nunquam reſtituitur. Figuræ ſeu formæ illius generatio, æque ac ejus alteratio motui humorum, id eſt, fluiditati debentur, ad certas ſtructuras ſolidas tendenti ac pervenienti, quod demonſtrant ipſa generatio, accretio & decretio iſtius machinæ, in minimis æquè ac in maximis partibus. Ipſa etiam vegetatio individui per alimenta, potulenta, auræque æthereæ uſum abſolute neceſſarium, idem redarguit, à fluidi receptione varia, vitam illam vegetativam tantummodo perennem fieri. Humores ipſi varii, indefeſſo curſu corpus ipſum perrantes, irrigatione ac alluvie ſua corpus fluidoſolidum conſervant actionibus ſuis obeundis exinde aptum, ubi fluidiſſima Ætheris & aeris vicinia preſſa loca turgidula redduntur, ab omni parte fluidis cincta. Facultates, functiones, excretiones, ſpiritumque ſenſibiles impreſſiones, eo ex fonte derivantur, in fluidum partium motum conſpirantia.

In ſtatu ſano hæc contingere, nemo inficias ibit, in morboſo autem, hæc ſumma neceſſitate locum habere unuſquiſque reperiet, qui læſionem figuræ obſervaverit non poſſe fieri ſine humorum motu. Hic igitur motus, violento niſu corpora aggrediens, primo fluida qua ſolida, poſt modum merè ſolida afficit. Nec obeſt ipſa vulneratio, enſe, &c: illata partibus ſolidis, utpote quæ immediate fluida aggreditur extravaſanda, poſtmodum ſtagnantia, tandem in figuræ ruinam

motu

motu inteſtino conſpirantia, unde malorum ilia-da. Aeris inquinantia miaſmata, ſub effluviorum forma penetrantia, radiorum luminis nimii æſtus, contagioſæ exhalationes ex aliis corporibus, ſtagnationes Aeris, acres corporum concreſcentias proferentes, alimenta ac potulenta, ſub fluida forma peſſime informant corpus, ad Morbum diſponendum. Ipſa ſymptomata morborum, æquali aut inæquali curſu procedentia, illi debentur motui humorum, conflictu vario, revolutiones magnas molienti. Signa diagnoſtica & prognoſtica, eundem motum agnoſcunt, tanquam Authorem ſuorum indiciorum criticorum, ad mortem aut ſalutem corpus trahentium. Quod patet in pulſu, lingua, urina, dejectionibus alvi, hæmorragiis, ulceribus, apoſtematibus, obſtructionibus, inflammationibus, vigiliis, deliriis; &c.

Alimentorum modificationes, exaltationes, in chylo, limpha, ſanguine, ſpiritibus animalibus dictis, idem arguunt, in fluorem enim non ſolum redacta illa corpuſcula, ſed variis miſcelis coercita ſuos acquirunt fines chymicos. Imprægnationes Mulierum, caſtrationes Virorum, & forſan ſexcenta alia nos latentia, liquores diverſificatos edunt, non differentes à nobilioribus Chymicis vocatis menſtruis, operationibus admodum diſcrepantibus, ſeſe in illa machina prodentes. Illud patet in Mamillis Mulierum, in voce & barba mutatis, quamvis partium ſolidarum conformatio circa illa loca, ante & poſt maneant ejuſdem externæ figuræ.

Purgantium uſus, doſis, effecta, tantopere variantia, illud digito monſtrant, ipſam nempe

Na-

Naturàm operantem eſſe meram Chymiam & chymicè procedere. Sic purgans in Titio vomitum movebit atrocem, in Cajo leves ſeceſſus inducet, in Sempronio nihil aget, in Lucio ſudores copioſos proferet, una eademque doſi exhibitum, non aliunde quam ex humorum ſalina, ſeroſa, oleoſa, aliaque conſtitutione, magis minuſve ſolutionem, coagulationem, ac conſtructionem formæ variæ inferente. Chymia hæc purgantia alterans, imperabit pro nutu ſuo eadem procedere ad varios eventus, ut ſufficienter in illa arte patet ad praxin reducta.

Si Praxin ipſam reſpicias, illa primò à mere Empeyria & fortuita experientia, ortum ignobilem ſumſit, dein ratione nobilem experientiam concomitante & cominus premente, progreſſus & vera fundamenta acquiſivit, tandemque, iis ducibus, generoſa ſuæ ſcientiæ & artis ſpecimina præbebit, alias nunquam ſperanda. Ex Naturæ humanæ fonte illa effecta haurienda non conceduntur, imo à nobis nullibi invenientur, niſi ea quæramus, primo extrà dein intrà corpus humanum, poſtmodum ea applicemus cum dexteritate & judicio, non inſtar brutorum, ſed inſtar hominum ratione utentium. Qua igitur methodo ipſa rerum natura procedit, ea inſiſtendum, ut ejus abditiorum operum participes tandem fiamus.

Medicamina reſtitutioni dicata, niſi fluida ſint, aut ad fluiditatem deduci queant, inertia ſunt. Hinc proverbium illud natum, corpora non agere niſi ſoluta. Unicam enim intentio eſt, ut operæ miſcelæ extraneæ, humores alio modo & motu imbuantur, ad alias actiones

ſu-

ſubeundas, quod impoſſibile eſt extra fluiditatem acquiſitam. Debent enim non agglutinari, ſed intime uniri, corpora alteranda vel immutanda in ſua figura, ut ſcopo ſufficiat medico, ſic enim ex duobus aut pluribus unum fit corpus unam in actionem conſpirans. Hinc cadit eorum ſententia, credentium ex miſcela diverſorum remediorum, diverſa oriri effecta, unde monſtroſa collectione ſimplicium cardiacorum, cephalicorum, ſtomachicorum, & cæterorum, ita ſuis nominibus diſtinctorum, plurima conantur, nihil perficiunt farraginum talium Compilatores, magni nominis Viri Galenici, quoniam hæc mixta vires alteratas & neutras acquirunt per motum, ut ſuperius indicavimus.

Quicunque penetralia artis Medicæ, non feſtinanter ſed conſtanter perſcrutaverit, reperiet ibidem obſervata corporum relatione, eaſdem motus leges in noſtra machina, quas invenire datur in univerſa hujus mundi machina, ideoque Microcoſmum in Macrocoſmo verſantem, eadem tradere phænomena obſervabit, ex iiſdem cauſis oriunda. Quemadmodum Æther, Aer, Aqua, Spiritus ſalini, Olea, in uno, ſic etiam in alio, ſua conferunt fluiditatis effecta, nam abſque his interitus generationis & corruptionis univerſalis eſſet in utroque. Prout ſtabiles partium ſolidarum cohæſiones, repagula, ſepimenta, involucra conſtituunt, fluidis coercendis, retinendis, modificandis, Sic etiam terræ coalitiones duræ, in quamcunque partem oculos vertas, ornatum formis, figuris, molibus & inde natis qualitatibus addunt, nunquam ad ſatietatem conſpiciendum. Sic in ſanitate, ſeu

ſtatu

ſtatu vegeto machinæ generatæ, perſtant hæc omnia tantummodo gratis, in ſuo nexu, ordine, & ſitu partium, velut quieto vinculo junctis, conſumuntur enim indies à motu, in illas partes divelvellendas, arietante, conſervandas acceſſu alimentorum, dilvendas ingurgitatione potuum, reſarcendas à ſua jactura per præcedentia modificata in noſtris humoribus, ad debitam miſcelam congredientibus, tandemque ſolidam machinæ illi convenientem, conſiſtentiam induentibus, per nutritionem. In Morbis eadem contingere nemo dubitabit, qui medicamenta conſiderabit oppoſita materiæ morbificæ, non protrudendo, non everrendo, non propellendo, ſed ſeſe ei intimè miſcendo, humoresque ad motum & figuram aliam incitando, ſua intima adaptatione particularum, res agere, vireſque ſuas omnes depromere, quod impoſſibile eſt extrà fluiditatem admiſſam. Venena ipſa, omnibus viribus exuta deprehenduntur, abſque ſolutione fluida, negantur enim reactiones corporum, negata exactiori miſcelà minimarum partium.

Sanitatis & Morborum differentiæ plurimæ ſunt, in diverſis Terræ hujus Regionibus, quæ non aliunde niſi ab effluviis locorum, irradiationibus ſolaribus, aeris conſtitutione tranquilla aut turbulenta, cibo & potu, oriuntur. Hæc autem ſunt mobilia corpora, noſtræ fluidas partes machinæ diverſimode afficientia, unde nullo excepto & armis hoſtilibus ſublatis, unicè ſcenam hanc aperiunt, ornant, claudunt fluida. Poſtquam hæc à me ſæpius dicta, & in Natura ubique conſpicua, à Medici autem hucuſque negligentius tractata fuerint, ulterius inquirendum

dum reſtat, quibus auxiliis inſtrui debeat Medicus, ut ſcopum ſuum attingat, ſcientiæ nempe & Artis nobilioris verus Poſſeſſor futurus.

Duo ſunt requiſita generalia, in hac arte rationaliter tractanda. Primo, ut noſcat humanam Machinam, de qua ſtudia ſua promovere conabitur, dein, ut inquirat quibus ſub legibus verſetur ejus vita.

Quoad primum, ubi ſolidas conſtructiones illius Machinæ evolvit, ſtatuam ipſam conſiderat immobilem affabrè factam, non hominem motu vitali fruentem. Hæc autem non inutilis obſervatio eſt, nam ibidem ſeſe offerunt ea loca, in quibus exercitia illa fiunt vitalia, ut inde colligat, qualibus mediis coerceantur, effrenes alias futuri, motus. Abſurdum autem foret, inde velle deducere Medicinam totam, niſi eam quam manualem & operariam vocant, nempe Chyrurgiam, haud ignobilem Medicinæ partem. Siquis autem Matheſi addictus hanc ſuccipere vellet Spartam, ut ex figuris ipſis ſolidis deduceret computum motus & æquilibrii varii, gravitatis, denſitatis, reſiſtentiæ, leuitatis, & ſimilium talium in chartis facile delineandorum, profecto multum moveret non promoveret artem Medicam, verbis hiſce, in Theoria ingenioſa haud vilipendendis, non cedentem. Colamina enim ab ipſis propoſita, ac tubulorum variæ conſtructiones, conducunt ad fluidi celerem aut lentam propulſionem, ejusque attritionem variam, minime autem ad mutationes illas magnas, quas in tot humorum accidentibus obſervamus. Aeris preſſio, multum confert circumrotationi ac elaſticitati obtinendæ, ſed modifi-

dificationi particularum haud inſervit, niſi aliis adjuvetur corpuſculis, illam ad tendentiam cogentibus. Inſtrumenta etiam excipientia non tam exacte cognita, ut exinde certitudinem amplam haurire poſſimus, præſertim in ramificationibus & tunicis vaſorum, in quarum ſinu attamen maximæ elaborationes fiunt. Minima inſuper declinatio illorum tubulorum, totum corruere facit ratiocinium Mathematicum, quamvis ingenioſe quæſitum. Omninò autem hæc rejicienda non cenſeo, utpote attentionem ſuam merentia, verum judicio acuendo magis, quam uſui medico approprianda hæc veniunt, quoniam etſi in ſtatu ſano hæc concederentur, ita mechanicas obtinuiſſe ſtructuras, attamen quis unquam ubique in ſanis, multo minus eaſdem manere in morbis pronunciabit, niſi cum recta ratione inſanire velit. Illorum etiam vaſorum alterationes morboſæ undenam deriventur, ac quibus mediis reſtituantur, extra Mathematicorum pomæria verſantur, nam ea ad fluidi inconſtantiam, non ad ſtabiles ſolidi leges pertinent, unde nihil aut parum ad Medicinam practicam hucuſque contulere eorum propoſitiones, prout in præcedentibus ſufficienter explicavimus.

Fluida ſolidis jungens inquiſitione Anatomica, majora tradit lumina, quamvis adhuc inſufficientia Medicinæ, attamen abſolutè cognitu neceſſaria. Ingenioſa manu, hæc fluida proſequitur, cultris potius quam ingenii aciei innitens Anatomicus, ſolida ſua credens, unde Inſecta & Vermiculos oculis armatis, ac manibus capit, calculos extrahit, glandulas enu-

merat, parum ſollicitus de humorum crafi ac motu. Excellentiores autem Viri, nobilem Anatomiam tractantes, vilioribus contemptui habitis egregias inde doctrinas hauriunt, circulationem, motum, alterationes, miſcelas humorum naturalium ſpectantes, multum lucis rei medicæ proſequentes. Experimenta à plurimis Vulgaribus tradita, circa ſyringationem cum acidis & alcalinis in venas, nimis macra exiſtunt, tempori terendo idonea, nihil ad Medicinam facientia, nec ullam demonſtrationem præbentia, quod de omni infuſoria Anatomia expectandum, utilem. Conſultius foret, ipſas in-veſtigare humorum differentias, per motus inteſtinos, per miſcelas blandas, per aerem, per halitus, per ignem. Si autem infuſiones, à quibuſdam Anatomicis propoſitas in uſum vocemus, profecto illæ meram redolebunt Chymiam ex illa miſcela reſultantem.

Leges Oeconomiæ noſtræ machinæ, ſunt eædem cum omnibus machinis mundanis.

Hæc cognitio, legum nempe, quibus ſubjicitur noſtra machina eſt ſcitu admodum neceſſaria, conſtituitque alteram Medicinæ partem, hanc iiſdem motibus parere, quibus Mundum ſubjectum videmus, ideo ſtatuimus, quoniam partem ejus conſtituit corpoream, non differentem, excepta anima rationali, ab omnibus aliis animalium machinis, niſi reſpectu ſuæ ſtructuræ. Leges hæ, ſunt fluidorum imperia in partes mere ſolidas. Quæ determinationis ſuæ puncta obtinent, ex reſiſtentia majoris ac ſolidioris molis corporum, unde innumera reſultant effecta, mundanam hanc ſcenam variantia.

Hæ

Hæ leges in ſua determinatione, ſatis acute à mathematicorum filiis, ex renitentia ſive artificiali ſeu naturali ſolidorum, & preſſionis gradibus pes anguſtata eorundem ſpatia, demonſtratæ ſunt, quamdiu conſtructioni requiſitæ nihil deeſt. Ubi vero aliquæ incommoda aut improviſa contingunt, aut interni ordines mutati ſe ſiſtunt, labiles eorum ſententiæ corruunt, ut patet in malis conformationibus, morbis, & ſimilibus læſæ figuræ vitiis. Anatomicus, orificia prima denudat, quorum ope communicationes perpetuæ ſervantur cum externis neceſſariis fluidis, valvuliſque ſuis inſtructa vaſa ubi exhibuit, extra ejus intentionem reliqua conſtituta, non anxie inquirit quibus modis, illa externe appellentia corpora, hanc machinam transfigant, permeent, inquietent.

Nondum ullus mihi ſermo de Medicinæ praxi, vel potius de Practico ſeu in medica praxi claro Viro, fuit, quoniam altum hac in re ſilentium tenere propoſueram, tamdiu donec ratione & experientia ducibus demonſtraſſem fundamenta veræ praxeos, quæ præcedere debent doctrinæ illius Ædificium. Vereor autem ne practicorum nomine ſuperbientes, illud in malam vertant partem, ideoque pauca, eorum pace ut fruar, de praxi ſtricte dicta verba proferam, his tamen præmiſſis conditionibus.

1. Neminem poſſe dici Practicum, niſi ſolidofluidum intelligat corporum ſtatum, motum, & alterationem.

2. Hæc generaliter cognita, & ſpecialiter ipſi debere eſſe perſpecta, in Machina humana hydraulico-pneumatica,

3. Corporum miſcelæ & exinde reſultantes actiones; in & extra hominem, ipſi, quantum poſſibile, neceſſum eſt, ut familiares exiſtant.

4. Directiones illorum motuum, & tendentiarum ad certos terminos, ab ejus regimine & juditioſo nutu dependentium, exactè ab ipſo cognoſci oportere.

Si hæc enim practico deficiant, totus quantus eſt Empyricus, quævis palpando talparum more tentans, nihil docte moliens, multominus ſtudia promovens rationalia. Phyſicus ut ſit oportet, corpus enim naturale tractat, ſubjectum legibus totius Naturæ. Specificè ad unum nobiliſſimum corpus collimans, non generalia commenta philoſophica, ſed particularia æque ipſi nota atque perſpecta eſſe debent, ut ex inductione illa ſibi præparet viam ad requiſita medicinæ neceſſaria, nempe ad curandi Methodum. An hæc obtineri poſſint hiſtoriolis, caſibus, & ſuperficiaria, lucri gratia, compilatione eventuum, admodum dubito, quin potius ipſa res negat, ſoli Empyrici aſſirmant. Omnes ingenuo modo doctrinam medicam tractantes libere confitebuntur, illam à tot retrò ſeculis conjecturis admodum dubiis ſuſtentatam, ab ipſis Scriptoribus practicis, raro fideliter de ſe pronunciantibus, vaniloquia imo mendacia innumera eſſe veris intermixta, ita ut fabulas & allegorias Antiquorum, iis dictatis comparare non abſonum eſſet, difficillimum etenim vera à falſis, fortuita à vulgaribus diſcernere. Ariadnes filo, lynceiſque oculis ſeſe armet Tyro, hoſce labyrinthos ingrediens, ut tandem optime doctus empy-

empyricus evadat, Methodice, ſi Diis placet, ſuos ægros tractaturus.

Simplicia vix nota hucuſque remanſere, negligenti examine inſpecta, eventu uno alterove comprobata, tremula languidaque luce artem hanc illuminarunt. Galenicis hallucinationes, empyricæque ratiocinationes familiares exiſtunt, nil minus quam rationem experientiæ fideli innixam præbentibus, ut patet in eorum compilationibus, in locos communes redactis, centieſque ad nauſeam recoctis. Gradus ab illis deſignati, meræ ſunt Chymeræ fungoſi cerebri, nunquam re ipſa explicati, imo ſæpiſſime in plurimis falſi & contrarii. Oportuiſſet enim primo aperuiſſe, comparationem actionum eorundem, non reſpectu ſui ſimplicis, ſed compoſiti corporis, reſultantis ex miſcela medicamentoſa cum noſtris humoribus, fluorem ſimul ineuntibus, ſæpiuſque varios ſucceſſus edentibus in diverſis corporibus. Simplicia enim frigida, utendi vim acquirunt, aliorum corporum acceſſu calida frigoris manifeſti effecta prodire faciunt, ipſum per motum & miſcelam variorum. Sicca, humidi vices ſubeunt, fluoremque partibus majorem inducunt, admixtione plurium corporum etiam ſiccorum. Humida exſiccant, ubi motus ferventiores incitant, vel coagula inducunt, ex combinatione particularum ſe mutuo conſtringentium. Sed de his poſthac latius, ubi illa experimentis & inſtantiis confirmabimus. Regulas igitur infirmas admodum, hi tradidere artium Magiſtri, cæci naturæ Miniſtri, quoniam eorum præſuppoſita operationibus corporum naturalium in pleriſque repugnant. Huc accedit,

omni methodo privata doctrina à ſimilibus protruſa, nullas ſuorum verborum fundationes agnoſcentes, niſi imaginariam empeyriam, à tenui experientia petitam, non autem ſuffultam veris inductionibus, à nobili experimentorum ſerie hauſtis, inſtantiam efficaciſſimam præbentibus, menti noſtræ ut aſſenſum judicio plenum extorqueant. Simplicia enim abſolutè cum nulla dentur corpora, ſed ſemper compoſita, certis modis connexa, ac in figuras varias redacta, neceſſarium erat à maximè ſimplicibus incepiſſe corpuſculis, compoſitionem illam mechanicam conſtituentibus, antequam ad compoſiti illius enucleationem tranſeundum foret. Labor hic forſan nimis tædioſus plurimis videbitur, nec vulgaribus Medicis tempus, otium, opes ſufficerent hiſce trutinandis, fateor: privati hæc non ſunt Medici labores, ſed publicorum Doctorum & Profeſſorum, in Scholis & Uniuerſitatibus ſtipendia magnifica obtinentium, eſſent munia, ut ſublimiora petere poſſet faſtigia illuſtrata Medicina.

Si hæc ignorantia tanta occurrat in cognitione ſimplicium, quanta non erit in compoſitorum notione? Hic cæcutiunt fere omnes, præſertim ii Practici, quibus farrago maxima cordi eſt, penna enim rapida exſcribunt plurima, à Pharmacopæis præparanda, ipſis ſæpiſſimè nec viſa nec cognita medicamina, lectura vel auditu inſpirata. Galenici, in hac parte, magnificentiam ſuam profitentur ridiculam, utpote apud quos per tot ſæcula viguit compoſitio ſuperſtitioſa, Auri & Argenti bracteolis nobilitanda, forſan ut illorum fulgore de ſoſtro aureo

mone-

monerentur Ægri. Plurima autem hic ab ipſis neglecta, imo ſordidè omiſſa ſunt, quæ totum rei Medicæ fundamentum conſtituunt. Examinanda enim erant primo ſimplicia, ſecundo eorundem congreſſus, tertio motuum tendentiæ, quarto fines ex illis coaleſcentiis corporum. Ridendi an deplorandi ſint tales, Medicinam temerarie exercentes, in medio relinquo, ſaltem hi lucriferam non glorioſam luciferam artem ſectantur. Quis enim, niſi vanus Empyricus ſtatuet, cardiaca, cephalica, ſtomachica, & cætera vanæ denominationis medicamenta, eaſdem poſſeſſura vires in hac compoſitione ubi coaluerint, quod impoſſibile eſſe, redarguunt leviſſimæ etiam miſcelæ & motus inteſtini, corporum tonum invertentes. Ipſa etiam Limpha noſtra, circa os & ventriculum oberrans, illud evincit, ubi ſimpliciſſima hac mixtione cardiaca nauſeam movent, odore & ſapore peregrinis extemporè conceptis, Amara dulcia reddita, dulcia amara facta, inodora odorifera imo fætida, ictu fere oculi ſola maſticatione immutata. Taceo de purgantium, ſudoriferorum, diureticorum variante indole, ex primo illo cum limpha congreſſu, quippe hæc peritioribus Practicis notiſſima eſſe debent, utpote familiariſſima. Hinc concludere cogor, Praxin veram rarius hucuſque obvenire, niſi apud eos, quos è meliore luto finxit præcordia aſſidua obſervatio & inquiſitio Naturæ. Hanc autem, ſpecioſo titulo dictam hodiernam, (quaſi vero Naturæ opera hodiè alio modo & motu procederent, quam antiquitus) nimis teneram, ficulneam, conjecturalem & merè empyricam exiſtere Corda-

tiores ſtatuunt, quam ut aliquid firmi, certi, veri, exſpectare ab ea liceat, quamvis hucuſque errorum Patronos novo-antiquos haud infimæ ſortis obtineat. Veritatis æque ac erroris Antiſtites exiſtunt, & non deerunt majori numero erroneas ſemitas palpantes Viri, magis enim arrident vitia, minori opera amplectenda, ſeveris virtutum viis, prout in hac mundana turba ad nauſeam uſque liquet. Suus tamen Veritati divinæ ſtabit honos, eoque majore fulgore inter haſce tenebras debellandas coruſcabit.

FINIS.

PHILOSOPHIA MEDICA.

PHyſicæ corpuſcularis cognitio, certiſſima ad Medicinam eſt via.

Per hanc phyſicam, intelligimus inquiſitionem corporum tertij Elementi, à Carteſio nominatorum, ſuas metamorphoſes offerentium.

Medicus ſeſe operi accingens, ante omnia Phyſica hac corpuſculari inſtruendus venit, ut exinde notitiam rerum colligat mundanarum, in ſuis actionibus procedentium. Phyſica hæc per experientiam judicioſam ac circumſpectam acquirenda, multifaria corporum ipſorum tractatione, per congreſſus ac cooperationis nunc blandas, nunc violentas, nunc vix perceptibiles. Accidentia ex hiſce obvia, ſenſus noſtros afficientia, notanda, in claſſes diſtribuenda, & ſuas in ſpecies redigenda, tamdiu donec generalia à ſpecialibus, ſpecialia à dubiis & incertis, incerta à falſis, diſtinctionem claram perceptioni offerant. Lento pede feſtinandum ad certas determinationes noſtri judicii, ne noſtri cerebri commenta inania, veris Corporum actionibus intermiſceamus, & hoc modo vilem reddamus ſcientiam immaturam, omnis enim feſtinatio à Diabolo. Nimis autem ſcrupulosè & hæſitanter, per totum vitæ curriculum, rem proſequi in Naturæ indagatio-

gatione, eſſet Scepticiſmo perpetuo velle uti, ſine ulla corporum naturalium exacta dijudicatione vel trutinatione, ad mentis quietam poſſeſſionem tendente, quamvis præſtet diutius perſiſtere in dubitatione, quam feſtinanter in errores cæcos dilabi, beata enim & perfecta ab omni parte non datur Sapientia. A vulgatiſſimis & maximè familiaribus inchoandum antequam ad magis ardua iter concedatur, ex illis enim notioribus ad magis ignota ſenſim ubi pergimus, exinde ſupellectilem Naturæ copioſiorem nobis comparamus.

Phyſica vera corpoſcularis ea dicitur, quæ Corporum naturam tradit per corpora: ea nempe ab hac Philophiæ parte, in ſuis formis & accidentiis naturalibus, mediante motu ſe mutuo exercentibus, proponuntur, ut leges illæ ſenſibus noſtris incurrentes ſeſe ſiſtant. Naturæ vocabulo deſignat Phyſicus, luſum eorum Corporum absoluta neceſſitate, ſecundum ſuas figuras, formas & moles, proprias quaſi operationes exhibentem in occurſu mutuo, aut eſt motus corporeus ſuis terminis circumſcriptus, ad certas finium tendentias obtinendas, in & cum aliis corporibus. Leges igitur naturæ ac motus, dependent ab hiſce mechanicis conſtitutionibus tanquam Moderatoribus illorum exercitiorum. Hinc rei natura ignota jacet, quamdiu quieta permanet, nec aliis occurrens conſpicitur, ut luctas proferat varias, vireſque hac ratione viſibiles & loquaces veluti reddat, ſenſum noſtrum variè afficientes. Vaniloqui ideoque cenſendi, quorum ratio fungoſa ſolidæ non innititur experientiæ, quoniam Mentis noſtræ, hac in parte debilitas maxima exiſtit,

ſtit, eique haud fidendum auxiliis illis deſtitutæ.

Corpus ſolidum aut fluidum conſideratur.

Hæc igitur Phyſica, duas tantummodò proſequitur notiones generales, ut ſpecialibus omnibus obſervationibus ſatisfaciat corporeis, primò, corporea ipſa qua ſolida & quieta, in ſua figura conſtanter permanentia; ſecundo, eadem mutabilia, fluctuantia & inconſtantia in ſuis figuris perpendit. Ut autem ordo ſervetur prius à ſimplicioribus nobis cognitis, poſtmodum ad compoſita tranſibimus examinanda ad uſum Medicum.

Corpus ſimplex dicitur, quod ſimpliciſſimam in actionem & miſcelam minimam tranſiiſſe nobis apparet, & quod ab aliis pleriſque notioribus accidentiis diſtinguitur corporeis, extra hanc claſſem poſitis. Simplicitas enim abſtracta hic locum non obtinet, ſaltem in iis quæ in ſenſus noſtros incurrunt, compoſita quoniam ſunt antequam judicio noſtro ſubjiciuntur. Sic Materia ſubtiliſſima, Æther varius, Aer, Aqua, Sal, Terra, quamvis ſuo modo ſimplicia, attamen compoſita eſſe antequam ad nos perveniant, experientia redarguit, quoniam ſunt corpora ſeſe aliis intermiſcentia, & diverſimode cum iiſdem extenſa, atque in ea extenſione coordinata ad certas figuras & moles.

Extenſio corporum & ejus figura, ſunt eadem. Nam formæ circumſcriptio dependet ab extenſione ſuperficierum in longum, latum & profundum. Hæc diviſioni ſubjecta, & varium acceſſum admittens, figuræ inverſiones multifarias offert corporum, Prothei inſtar mutabilium, reſpe-

ſpectu illarum dimenſionum & proportionum; figuram illam de novo cudentium & efformantium.

Solida corpora, in ſua conſtitutione mechanica obſervamus, per motum ad fluiditatem reducenda. Soliditas hæc præſupponit quietam juxtapoſitionem quarundam partium, conſtantemque exinde reſultantem figuram. Motus verò, ſuperficiem & poros aliorum corporum afficiens, extenſionem augendo vel diminuendo, illam quietem turbat, figuram alterans & invertens. Soliditas igitur aliqua perpetuam & neceſſariam conſiderationem meretur, ut fragilem diviſibilitatem extenſionis illius ponderet Phyſicus, de vita & morte rerum dijudicaturus. Hæc etiam ſoliditas perſtans in ſuis moleculis per motum agitatis neceſſaria, ut moles integra fluidi corporis, ex ejuſdem generis particulis conflata, totum liquorem conſtituat veluti uniformem, facile autem in ſua viciniæ mutatione alterabilem, per concuſſiones & decuſſiones illarum minimarum partium ſolidarum.

Fluiditas, nunquam abſque mixtioue procedit. Motus enim, à priori ignotus, ſemper corpora propellit, eaque ad alia loca defert corporea, quæ iis tanguntur, premuntur, agitantur, ad motus dictos inteſtinos, unde fluiditas reſultat. Independentia ſuperficierum, figuræque ſphæricæ exiſtentia, ac exilitas ſumma corporum, ad fluidum ſtatum obtinendum, ſunt optima imo unica adminicula, unde fluidiſſima, ſemper, in ſuo genere, ſubtiliſſima exiſtunt corpora, circumrotationi & velocitati aptiſſima.

Corpora ſimplicia notiſſima ſunt tria, Sal, Aqua,

Aqua, Terra. Hæc quamvis videantur jam compoſita, attamen, in ſuo genere ſummopere ab invicem diſtincta, tam ratione figuræ quam actionis ſeſe proferunt, exercitiaque corporum hucuſque cognita iis debentur auxiliante motu, cujus effecta nobis proſequi tantum datur. Subtilioribus igitur omiſſis, quippè ad Medicinam non ſpectantibus, hæc tanquam rerum viſibilium primordia proſequemur, corpuſcularem Philoſophiam conſtituentia.

Sal eſt corpus minimum, in punctum acutum ſemper deſinens, maximè per motum diviſibile. Ejus tenuitas aciei juncta penetrabilitatem ultimam creat, ſpiritus illos gignit igneos, æthereos, lucidos. Unde inſtrumentum Materiæ ſubtilis maximum exiſtit, poroſitatem, fluiditatem, volatilitatem promovens, corporumque actiones celerrimas in campum educens, Authorem omnis ſolutionis & fluiditatis, quantum in illo eſt, ſeſe exhibet. Hinc illa primas, occupare in actionibus cauſas, ultimaſque rerum tendentias per eadem proſequi naturam obſervamus, unde non immerito Antiqui in ſale & Sole omnia eſſe ſtatuebant. Horum igitur natura perſpecta, lumen egregium Phyſicæ medicinæ conciliat.

Spiritus, Olea, Ignes ſunt modificationes ſalium. Reliqua enim corpora iis nupta, ſuas conferendo figuratas moles, formam ac reliqua accidentia mutant, ita ut Æthereus motus nec tam liberè illa cingere puncta, nec tam facile integras illas moles dimovere poſſit. Hinc variationes effectuum, non ſali, ſed reliquis admixtis corporibus adſcribendæ, ut latius patebit.

In-

Interim maximum pondus addit ſalina miſcela motui, levitati, poroſitati, reliquiſque meris actionibus conſpicuis inde emanantibus. Hæc ubique vera eſſe redarguunt liquores non ſolummodo Chymici, ſed etiam humani in ſuis ſpiritibus animalibus, bile diverſa, limpha, & reliquis Humoribus, maxime ſalinis circa ventriculum, lienem &c. varie ad motum & miſcelam diſpoſitis.

Diſtinctio generalis, ſalium, in acida, alcalina & muriatica, leviſſimam tantum utilitatem Phyſicæ & Medicinæ contulit. Phyſica enim corpuſcularis, ad Grammaticorum normam inſtituenda, haſce regulas nondum limavit, nec exceptionibus debitis inſtruxit, ut certis fundamentis inniti poſſit. Diſtinctiones illæ cum nil deſignent, niſi reſpectus habeatur ad actiones inde reſultantes, eas differentes concipit Phyſicus, relative ad alia corpora afficienda. Hæ autem ſterili modo tractatæ ab hiſce, ab aliis neglectæ, ab iſtis in ſyſtemata converſæ præmatura, fungoſos in fructus mutatæ, ficulnea edidere cerebri vani indicia, quibus acquieſcere animus veritati litans nec debet nec poteſt. Hæc luce meridiana clarius patent, ubi ad lancem experientiæ expendit naturales actiones ſedulus Inveſtigator. Sic acida comperiet ſolventia in his, coagulantia in aliis, intactum corpus relinquentia in iſtis. Sic volatiliſantia, figentia, alterantia, exaltantia & vires deprimentia reperit eadem ſalia, modo diverſis occurrant corporibus, vario modo diſponendis. Breviter hæc obſervanda proponimus, quoad ipſa corpora, tam reſpectu noſtri quam reſpectu aliorum.

I. Sa-

1. Salia, in primo ſtatu tanquam puncta mera diuiſa conſiderata, inſenſibili modo nos afficiunt, quamdiu ſingula ſeorſim in ſuo motu procedunt, ut patet in Æthere, Aere, aura ventiformi & ſimilibus motibus blandis, ut in digeſtionis modis circa ventriculum, aliasque corporis noſtri partes motu inteſtino inſtructas, ut & in halitibus roridis ſpirituoſis ex illis partibus reſultantibus, in diaphoreſi ſalina perpetua noſtri corporis.

2. Salia, in ſecundo ſtatu tanquam eadem puncta compoſita ac copulata aſpiciuntur. Hæc ſenſibili modo, majorem in molem excreta, quævis corpora afficiunt, Unitis viribus in partes quaſvis arietantia. Hæc occurrunt, in meteoris, ignibus, fulmine, ardore, ventis fortioribus, & in quibusvis Terræ motibus ac tempeſtatibus horridis. Sic etiam corpus noſtrum mirificè hiſce concutitur, ut in fame canina, roſione ventriculi, ructibus & flatibus, motibus inteſtinis violentioribus, dejectionibus nimiis, læſionibus, catharris, ſalivæ ſapidæ vel ſalſuginoſæ variæ productione, eroſione cutis diverſa, &c.

3. Hæc in priori obſervatione, nullo adhuc nomine inſtructa exiſtunt, in poſteriori conditione, viſibilem in maſſam concreta puncta plurima, nomen ab actione generaliori acquiſivere. Hæ concretiones ſalinæ, primo ab aqua, poſtmodum in terra rudimenta ſuæ generationis & vegetationis offerunt, poſthac ſæpius ſui juris non amplius permanent, terris validius cinctæ. Illud coarguunt, noſtrorum humorum conſtitutiones variæ in Sanitatis & Morbi indiciis, ubi

præ-

præſertim circa morbos incipientes cum convulſionibus, &c. ut & in eſuritione ſeu appetitu, limphæ ſeroſæ copia & acrimonia obſervantur, antequam roſiones, læſiones, inflammationes, coagulationes ſubſequantur.

4. Salium horum effecta variantia verſantur circa reactionem, quam ineunt cum ſolidis corporibus. Primò ſeſe offerunt ſolventia, cum integritate figuræ corporis ſoluti, mole tantum imminuta. In hiſce per ſalia ſuperficies extenſæ, ad independentiam coactæ, & attenuatæ, vires exerunt in tantum auctas, in quantum ſingulæ ſuperficies multiplicatæ, ſeorſim magis agere queunt. In tali ſtatu, permanent integræ actiones, priſtinæ ac naturales illi corpori, cum ſubtilitate penetrationis majori, ad incitationem Motus violentiorem, ut patet in ſpiritu ſalis Ammoniaci ſolvente ſanguinem; ſerum & bilem. Ut & in vino ejuſque ſpiritu ſalibus nobilitato, exaltante humores limphaticos, in aqua ſalina tenui diluente & ad fluorem majorem evehente noſtros Spiritus.

5. Soluentia, cum diſcontinuatione nexus corporei ſolvendi. Tales ſolutiones multùm differentes à prioribus obſervantur, viriumque inuerſiones maximè exinde ortum deſumunt. Sunt enim quaſi extractiones ſeparatæ ac ſimpliciores corporum, decomponendorum à ſua nativa mixtura, unde texturæ deſtructæ apparent ſingulis ſui juris factis corporibus, aliam molem, figuram & motum poſthac ineuntibus.

Hæc apparent, in extractione ſeu præparatione ſulphuris Antimonii, cum oleo vitrioli & aqua regia, in acidis animalium partibus & pur-

gan-

gantibus affuſis, quæ idcirco à Medicis, ejus rei ignaris, correctorii loco adhibentur. In alcali fixo ſero & limphæ affuſo, ubi ſeroſiores à craſſioribus ſecedunt.

6. Corrodentia, cum limitatione aut roſione ſuperficiali corporum. In hoc effectu, diviſa corpuſcula pulveriſationem meram, non ſolutionem diaphanam admittunt; hinc minor tantum diviſionis gradus haberi poteſt, liquoris minima parte ipſis pulviſculis intermixta. Hæc in Chymicis plurimis liquent experimentis, ſed in muriaticis ſalibus, Alumine, Tartaro, ſale communi, Ammoniaco ſanguini & ſero noſtro admixtis æquè obſervantur, præſertim ſi acidis levioribus Vini, Aceti, ſpiritibus ſalium acidorum volatilibus jungantur, cum ſpecie leviſſimæ coagulationis.

7. Soluentia intimius corporibus juncta ſolutis, & ex contrario, quorum divortium ob minimas cauſas conceditur. Sic alcalia volatilia Humores noſtros ſolvunt, eoſque dein facile relinquunt, ad vappeſcentias cogendos. Idem de Spiritu Vini ſtatuunt effecta Vappeſcentium humorum in Ebriis, ac heſterna crapula detentis. Spiritus item acidi ſubtiliſſimi, dulcificati, nimiſque ſeroſi, copioſius aſſumpti, idem in maceratione agunt cum noſtris humoribus, quæ illam operationem ulterius extendunt in noſtra machina. Ubi vero fixiora oleoſa corpora, fluidis junguntur ſalinis vehiculis, quibus exactiſſimè, non medicamentoſo ſed alimentoſo modo intermiſcentur, Balſama vitæ dicta inde exſurgunt, quoniam illud fluidum per omnes partes mixtum humoribus, perſeverat, ut patet in me-

ris expreſſis oleis, pinguedinibus, cereviſiis craſſioribus. Inſuper hæc rite proſequenda, in Medicamentis, ab illa miſcela vario modo alterandis. Sic plurima toſta à Medicis præſcripta, infringuntur ob fugam ſpirituum ſalinorum, ut Opium, Rhabarbarum, Cornua. Plurima cum ſalibus armantur, ut augeantur vires Medicamentorum, ut in Purgantibus cum cremore tartari, in Sudoriferis cum ſale ammoniaco, in diureticis cum Tartaro vitriolato, in Hypochondriacis & Uterinis cum ſpiritibus alcalinis, & oleis Empyreumaticis.

8. Conſtantia aut inconſtantia figuræ ſalinæ, nunc permanentis nunc evaneſcentis in ipſa ſolutione. Inconſtantia figuræ involvit actionis mutationem ejuſque ſæpius inverſionem, unde per conſequens eorum corporum nulla fieri poteſt comparatio ad ſimpliciorem corporum ſingulorum ſtatum. Sæpius enim ſolvens abſorptum perit, ſolvendum ad aliam tranſit conſtructionem ſuæ molis & figuræ. Sic ſal commune Eduliis permiſcetur, ad reactionem augendam & evehendam ad fluiditates debitas, ut & ad ſeceſſum partium obtinendum. Salium diverſorum mixturæ, præter ſal commune, alimentis interceptæ, eadem magis conſtanter ac nimis alterant, ob motus illius majorem perſeverationem, & inductionem alius tendentiæ, ut obſervare licet, in Nitro, ſale Ammoniaco, Tartaro, ſudores & ſeceſſus promouentibus.

9. Coagulantia mera. Hæc coagula cum integra partium conſtructione & ſuperficierum craſſiorum approximatione producuntur, expulſis ſæpius ſubtilioris notæ particulis, aut interventu

rigi-

rigidiorum ſalium, à flexili fluiditate impeditis.

In his, rigida ac haſtata terræ denſioris figura, minus ſolubilia relinquit corpora, actioni inobedientia, ut cernere licet in pituitâ nempe viſcida, inſpiſſatione, bilis ſchirro, Ictero, & quibuſvis morbis ex acidoauſteris particulis provenientibus.

10. Coagulantia intermedia. Horum operationes, in ſeceſſu debilis fluidi à parte ſpirituoſa & oleoſa, dependent. Conſtringuntur enim terræ leves unitæ tenuibus ſalibus, exprimuntur aquæ gravioribus ſalibus mixtæ, ut patet in caſeoſa & ſeroſa parte lactis, per acida & muriatica fixiora, quod inſuper locum habet in omnibus noſtris Humoribus, ab aceti uſu & ſubacidis fructibus nimium ad lentorem reductis. Ut & ubi Aeris moleculæ ſalinæ motum retardant.

11. Relatio ſolutionis & coagulationis corporum eorundem, in ſe agentium. Hæc relatio reſpicit diverſitatem variantis mechanicæ texturæ corporum, ſe mutuò afficientium. Sic idem corpus fluidoſolidum, hodie ſolutionem admittet, craſtina die, poſt leves motus inteſtinos receptos, renuet, aut coagulationem inibit, & è contra. Hoc noſtri teſtantur Humores, ad ſtatum valetudinarium tendentes, imo paſſionibus corporis ſæpe levioribus alterati, per terrorem, iram, lætitiam, inflammationes, frigora extraordinaria, Morbos quoſvis. Sic etiam ſalia eadem diverſimodè tractata, quamvis abſque additamentis deſtillata, ſublimata, digeſta, fermentata, putrefacta, toto cælo diverſificatas præbebunt

actiones ſuper noſtros Humores, aliaque corpora vegetabilia & mineralia. Exempla ſufficient duo hiſce confirmandis, primo, ſerum Hydropicorum eorundemque Urinæ, pro differentia locorum obſitorum, nunc ab acido ſolo, nunc ab alcali ſolutionem vel coagulationem admittent, quæ in Catharro incipiente neutri cedent ſali, quamvis externo viſui unus idemque appareat uterque liquor: ſecundò, ſpiritus ſalis cum bolo paratus, coagulabit ſerum, idem cum oleo Vitrioli & aqua confectus, fluidum retinebit.

12. Differentia Corporum tam ſolventium quam ſolutorum, quæ alterari, & reduci ad tertium ſeu neutrum aliquod Ens, actione, figura & mole à priſtino ſtatu queunt. Unde reſultantia effecta, in pleriſque non accerſenda ab acido vel alcali, ſed à coordinatione partium ſalinoterreſtrium ſimul agentium. Sic ſalia dicta muriatica, abſque coagulatione aut operatione magna, ſanguinem, limpham, alioſque noſtros humores aggredientur, eorum autem ſpiritus acidi, immediatè reagunt cum iiſdem, ſumma tamen cum differentia reſpectu præparationis variæ, quam iniverunt ante & poſt extractionem. Idem de ſalibus alcalinis ac Oleis & Aquis, ſpirituoſa ſalia vehentibus, ſentiendum, tam in, quam extra noſtrum Corpus agentibus. Multo magis illa occurrunt in miaſmatibus moleculiſque ſubtilioribus ſalinis, per aerem ſparſis, nobis communicandis, ut teſtantur ſalubres & morboſi eventus inde producti. Eadem obſervantur in ſolutione corporum medicamentoſorum, diverſimodè effecta ſuà offerentium, pro ſtatu nempe hujus illiuſve limphæ

magis

magis minuſve ſalinæ, congreſſum admittentis varium cum iiſdem.

13. Tandem effectuum eorum ſalium variatio, optime perpendi debet, in eodem actionis continuatæ tempore. Sic multum differt primus actionis mutuæ impetus, à ſecundo, & hic à tertio. In primo enim, effluvia ſubtiliſſima aereo-ætherea expulſa altum petunt, in ſecundo, frictione & attritione continuata, ramenta craſſiora avulſa ſubtilibus intermixta copioſius exhalant, in tertio, langueſcentia ſpiritu tenuiori privata, molem conferunt majorem motui minus aptam, arietationis aut obſtructionis pertinacioris Authorem. Illud teſtantur, non ſolummodo Febres, Morbi, Convulſiones, & ſimilia effecta præternaturalia, ſed & functiones noſtri Ventriculi & reliquarum partium in ſtatu ſano, ubi copia, aut defectu, aut modificatione varia ſalina humores procedunt, ipſam pinguedinem fibroſumque corporis contextum tandem depaſcentes vel infarcientes. Hæc inſuper ad oculum ſemper apparent, in Medicamentorum aſſumptione, primo, lentè & ſpirituosè, dein graviter & ſenſibiliter, tandem languidè & inſenſibiliter operantium.

Ex hiſce ſufficienter liquet, multa adhuc deſiderari, antequam ſalium notitia clara & diſtincta nobis affulgeat. Hoc autem maxime cernitur in acidorum claſſe, admodum variantium à ſe invicem, quod non ita de alcalinis dici poteſt, quamvis reſpective ad fines effectuum, etiam magnas edant diſcrepantias, in noſtris humoribus diſponendis, quæ tamen ad regulas, limitationibus ſuis inſtruendas, deduci poſſe ex-

pertus confido, modo attentius circumſtantiæ, in Sanis, & Ægris obſerventur.

Salium præſentiam in noſtris fluidis & ſolidis partibus, proferunt Chymicæ Analyſes, per deſtillationem. Salia igitur ineſſe corpori noſtro nemo Homo negabit, quamdiu ſenſuum miniſterio utens rationes ſuas experientiæ ſolidæ innixas, invocare auſus fuerit. An verò illa naturaliter inexiſtentia machinæ acida vel alcalina ſint dicenda, parum ſollicitus expendat, hæc ſpicula fluido cingi & innatare, eadem poſſe adaptari, concuti, decuti, innumeraſque in ſeries diſponi, pro differentia motum, molem & figuram mutantium.

Eodem prorſus modo, ut à poſteriori argumentamur, effecta non ſunt confundenda cum ſuis principiis, ſed ea optime diſtinguenda. Nomina enim ſalibus impoſita ab coordinatione poſteriori reſultarunt, non à priori nobis innotuere, id eſt acida & alcalina dicta, poſt motus inteſtinos conceptos apparuerunt non antea; quod ſummoperè notandum.

Hinc quæ in occulto iacuerant, proſiliunt in ſaliva, limpha, bile, ſpiritibus animalibus, ſudoribus, urina, per motum inteſtinum agitatis. Eadem quaſi intereunt, ſepelienda in terra craſſiori, diluendaque in aqua, ita ut ſenſum ſubterfugiant, actionem autem omnem nunquam deponant, ut patet in Morbis frigidis. Profecto Prothei inſtar mutabilis horum punctorum ſitus, non diu nec admodum conſtanter eandem reſervat figuram, niſi ubi eadem perſiſtunt motus indicia. Unde nunc acida, mox muriatica, dein alcalina, tandem vappida & aquea evadunt, brevi

vi ſæpius temporis ſpatio, quæ maximam præbent Alimentis & Medicamentis ingeſtis alterationem. Hæc patent in ſtatu Sanitatis inconſtanti, in catharris, in ſalivæ variatione, in humorum ventriculi actione & diverſitate, in menſtruatione, in excrementorum vario ſeceſſu, in morbis, in ulceribus, & in infinitis corporis noſtri paſſionibus, ſenſus noſtros varie irritantibus ac diſponentibus, quæ omnia ex defectu particularum ſalinarum ceſſarent effecta. Undè concludo, ſalia adeſſe ſine adjectivo, in noſtris partibus.

Stricte igitur nulla conceditur ſtructura ſalina, appropianda præcedentibus denominationibus; prout æque incerta exiſtit ejus determinatio in omnibus fluido ſolidis, ad motum inteſtinum varium vergentibus. Eadem enim eſt ratio illorum effectuum, in quibusvis liquidis vel ſolidis ad fluorem reducendis, ſic muſtum dulce, in vinum, in acetum, in vappam, in ſal fætidum volatile poterit reduci, mutatione ipſius motus inteſtini. Hæc perpetuatio motus & miſcelæ, quo celerior & -violentior, eo ſalinam activitatem & præſentiam majorem deſignat, cum ſenſatione manifeſta: quo debilior & languidior, eo abſentiam & inertiam ſpiculorum ſalinorum majorem deſignat, quippe levitatis & gravitatis, motus & quietis, lucis & tenebrarum phænomena, modificationi ac præſentiæ, vel intricationi & abſentiæ eorundem debentur, ope auræ æthereæ vigorem maximum recipientium. Hæc patent in Anni tempeſtatibus variis, in regionibus ſub cælo diverſo ſitis, in agitatione & infectione. Aeris per ventos &

miaſmata, in alimentorum & potulentorum varietate, ut & in diverſitate corporum humanorum. Iis enim omnibus, quantum percellantur non ſolum, modo noſtri humores, ſed etiam vaſa ſolida, noverunt omnes quibus Philoſophiæ & Medicinæ exercitia nota ſunt. Hinc non opus eſt anxie demonſtrare, acutos effectus omnes progredi ex regionibus calidis, aere ferventiore acribuſque ſalium particulis refertiſſimo, niperatis, ſalinis & ſpirituoſis acie majori inſtructis cibis & potubus, tandemque exangustatione pororum, celerrimam trajectionem, non ſolius Ætheris, ſed ſalium oleagineorum miſcela ejus copioſa. Quemadmodum ex contrario aqueo-terreſtria & muriatica acida, iolent effectus diſcrepantes à præcedentibus edere, quoniam hæc etiam ruſticis pernota.

Salia eadem, frigoris & caloris effecta tradere queunt, ubi diverſis occurrunt corporibus. De certitudine effectuum ac figurarum, ubi hucuſque ambigere merito neceſſum fuit, multo magis inſudare debet Phyſico-Medicus, ad ea dignoſcenda, per diſtinctionum ſufficientias egregias, ſecundum frigus & calorem, motum & quietem, reliquaque accidentia, ſalium eorundem ſæpius auxilio eruenda, in diuerſis corporibus humanis. Hoc maximum medicis emolumentum traderet, circa functiones variegatas partium corporis, circa febres, nunc frigidas nunc calidas, circa ipſa corpora nunc perpetim calentia, nunc frigore quaſi glacieli in toto vitæ curriculo detenta. Quæ ubique in Chymia occurrunt.

Salia Muriatica chymicis dicta, iiſdem cadunt

ſub

ſub cenſuris: Eorum enim texturæ, magis præcedentibus ſolidæ & hebetes exiſtunt, minuſque per conſequens activæ vel ſenſibiles in ſuis operationibus. Unde ſi in noſtra machina, aliqua denominatio ſalibus internis tribuenda foret, ea potius muriatica dici mererentur, quam alcalina ſive volatilia ſive fixa vel acida, quamdiu naturali procedit in motu. Sed haſce denominationes, rejiciendas potius obſervabit unuſquiſque ſedulus Naturæ inveſtigator, quamdiu illa diviſim fluunt ſpicula tenerrima, in humoribus latitantia. Hæc autem copulata quamprimum puncta eminenti modo in campum prodire ſenſerit, illorum ſtructuram omni modo dignoſcere ſtudebit, ut exinde de actione Morbi & de reactione Medicamentorum certior reddatur.

Prout omnia inſtrumenta ſcindentia & pungentia differunt, certa in coordinatione aciei ſuæ eminentis, extra ſuperficiem obtuſam retinentis illam punctorum ſeriem, ordinem & nexum; ſic etiam ſalia proſequenda veniunt ac dijudicanda ex illis aciei ſuæ eminentiis, è terra obtuſa hujus illuſive molis & figuræ prominentibus. Ipſa igitur terræ miſcela, hac in parte conſideratu eſt digniſſima, ut ſcopum notitiæ acquirat. Sic differentiam unicam præbet, inter Alumen, Vitriolum, ſal gemmæ reliquaque ſalia muriatica dicta, Eadem valet ratio inter alcalina volatilia, reſpectu oleorum diverſorum intermixtorum, omnem illorum diſcrepantiam proferentium. In noſtra machina idem uſui venit, ubi diverſitatem humorum accuratius perpendimus, ex Hepate Nitroſa acredo, ex pulmonibus aluminoſa viſciditas, ex Liene magis vitriolicam

auſteritatem redolens, ex Renibus tartareus, ex glandulis ſalivalibus muriatica ſalſedo inſtar ſalis communis, ex Ventriculo ad acetiformem figuram vergens humor, manifeſte prodibit, per motus ferociores humorum iis in locis conceptos. Ulterius patebit diverſitas tendentiæ motuum ſalinorum, ex ſola ſtagnatione; ſic ſaliva ad acidum forte, lac ad acidum ſeroſum, ſuccus pancreaticus ad acidum auſterius, bilis ad urinoſum, limpha ad alcali putridum tendent, ſanguinis vero pars oleoſa diutiſſime motui inteſtino reſiſtet.

Secundam corporum magis ſimplicium daſſem complent Aquæ. Aqua, iiſdem in noſtra Machina fungitur officiis, quibus in toto hoc mundo. Hæ ſunt partes oblongæ, molles, obtuſæ, flexiles. Filamentorum inſtar, nexum plurium corporum contexunt, eaque molli cohæſione gaudere faciunt, moderantque rigidiorum ſtatum, motum, molem. Vehiculum egregium præbent lentioribus progreſſibus vegetantium, & ad motus propulſivos ac inteſtinos procedentium particularum. Inconſtantiæ alterationis ac mutationis plenariæ omnium mundanorum, magnum eſt inſtrumentum, unde aqua turgida citiſſime pereunt. Motus inteſtini ſine aqua nulli, ejus autem reptatione indefeſſa, aeriſque perpetuis in illas particulas inſultibus, quævis corporum coordinationes collabaſcunt, tandemque diruunt. Fluiditatis vulgaris author, accidentia mutat, per motum ac diviſionem partium mollem, quæ mutationum viciſſitudinibus eo modo ſubjiciuntur.

Caloris, depreſſor an exaltator ſit, dubium eſt.

eſt. Hæc enim relative ſe habent ad ſalia & terras motas ac inventionem expanſi formem raptas; ſaltem quantum in ſe eſt, eundem moderatum præbet, unde quaſi intermedium exiſtit inter extrema frigora & calores. Hæc paſſim occurrunt in noſtro corpore, in aquoſis alimentis, in potu tenuiori, in Aere humidiori, in nebulis, humorum acrimoniam, ſenſum, calorem mitigantibus imo ſæpius extinguentibus.

Ut ſalia non ſaliunt niſi in aqua ſoluta, prout loqui ſolent Chymici, ſic etiam motus inteſtini deficiunt in noſtro corpore, abſque potu aqueo. Illud teſtantur digeſtio ventriculi inteſtinorum ad fæces, renum ad urinas, glandularum omnium ad limpham, rite ſegregandas & elaborandas, quæ abſque aqueo deficerent vehiculo. Ejus autem abundantia, retardans ſalium Ætheriſque actum, extinguit illa effecta ſubtilia, ſenſuſque hebetat, unde omnia torpida repere tantum videntur. Hæc in leucophlegmatia, Hydrope, tympanitide, aliiſque ſeri prædominiis patent, imo & ipſis Medicamentorum languidis operationibus eo tempore ſuccedentibus, ob defectum ſalium ſolventium.

Aquæ diverſitas, ut in Macrocoſmo cernitur, ſic in Microcoſmo eadem occurrit. Hæc differentiam ſuam mutuatur, ab admixtis corpuſculis ſalino-terreſtribus, ei varietatem figuræ & actionum præbentibus, aliàs aqua ſimpliciſſima eſt una, prout ſalium puncta ultima uniformia exiſtunt, nec acidi, nec alcali, nec muriatici nomine diſtinguenda. Aquæ igitur puteales, minerales, thermales, fontanæ, paluſtres, pluviales, diſcrepant ſua miſcela corpuſculorum du-

rio-

riorum ibidem innatantium, quæ ab iisdem ritè segregata Aquam unam derelinquunt. Sic etiam limpha, serum, tenuesque particulæ roridæ & spirituosæ, limphaticæ, eandem agnoscunt variationem suæ constitutionis mechanicæ, ex admixtis solidis particulis diversimode figuratis illic innatantibus Aquæ nostræ.

Ex constitutione igitur locorum, à fluidis hisce liquoribus illustratorum, omnia discrimina illius laticis hauriuntur. In præterfluentia enim sese sociant corpusculis fluido-solidis illuc appellentibus, tunc divellendis, & elaborandis, in hoc Mundo ejusque cryptis subterraneis. Sic etiam in nostro corpore latex serosus vario nomine instructus, maximam acquirit diversificationem, pro differentia locorum ac regionum, putà glandularum salivalium, pulmonum, Hepatis, lienis &c. in quibus exercitii sui fluidi moram diutius nectere cogitur, nobilitandus ibidem corpusculis alius figuræ ac molis. Unde non minorem agnoscit qualitatis suæ immutationem, quam aqua omnis mundana.

Hujus differentiæ ignorantia, præcipuum Medicinæ detrimentum affert. Exinde enim corporeas reactiones conjecturales & dubias palpando prosequuntur Medici, de hisce ne quidem hiscentes in suis scriptis. Extra omnem dubitationis aleam, aquarum vulgarium ac notarum differentiæ cognitæ sunt, earumque effecta admodum dissimilia unusquisque agnoscit, in solutione & coagulatione varia, ut & in operatione vulgari, in & circa nostrum Corpus, quamvis plura effecta adhuc omnes convicisse debuissent aquæ nostræ internæ, functionum nobilitate excellentius conspi-

ſpicuæ. Illa obſervatu digna occurrunt, in ſtatu ſano & morboſo, ubi limphæ in pulmonibus, hepate, liene, pancreate, vaſis ſeminalibus, & reliquis abdominis & thoracis partibus multum differunt à cerebri, glandularum ſalivalium, reliquiſque capitis vaſis limphaticis. Hinc extirpatio hujus illiuſve partis ſolidæ, multum contribuit plurimis functionibus alterandis, ut patet in caſtratione vel Eunucho; in imprægnatione Mulierum quidnam conferat, ad oculum patet in lactatione; corruptio varia in variis partibus, quantum diſcrepantiæ effectuum morboſorum edat, manifeſtatur in obſtructione, inflammatione, ſuppuratione illarum & remotiorum ſæpius partium. Medicamentorum effecta, exinde fido aut infido ſucceſſu procedentia conſpiciuntur, prout nempe in occurſu illius limphæ diverſimode alteratæ, reactiones ſubeunt innumeras, præſertim ex ſolutione admiſſa aut negata, vel ex ipſa coagulatione interna admiſſa reſultantes, ut in omnibus aliis corporibus ſufficienter probabile ſit.

Chyloſa ſeu pituitoſa magis limpha in Pulmonibus, albeſcens obſervatur, bilioſa acris eadem conſpicitur in Hepate ad flavedinem inclinans, ſeroſa ſalſa producitur ex glandulis ſalivalibus & vaſis capitis, ad aquoſitatem majorem inclinans. Quas omnes in locis aliis differentias etiam perſcrutari, abſque magna moleſtia, conceditur, modo attentiores ad rem in inquiſitione rei hujus, ſummè neceſſariæ, pergamus.

Sympathia & Antipathia Antiquorum, hac ratione elucidari poſſet, quippe liquorum horum,

rum activitates, cum unice dependeant ex ipſa figura & miſcela unius in aliam partem, tam ſolidam quam fluidam, ideo pro conceſſo vel negato introitu exactiori, ipſæ actionum diverſitates quaſi per conſenſum & diſſenſum evocantur. Illa paſſim obvia, in motu humorum ex hiſce aut aliis locis emanantium, hanc potius quam aliam partem etiam remotam petentium, reliquis velut intactis & derelictis, ut videre eſt in affectibus Uteri, Lienis & plurium abdominis partium, caput & cerebrum illicò moleſtantium, ut & in morbis capitis, pectus & pulmones inquietantibus; in medullæ ſpinalis vitiis, vaſa ſeminalia languida efficientibus.

Plurima etiam vaſſorum limphaticorum incommoda, rupturæ, inflammationes, idem evincunt in omnibus accidentiis inde emergentibus, non ſolummodo in ſero proprio ſed etiam in Ventriculo, in ſudoribus, ſaliva, urina, excrementis & reliquis, ex vitiatæ partis affectibus, eruendis. Idem cernere licet, in lacte & ſemine, ubi defectus notabiles occurrunt & exareſcentiæ utriuſque humidi, pro differentibus locis effectis, quæ utraque copioſa ſæpius exiſtunt & redundantia, quamvis aliqua alia loca male ſeſe habeant; Ex gr. Medullæ ſpinalis vitia officient & ſemini virili & lacti muliebri, Pulmones autem, ad Phthyſin vergentes, illa intacta diutiſſime relinquunt loca.

Spiritus dicti Animales, ſunt corpora tenuia aquea, oleagineis ſubtilibus referta. Motus idem hiſce competit, qui roridis vinoſis, ex Muſto fermentante aſcendentibus, particulis proprius eſt, unde aqua ſpirituoſa dici poteſt. Inſuper

qua-

quadrat effluviis Terræ interioris ſulphureo-ſalinis aquæ ſubtiliori immitis, egregiis vitæ vegetativæ inſtrumentis. Hi, ad modum omnium liquorum, motibus inteſtinis ſubjiciuntur, acceſſu diverſæ miſcelæ gravioris alterandi, immutandi, corrumpendi. Celerius autem Ætheris impetui obedientia corpuſcula, ob intimiorem cum ipſo conjunctionem, radiorum inſtar hic illic ſeſe vibrantium, lucida ſenſus indicia vegetationi excellenti juncta, in corpore noſtro creant. Ubi vero in devios tranſierint tramites, nulla magis in ruinam, ſenſationeſque triſtes deducunt, quam hæc exagitata malè conſtructa corpora. Conceſſa igitur Spirituum horum copia, producit calida omnia effecta, torrentis inſtar in omnes partes rapienda, citiſſimeque ſecundum leges ſuæ figuræ, actiones corporeas, tam internas quam externas, diſponentia, puta in humoribus, Alimentis, Medicamentis, Venenis, contagiis, & reliquis. Primi enim concurſus ab iiſdem & cum iiſdem fiunt, ut patet in corporibus biliefis, acribus, ſanguineis floridis, inflammationibus Nervorum, cerebri &c. Hæc correſpondent cum ſpiritibus Chymicis recenter deſtillatis, igneo vigore præditis, rapidiſſimo niſu in propria & ſuper varia alia corpora adigendis, unde depaſcunt & exenterant ſolidarum ac duriorum ſuperficierum contextus, validiſſime eorum in & egreſſu dilaniandis, quod etiam in talibus acutis morbis locum habet, exinde oriundis.

An vero hi Spiritus exiſtant diverſi, multum Authores ambigunt. Antiquis tres aderant eorum ſpecies, Animales, Vitales, Naturales.

Hi

Hi quamvis uni esse videantur, attamen absque tali specificatione concessa ; hosce spiritus inter se differre consideramus, ut solent omnes Spiritus diversis oleis inclusi, relatione habita ad balsamicam diversæ limphæ partem, in qua circumagi observantur, cum abstracte ex uno eodemque spirituoso salis fonte emanent. Sic à cerebri medulla, nervaceus subtilis humor infectus, dicitur Animalis ; Ab agitatione Cordis & affluxu recentioris Chyli, Vitalis vocatur, tanquam vitæ vegetativæ inserviens ; à Testiculorum vasorumque spermaticorum, sallugino sa ac oleosa limpha, intermixta iis particulis, ibidem Naturalis nuncupatur, quasi ad Naturæ propagationem inserviens. Quantum autem hæ particulæ conferant, ad ipsius Machinæ Oeconomiam, illud demonstrant hæc loca præternaturaliter constituta ; vel extirpata.

Proximum locum tenent halitus vaporosi, ex fluidorum collisione varia & calore interno resultantes. Hi proprie Ros dicebantur Antiquis. Differunt à præcedentibus, ratione elaborationis negatæ in nervis & cerebro, ubi figuram propriam acquirunt præcedentes Spiritus, ex hisce tamen pro maxima parte oriundi. Eorum differentia æque insignis quam in omnibus aliis, ab ipsa corporum diversa structura procedens, è qua originem trahunt. Subtilia enim, frictione & attritione multifaria, extricata corpora, antequam crassum suum deserant involucrum, plurimas attenuatas & decussas secum auferunt particulas, figura tamen integra aut leviter mutata constantes, sua miscela modificationem actionum afferentes. Hæc patent in Alimentis, Medica-

dicamentis & Venenis, ventriculo ingeſtis, motum ad inteſtinum pergentibus, effluvia copioſiſſima præbentibus, Spiritus animales ex tempore incitantibus ad ſenſationes & functiones varias, Machinæ noſtræ proficuas aut noxias. Iden in Morbis contingit, ut & in meris halitibus, corpora varia diverſimode alterantibus, ut & in ſuffumigiis, & odoribus, immediate ad reactionem nobiſcum tendentibus. Illa effluviorum vis mirifica, in plurimis etiam obſervatur partibus noſtri corporis, ad remotiora ubi loca tendunt, non intermiſſo halituum ventiformium progreſſu, in ſtrangulatione, ſuffocatione, convulſione, nauſea, motibuſque extraordinariis ac improviſis celeri pede accedentibus & recedentibus.

Hæc autem miaſmata interſparſa obtinere, nemo dubitabit qui ventos ipſos examini curioſo ſubjiciet, in Ventre ſuo ſalia & quæcunque alia levia corpora portantes, Pandoræ pixidem ſepius circumferentes. Flatus ejuſdem ſunt farinæ, ſed magis reſoluta & expanſa humida, Aere plurimo gravida, expanſionis maximæ authores, in reliquis coincidunt. Haſce particulas, humido-aereas, nebulis ac Ventis mundanis comparare licet, eædem enim ſunt operationes, obnubilant enim, humectant, diſtendunt, refrigerant, excalefaciunt, reliquaque effecta ſimilia producunt in noſtro corpore, ac in toto hoc Mundo.

Tertiam claſſem corpoream conſtruunt Terræ. Hæ ſunt ſolidæ, in omnem dimenſionem quam maxime extenſa corpora, per ſe quieta, & gravia. Non una earum exiſtens forma, materiæ

mundanæ magnam diverſitatem attribuit, ſalium & aquarum auxilio motum acquirens varium. Terræque proprietates ignotæ, aut ſaltem in pleriſque leviter perſpectæ latent, tam quoad Macrocoſmum, quam quoad Microcoſmum, ex ejus enim gremio formæ ac figuræ, qualitates & quantitates, reliquaque corporum attributa magna in parte proſiliunt, nam ejus contextus ſolidus, ſalibus & aquis domicilium præbet diverſimodè ornatum.

Ipſæ vegetationes corporum, mechanicas ſuas ſtructuras terræ debent, diverſimode ad ſe invicem appropriatæ. Hujus nexus, ſitus, ordo, differentiam omnem conſtituunt inter vegetabilia, mineralia & animalia, ac inter eorundem modificationes & ſubdiviſiones. Noſtra Machina per conſequens, ex eadem ortum & progreſſum, æque ac alia corpora ſumſit, & per eandem conſervatur. Illius conſtitutio debita, ſartam tectam reſervat noſtram vitam, ejus alteratio ab ordine conſueto Morbis anſam præbet, tandem hujus corruptio, ſeu juxta poſitionis naturalis interitus Mortem cauſat. Hæc effecta, locum tantum potuerunt capeſcere, in corpore maxime per ſe quieto, ut pro tempore ſaltem perſtare poſſent motuum vitalium determinationes, quæ in reliquis ita coerceri nequirent, nec ad leges mundanas reſtringi, niſi certa concederentur receptacula ſuis limitibus circumſcripta, contra Ætheris Aeriſque injurias generales tuta. Verum, cum nulla corpora, ſemel admiſſam figuram mutent, niſi ubi ea ab aliquo fortiori conturbetur, ſecundum Phyſicorum monita, hæc non alibi locum applicationis æque faciſè inveniunt,

quam

quam in hac terreſtrium partium ſerie ſuperficietenùs arctius juncta. Unde per terram, corpus eſt quod eſt, reſpectu ſuorum accidentium, mutationes etiam ſoli terræ originem ſuam debent.

Terræ proprium eſt, ut in aqua non ſolvatur, niſi ope ſalis. Hinc ejus moles denſior, ſi abſque ſolutione perſtet, etiam abſque actione permanet. Hoc demonſtrant omnia terreſtria duriora, corporibus aqueis objecta, & vappidæ limphæ occurrentia in noſtro ventriculo, hærent enim ibidem abſque ulla reactione, machinamque talem intactam derelinquunt, ut patet in Cachecticis, Hydropicis, pituita viſcida obſeſſis corporibus. Inſuper exinde obſtructionum primitiæ & augumenta procedunt, in quantum alimenta minus ſale ſpirituoſo luſtrata, crudum id eſt terreſtriorem & magis aqueum generant Chylum, functionum omnium labefactationem procurantem.

Appropriata ſuis poris & ſuperficiebus ſalia, Terræ expoſcunt. Quævis igitur ſalia haud conveniunt, reſerationi & diſſolutioni ſuperficierum & pororum terreſtrium, ſed talia tantum quæ ſuis punctis ſubire queunt arctos nexus dividendos ac ad fluorem reducendos. Hæc ſalibus non competit diverſitas quâ punctis meris, ſed quâ iiſdem coordinatis ac in certas copulas junctis interveniente terra, nectente illa ſpicula, unde non meris ſalibus, ſed compoſitioni terreo-ſalinæ imputando hæc varietas negatæ aut conceſſæ actionis. Quod illa ad terram ſint referenda, patet ex ejuſdem generis ſalibus à diverſis terris per deſtillationem, abſtractis, vel

meram fermentationem cum aliis terris paſſis, aut cum variis digeſtis, exaltatis, ſublimatis, extemporè enim pleraque indoles priſtina perit, ad aliam actionem tendentibus. Idem redarguunt Humores noſtri ubi ex locis male figuratis, miſcelas recipiunt, circa ventriculum oberrantes craſſas, quamvis mole ſalina gravi inſtructas, negata cum diſſolutione ſeu digeſtione leviorum ciborum quorundam, aliorum vero cum ſubitanea imminutione etiamſi duriori. In Pica, Malacia, Nauſea, abhorrentia ciborum, appetitu nimio, fame canina & ſimilibus Ventriculi primarumque viarum Morbis, inverſiones figuræ terreſtris locum habent, modificantes illa ſpicula ſalina & vehicula aquea.

Diverſitas & penetratio mutua terrarum ſibi mutuò occurrentium, reactionis ſunt præcipui moderatores. Hæc non vulgaris edocet Chymia, ſed ipſa Natura & univerſa Medicina eadem demonſtrant effecta, ita ut dubitationis omnis anſam tollat. Metalla enim quamvis fere una appareant ſingula in ſua ſpecie, attamen miram varietatem reperiet partium & actionum inde reſultantium ſedulus Inveſtigator, in Auro effoſſo in Hungaria, Peru, Arabia, Inſula Madagaſcar, reliquiſque innumeris regionibus, ubi in colore, ſoliditate, fuſibilitate, effectis mechanicis, viribus medicis haud mediocrem obſervare licet differentiam, quamvis in cupella & aqua forti eaſdem ſubeat operationes. Idem de aliis judicium ferre, & ad experieutiæ lancem exhibere poſſemus, ſi hic ſingula minutim proſequi eſſet animus, ſaltem Medici illud inculcant in pluribus ſuæ materiæ Medicæ locis,

ita

ita ut mirari ſufficienter nequeam, hæc tantopere à Practicorum librorum Concinnatoribus negligi. Sic Antimonium & Vitriolum Hungaricum, non ob pretium ſed ob auriferam miſcelam commendantur, vires medicas nobilitantem, ubi in aliis locis ignobiliora non ſolummodo metalla, ſed ipſa ſæpius deleteria & arſenicalia Mineralia intermixta, horrendas inferant operationes, machinæ noſtræ. Hinc in vegetabilibus diverſo ſub Cælo natis, non aliud nobilitatis ſuæ ſpecimen elucet, niſi terræ ſubtilis & craſſioris egregiæ mixtura. Subtilem voco, moleculas terræ per Aerem & rorem ſparſas id eſt, effluvia ex ipſa terræ ſuperficie elevata, Aerem vicinum replentia, illis vegetabiliun oſculis ſupremis communicanda. Craſſam nomino ipſam terram & agros, ex quibus alimenta ſua ſolidiora acquirunt. Hæ terræ, quantum varient circa interiorem & exteriorem partium conſtitutionem, ipſi norunt Ruſtici, illam varietatem optimè dignoſcentes, tam in vegetatione ipſa, quam in bonitate omnium effectuum exinde obtinendorum, in mechanicis, alimentis, Medicamentis, Venenis eorumque operationibus. Non opus eſt, ut, Phyſicorum vulgarium more, hic recurramus ad Ætherem varium, nec ad irradiationem meram Solis magis minuſve admiſſam, quamvis hujus auxilio plane indigeant, quoniam hæc corpora, illud effectum exactè præbent, in iiſdem vegetabilibus, diverſis in terræ ſpeciebus, eodem ſub Cælo ſitis, ac in eodem ſolo degentibus. Imo mediante arte, terreſtria varia vegetantibus corporibus tradita, illa reddent variantia

in pleriſque accidentiis. In Animalibus eadem contingere nemo dubitabit, ubi carnes eorum eſculentas tantopere differre guſtu quis percipiet, pro diſcrimine aſſumptorum alimentorum fluido-ſolidorum, in variis locis exiſtentium. Exinde etiam hominum conſtitutiones, functiones, cogitationum modificationes, alte ationes innumeras acquirunt, vix uno calamo deſcribendas, imo Antropophagorum immania fercula, illud diſcrimen nos edocuere, etiam hominibus devorandis ineſſe differentem guſtum. Medicamentorum igitur & Alimentorum, ut & Venenorum fidus aut infidus ſucceſſus, plurimum huic miſcelæ modificanti adſcribi poteſt, unde ſinguli in ſua Patria publici & ſagaciores Medici, naturam ſoli rite dignoſcere, vegetabiliumque & reliquorum corporum indolem optimè inquirere deberent, ut minori palpatione res Medica procederet.

Influxus Ætheris & ſalium tenuiorum terras exaltat, defectus eorundem illas retardat, in operationibus. Ætherem, radios Solis ac ſalia, igneo vigore conſtantia, imminuere moles & extenſiones graves terræ, evincunt quævis naturales & medicinales operationes, ipſæ etiam functiones noſtræ Machinæ ab eorundem regimine dependentes, à prima uſque ad ultimam operationem. Quod autem ea hic jungamus, mutuo quaſi conſortio procedentia, non abſque ratione factum, quoniam hæc pari paſſu in omnibus Naturæ operibus procedunt, mutuis auxiliis ſuffulta, ad motus excellentioris poſſeſſionem acquirendam. Terræ enim diviſæ ac ad ſubtilitatem redactæ altius penetrant, olei ac ſpiritus naturam

ram cum ſalibus & aquis induunt, facillimeque ab Ætheris impetu & niſu divelluntur à ſe invicem, & quaquaverſum per anguſtiſſima loca impelluntur, unde fæcunda producitur vegetatio rutilanti colore inſtructorum corporum. Hinc alacres reddimur, ad quæuis munia promptiores in Æſtate, ſed etiam ſi male nobiſcum ſit, reſpectu miſcelæ Humorum, terræ perverſè figuratæ ad acredinem evectæ nervoſum genus irritant, vellicant, moleſtant, morborum authores, variantium ſecundum conſtitutionem elevatæ ſeu attenuatæ terræ. Sic vegetabilia venenoſa eo magis activa, quo magis Sole æſtuante ſubtiliata fuerint ad ſtatum tincturæ oleoſæ evecta. Idem de medecinalibus dici poteſt, ad ſubtiliationem illam perventis, quod teſtantur eorundem olea eſſentialia & ſpiritus copioſiſſimi, inde haud difficulter extrahendi, ut & ſapor & odor eximii in tali corporum ſtatu, quæ ſunt tanquam ſudores copioſi earum particularum Ætheri parentium.

Alimenta autem, ni ſint quodammodo duriora in ſuo contextu, vix illa exaltatione indigent. Alias enim naturam alendi ſolidas noſtras partes exuerent, & medicinalem in claſſem tranſirent, ob ſubitaneam ſtructuræ illius levis diſſipationem. Blanda ideoque attenuatio requiritur, ut ad ramoſam craſſiores naturam pertingant, ulterius in Ventriculo diluendam & per motum inteſtinum attenuandam. Alendo corpori igitur deſtinata, pro diverſitate texturæ ſolidioris aut rarioris, diverſos admittunt Ætheris influxus, ad terreſtris figuræ adaptationem variam ſuſcipiendam, idoneam noſtræ Oeconomiæ.

Hæc patent, in tritico, Oryza, Milio, Radicibus Caſſave &c. quæ tamen pro natura ſoli etiam multum diſcrepare ſolent. Has Naturæ operationes imitatur Chymicus, in ſuis digeſtionibus, miſerationibus, ac extractionibus blandioribus corporum, ubi illa reducere ſatagit à minori ad majorem motum, nam Olea Spirituſque tenues producti Æſtate, & quidem in regionibus calidioribus per excellentiam, in ſinu vegetabilium oberrantes, nil aliud repræſentant niſi Tincturas eorum corporum nobiliſſimas, conſtantes ex divulſa leviſſima Terra, conſortio ſalium tenuium & aquæ Spirituoſæ, ex Aeris gremio ibidem depoſitorum, unde eorum activitas ex illis dimetienda venit à Medicis prudentioribus.

Floridus & rutilans cutis noſtræ color, ad roſeum & incarnatum vergens in Æſtate, idem evincit. Hic enim, Spirituum nobiliorum fluiditatem majorem, tincturamque tenuioris ſanguinis, per minima effert vaſcula illi penetrationi velociori cedentia. Quæ omnia minus exaltata in Hieme cernuntur, Terra minus poroſa ac levi eo tempore exiſtente, minorique Spirituum æthereorum influxu ſuſtentata.

Aquarum & ſalium variatio, unicè terris debetur admixtis. Ubivis oculos convertat Phyſico-Medicus, hanc reperiet veritatem, terreſtres enim particulæ in limum aut mucaginem tenuiſſimam verſæ, à ſpiculis ſalinis abreptæ, ad motus reciprocos convertuntur, miſcelaſque dehinc varias ſubeunt, figurationes innumeras recipientes. In Mineralibus, ſpermata ſeu incunabula prima generationum, ex hiſce terris aqueo-

aqueoſalinis evocantur, quibus per aquam præterfluam abſorptis, mineralium Aquarum originem conciliant, ut & fontanarum, putealium, paluſtrium, diverſitatem concinnant, effectis Medicis diſcrepantibus inſignium. In vegetabilium ſeminibus, tenui illius terræ ramoſæ conſortio dotatis, idem obſervatur, ubi ad germinationem pergentia, illius ope modificatos præbent ſuccos, illi fætificationi idoneos, quibus deficientibus tollitur ipſa vegetatio ſpecifica partium. In Animalium ſemine, res eſt manifeſta in mucaginoſa ejus conditione, ad ramoſum ſtatum facile vergente. Quod autem intermixtæ exiſtant corpuſcula diverſæ figuræ & molis terreſtria, illud deſignant ipſæ prolificationes admodum diſcriminatæ à ſe invicem, ratione accidentium tam externorum quam internorum, quæ occurrunt in coloribus, delineationibus, functionibus, morbiſque ac conformationibus Parentum & Liberorum adeò diſtinctis. Mucus in Animalibus, partes mucaginoſæ & reſinoſæ in Vegetabilibus, ſulphur in Mineralibus, hujus ſunt farinæ corpora terreſtria, tincturas quaſi fluidas toti Machinæ communicantia, ejuſque actiones integras reſervantia, unde jactura magna talium morbos ac interitum illius machinæ accelerat.

Generatio, alteratio, corruptio, debentur terris, ſitum, nexum, ordinemque ſuperficierum mutantibus. Hoc ex prioribus liquet, Mors, enim & Vita rerum inde originem trahunt, ex læſione figuræ, figura autem à diſpoſitione aç ornatu Terræ producitur, unde illius mutatio, immediatè alterationem omnium accidentium

ſerum

ſecum trahit. Hæc autem mutationis ſpecimina præſertim abſolvuntur ſequentibus modis; Primò nimio terræ infarctu, ubi denſior redditur textura corporum, quam ut ſufficiat Ætheri, Aeri, fluidiſque admittendis, unde independentia ſuperficierum pro magna parte tollitur, quod obſervatur in obſtructionibus pertinacibus chirroſis, in Calculis, accreſcentiis calloſis, indurationeque cutis. Secundò, præternaturali terræ levitate, ubi rarior ejus textura, nimium ſpirituoſis ſcatet particulis, vix ad conſiſtentiam debitam reducendis, ut in nimio æſtu, inflammationibus, ſenſibus exquiſitioribus, ſudoribus copioſis, motibuſque acribus inteſtinis quotidie obvenit. In hoc caſu, Spirituum reſolutio & fuga plurima conſpicitur, cum vigiliis, jactationibus corporis, motus æquilibrium tollentibus, cogitationibus fervidis & ad iram pronis, judicio placido deſtitutis. Tertiò, ſolutione continui, formam, actionem & nomen delente illius priſtinæ ſtructuræ, unde in varias partes divertuntur, ante hac copulata corpora. In hoc caſu, mortem obiiſſe dicuntur figuræ annihilatione, quamvis ſtatim aliam arripiant formam corpora diſcontinuata, ut in motibus inteſtinis liquebit. Hæc motibus violentiſſimis inteſtinis generantur effecta, diutius inſiſtentibus, ut occurrit in fætidis Ventriculi exhalationibus, ructibus nidoroſis, Carie oſſium, Gangræna, Sphaſelo, Nervorumque vehementi concuſſione, extempore ſæpius effecta illa ſuſpicienda producente, in morbis dictis per-acutis & perperacutis, citiſſimè Hominem extinguentibus, fætoremque inſignem cadaveri communicantibus, cum intumeſcentia

ejuſ-

ejuſdem extraordinaria. Reliquæ alterationes leves, ex acceſſu & receſſu corporum terreſtrium ſeſe manifeſtantes, non magnum obſervationum pondus addunt, utpotè quibus ita aſſueſcunt corpora, ut ſenſibile exinde detrimentum vix percipiant, niſi in extraordinariis illis continuatis operationibus à medio ſtatu deviis, putà in jactura nimia, aut in accreſcentia magna partium.

Ab hiſce tribus, Corporum diſtinctorum claſſibus, pleraque mundana phænomena dependere & proſilire, unuſquiſque agnoſcet naturæ Perſcrutator, ſi ea divexet & tractet per motum. Ipſe autem Motus, nunc indagandus foret aut fuiſſet, ſi Philoſophos vulgares eorumque doctrinam ſequi nobis propoſitum fuiſſet. Verum ab hac via, Medicis inutili imo noxia ex profeſſo divertimus, ob ſequentes neceſſarias cauſas.

1. Quoniam motus à priori incognitus eſt, quamvis is ſit familiariſſimus in hoc Mundo.

2. Quoniam definitiones motuum, ne hilum ad Medicinam docendam faciunt.

3. Quoniam ea quæ de Materia ſubtiliſſima, ſeu de Æthere, dicuntur, ſunt mera commenta ingenioſa, nil ſolidi tradentia.

4. Eadem ſub cenſura jacent, globuli ſecundi Elementi, quos proponit non demonſtrat Philoſophus.

5. Quoniam de Aere tradita, tanquam de corpore ſimpliciori, aut vana, aut ſaltem in pleriſque nec clara nec diſtincta ſeſe dubitantibus offerunt, ſed plurimis dubiis & falſis Hypotheſibus innituntur.

6. Quoniam pleraque, motuum prima gene-

ra-

ſaliora effecta tantum elucidant, ut preſſionem & permeationem liberam, non autem miſcelam &reactionem Corporum.

Ideoque à familiaribus, maxime cognitis & ubique obviis placuit Lectorem ſtudioſum deducere, ad altiora naturæ opera, ut ſenſim ſeſe aſſueſcat iis trutinandis, Hæc corpora craſſiora motu indigere, ut ornatum ſuarum actionum edant, nemo inficias ibit, qui ea, vita omni privata, quamdiu quieta, intuetur. Motum à Sole, tanquam domicilio motus mundani, deducere Naturaliſtæ convenit, non detracto ſummi Opificis honore, cui omnis Mundi creationem attribuit cum ejus Motu.

Ex hoc illuſtri loco, effluvia ſpiritualia emanantia, ſunt corpora ignea ſubtiliſſima, ipſa materia non re differentia ab igne terreſtri. Hæc materia in quantum defæcatior ac puriori ſimplicitate gaudens, reverà in tantum ſuos penetrationis modos, agnoſcit multum ſuperantes reliquos mundanos Ignes, quamdiu illa ſpirituali coruſcatione & ſimplicitate gaudet. Sed nunquam ad nos ita accedens materia, nec ſimplex nec puriſſima dici poteſt. Ætheris familiaris & peregrini nomina, indè huic materiali influentiæ indita à Phyſicis altum ſapientibus, verum hæc à mixtione & compoſitione aliqua reſultarunt, non à ſubtiliſſima dicta Materia. Effecta etiam peregrina & familiaria, non illi uni decompoſitæ ſed compoſitæ attribuenda, in qua Materia ipſa Ætherea indifferenter agit, ſed admixtæ moleculæ non ita procedunt diverſis figuris inſtructæ. Medicus autem, haſce actionum neceſſitates, non à motu ſed à motis corporibus,

bus, ubi dependere videt, priorem vix curat, ſed poſteriora ſcire ambit. Sic parum ei intereſt, utrum Venenum calidè aut frigidè ſit propinatum, à volente aut nolente ſit exhauſtum, in Hieme aut Æſtate præparatum fuerit, modo illud Venenum eſſe noſcat à Caio aſſumptum, ipſiuſque in corpore ad reactionem deductum.

Circa ſecundi Elementi Globulos, eædem permanent difficultates, an reverà exiſtant, cujus ſint magnitudinis, qualitatis, quantitatis, &c. Has luminoſas particulas, flammeis circumrotationibus ſalino-ſulphureis conferre licet. Sunt enim ſecundaria ignis mundani effecta, quæ inſtar ſcintillarum tenuium ſeſe per totum diffundunt terrarum Orbem, fovendo motum & lucidos radios ubivis diſpergentium. Etiam hæc ad ſuperficiem noſtræ Terræ non pertingunt, vibratione immuni ab omnium aliorum conſortio, ſed per tot corporum catervas pergentia lumina, hic illic irretita cum aliis iter ſuum abſolvunt, ac ea ratione opera Naturæ alibi peragunt. Sic ardentes Solis radii, vix calore & luce perferendi, in his ſeſe ſiſtunt, ubi in propinquis, ſub eadem Zona commorantibus regionibus, omnia pacata ſunt, quamvis eadem ſuccedat irradiatio. Sic ſalutifera & lethifera effecta, in eorum alis, quaſi aſportata, hic vitam beatam & longam, ibi miſeram & brevem Incolis communicant. Quæ à ſimplici illo irradiante Phæbo, innocenter ſuam auram Ætheream communicante, derivari nequeunt, ſed à miſcelis quibusdam gravioribus, ejus ope in fluorem & motum evectis. Unde nec illa, magnæ curæ Medicorum commiſſa ſunt, ſed tantum qua impe-

tum

tum neceſſarium mobilitatis & ſolubilitatis requiſitæ perpendit in fluidis corporibus.

Aer, æque manco pede inſtructus ad nos pervenit, ex Philoſophorum ſchola. Hujus vim elaſticam, optime in ſua externa preſſione perpenderunt, plurimaque ad id probandum excogitarunt, verum an omnia ab Aeris mera gravitate dependeant, in multis dubitandi locus ſupereſt. Hæc autem ad Medicum nihil faciunt, niſi quod theoreticè intelligat, nos ab Aere vicino premi, in fluidorum circulari motu obtinendo. Aer purus nullus conceditur, ſed infinitis corpuſculis ac minutiis fluidis refertus, eaque ratione nos afficit, preſſione nempe & miſcela. Hic inſtar liquidiorum ſpirituum ſeſe offert, menſtruumque univerſale hujus Mundi dici poteſt, igne Æthereo & lucidis radiis nobilitatum. In hoc fluido eædem occurrunt diverſitates, ac in omnibus liquoribus mundanis & Chymicis, quæ ex relatione operationum ad diverſa corpora facile dignoſcuntur. Ut hæc ſcopo Medico exactius approprientur, ſequentem exhibere inveſtigationum Methodum, circa effectuum inſtantias, libuit.

Materia dicta Æthereа ſive Æter, & globuli ſecundi Elementi igni ſpirituoſo ſeu cæleſti, in omnibus ſuis proprietatibus aſſimilandi, inſtar ignium terreſtrium, cæteris paribus, ſunt conſiderandi. Ignes noſtri, gravioris terræ conſortio majori gaudentes, inſtar ignium cæleſtium ſubtiliorum, attamen terra ſulphurea leviori inſtrutorum, proferunt leges ſui motus ratione ſuæ figuræ. Hæ figuræ in tenuiſſimis, poſſunt eſſe unæ cum craſſiſſimis. Nam graviſſima faci-

lem

ſem ineunt levitatem, diviſione ſuperficierum, leviſſima gravitatem acquirunt, accumulatione earundem. Permanens autem figura, conſtantiam actionis involvit, quæ ratione motus aliqualem permittit diverſitatem, ſed non ratione ipſius tendentiæ operativæ.

Terreſtri materia, innumeris modis in ſua fabrica & extenſione figurata differt, æque in igne quam in aliis fluidis. Hoc patet in Carbonibus foſſilibus, Oleis, Bituminibus, Sulphuribus, Reſinis, Axungiis, Adipibus, Sevis, Lignis, Ceſpitibus, & cæteris vix proferendis corporibus flammam & ignem concipientibus. Hæc diverſimode corpora omnia afficere, teſtatur Experientia, non ratione flammæ, caloris & lucis, ſed ratione corporum ſalino-terreſtrium poros noſtros obreptantium & humores alterantium. Eodem modo, cœleſtes igneæ irradiationum modificationes, tot ſtipatæ corporum elevatorum catervis, ad nos calorem & lucem deferunt compoſitum, non reſpectu irraditationis meræ, ſed vectorum corporum ſuas operas exequentium. Hæc patent ex locorum variatione, ex plurimis etiam Solis ad terram ſeu ejus ſuperficiem diſpoſitionibus, & ex motuum arietatione varia, illas particulas magis minuſve imminuentibus & ad motum diſponentibus.

Ex hiſce, ſequentia colligit Medicus. Hæc duo corpora eſſe per ſe innoxia, eaque animam Mundi conſtituentia, ad opus Medicum eandem relationem habere; ut omnia per ſe adiaphora ſeu indifferentia, ad reliquorum corporum legitimas determinationes & tendentias. Eaque eſſe mera vehicula exercitiorum, in luſu

Natu-

Naturæ conſpicuorum, à quorum nutu non dependent fines, ſed principia altiora rerum, vitalem in curſum & luctam reducendarum. Medicus autem inſtar Militis vigilans, haud curat civilem id eſt naturalem motum, ſed hoſtiles impetus Adverſariorum, debellantium noſtram machinam acutiſſimè obſervat, ut iis opportuna conferat remedia. Quæcunque blandè & inſenſibiliter corpus humanum afficere conſueverunt, reverà nec Philoſophis nec Medicis ex omni parte innoteſcunt nec opus eſt ut iis ſummopere hic inſudet, nam Miniſter Naturæ non Magiſter eſt, ſuccurrere ei in noſtra machina laboranti, conceditur, ſed extrà ejus poteſtatem eſt avertere omnes inſultus, naturaliter ab axraneis inſiſtentes. Sic Ætherem arcere nequit, & cum illo tempeſtates Æſtivas toridas, ſed requiritur, ut dignoſcat illa torrentis inſtar rapta per Ætherem corpora.

Omnis calor & lux, à ſalium copia & violento motu prodit, circa planiores terræ ſuperficies leviſſimas, ſeſe exercentibus. Salia hæc rapido in fluore conſtituta, celerrimas tendunt ad corporum penetrationes. Penetratione ea, in quaſvis dimenſiones & ſuperficierum latera arietant, illaque diſtendunt & independentia reddunt, poſtmodumque ad fluorem egregium reducunt. Unde ſpiritualis inducitur corporibus Vita. Terræ hæ quaſi expolitæ, raræ & leves in ſuperficierum conſtructione multifaria redditæ, in ſingulis ſuperficieculis planiſſimæ & aporæ factæ, ſulphureas velociſſimas Mundi meteoriſationes conflant igneas, partim viſui ſeſe ſubducentes, partim ſeſe ei ſubjicientes. Hæ ſunt

meræ

meræ & primæ Mundi hujus activæ partes, nos ſuo motu, copia varietate & miſcela beantes vel affligentes. Hæc ex gravioribus, id eſt, tertii Elementi particulis conſarcinatur, ac hoc modo comminuuntur, adaptantur, exaltantur, ut tandem igneum illud conſortium ſequi valeant, cum rapiditate extraordinaria circumvehenda. Ex hiſce ritè perſpectis & cognitis, lucem ſibi fæneratur Medicus, atque rationes haurit, de æſtivis contagiis, ardoribus, acutiſque Morborum afflictionibus. Exinde penetrat, diverſitatem Morborum calidorum, ex hiſce aliiſve Cæli & Terræ plagis oriundam. Tandem inde, tendentias ſibi deſcribit illorum motuum ad ſuos fines mechanicos properantium, ubi illa ſubtiliata compoſita perſpexerit corpora, ope Ætheris circum acta, ad noſtrum corpus intime delata.

Aer maximam Medicorum meretur conſiderationem, receptaculum enim omnium effluviorum exiſtens; ea nobis communicat, in noſtris machinis, ſuas actiones proferentia. Aer tanquam humidum expanſum ſeſe ſiſtit, à cujus undulatione afficimur. In hac parte, moderator rerum acrium ignearum, & productor motuum inteſtinorum exiſtit. Moderatio illa tamdiu locum habet, quamdiu aqueum illud vehiculum, in mollitie, alias inflexilia & rigida, detinet ſalia terris poroſis juncta. Illud patet, in rore tenui Aerem occupante, ſat copioſo & blando, circa vernalia tempora. Productio motuum inteſtinorum prodit, in ſtagnante illo humido aereo, minus ventis illuſtrato, particuliſque ſalino-ſulphureis refertiſſimo. Hæc obſer-

vantur in Æſtate calidiori, Zephiris languidis ventis obſeſſa, Morborum genitrice.

Aer continet ſalia liquida, diverſificata per effluvia illarum regionum, in quibus illa hærere & fluere coguntur. Salia autem ſunt puncta ad reactiones celerrimè feſtinantia, imo ipſos humores modificantia ſua miſcela, ad varietatem motus reliquorumque attributorum. Hinc ab Aere ſalino, liquore univerſaliſſimo, primæ reſultant injuriæ, ut ex iiſdem prima proſiliunt vitæ beneficia. Illa autem ſalia, variæ terræ juncta, differentem agnoſcunt nexum & ordinem ſuarum eminentiarum, prout ipſius terræ interna & externa materia, vaporum obtulerit diſcrimina, in diſſitis regionibus, & per conſequens diſcrepare coguntur actiones inde reſultantes, in congreſſu aliorum corporum. Hæc palam fiunt, in hoc Mundo, diverſis morbis uno eodemque tempore afflicto, ſub varii cæli ac regionum Incolis; ut & ex tempeſtatum mutatione, morborum ſcenam alterantium, delentium vel augentium.

Humidum illud, rarefactioni & condenſationi ſubjectum eſt. Exinde potiſſima vis Elaſtica Aeris dependet, non autem ab Aere ſimpliciter dicto. Illius enim vaporoſi ſeu tenuis Roris imago, multum differt à ſimplici Aqua, utpote non tam ſpirituoſa nec rara, à defectu igneæ illius miſcelæ in Aere redundantis. In quantum Aer rarefit, in tantum noſtri humores celerius premuntur, particuliſque ſalinis igneis copioſius inſtruuntur, quoniam rarefactio à Materia dependet ſubtili & lucida, utriſque ſalium egregiis vectoribus. Hæc ad oculos noſtros incurrunt,

ubi

ubi ſalium fervores rapidiſſimi ſunt in Æſtate urente, tam in noſtra machina, quam in quibusvis aliis ad fluorem & exhalationem ſpirituoſam raptis, manifeſtam acredinis ideam exhibentibus.

Condenſatio Aeris, involvit condenſationem humorum. Hæc ab approximatione ſuperficierum oriunda, neceſſariò defectum notat ſpirituoſi & lucidi corporis ſalini, unde reliquiæ eiuſdem, impares ſuſtinendis illis molibus corporum in ſua rarefactione, eas coire ſinunt ad gravitatem properantes. Hæc inopia ſpirituum, omnes reddit functiones lentiores, tam quoad ſenſum, quam quoad motum. Exinde etiam minor reſultat partium jactura, alterationumque minores efficaciæ, conſpiciuntur, in Frigoribus.

Humidum aëreum, ventiformen induere poteſt expanſionem. Venti ſunt rarefactæ aquæ, ultimam quaſi tendentiam ſuis motus obtinentes. Hæc expanſio, duos obtinet Satellites, ignem nempe ſalinum & intumeſcentiam maximam mollium veſicularum aquearum, quam maximè diſtenſarum à ſe invicem. Motus à prioribus, niſus à poſterioribus dependet. Rapiditas juncta extenſioni auctæ, admodum promovet viciniæ corporum mutationem, in iis Regionibus, ubi feroces ſuos proferunt inſultus, expanſis enim alis omnia ſuſque deque movent & promovent. Eorum corporum violenti niſus, humoribus non minimam inferunt concuſſionem, intimius enim per Pulmones & Ventriculum, eorumque poros adacta, communicant ſuas particulas rarefacientes, incraſſantes, incidentes, & cujuſvis alius

indolis ſalinas, oleoſas, aqueas. Quod patet, ex ipſis vegetabilibus tenellis alteratis, & ex diverſa ſenſibili arietatione, in noſtræ Machinæ diverſa loca ſolida, tempeſtates illas præſagientia.

Venti, ſunt impetuoſæ Aeris agitationes, ex diverſis oris diverſa corpora advehentes. Hæ agitationes quam proximè ad effervescentiam accedentes, non aliundè videntur ortum ſumpſiſſe, quam ex violenta plurium corporum diverſæ figuræ reactione ignea, ubi in ſummam colliſionem & frictionem ſuarum partium tranſire coguntur. Illud videtur manifeſtari, ex Nubium denſiorum rupturis & motibus, ex Terræ interioris humidis ſalinis vaporibus reſolutis, ac in aera ſeſe diffundentibus per majores ſuperficiei illius hiatus, & ex terræ motibus violentis, ubi incluſæ rarefactiones ventiformes, horrida concuſſione terram quatiunt, cum ſonoris murmuribus. Eadem ſeſe offerunt in ructibus & flatibus, ex vario motu inteſtino prorumpentibus in noſtri Corporis humoribus turbatis.

Hi Venti ex remotioribus locis proſilientes, ſecum vehunt effluvia ibidem enata. Hæc partim in locum aliorum expulſorum ſuccedentia, viciſſitudines inferunt plurimas, reſpectu miſcelæ & mutationis, quas ſubire coactæ fuere hæ aliunde allatæ moleculæ, cum obſtantibus aliorum corporum catervis ac hiſce illi Regioni conſuetis exhalationibus. Conflictus varius inde ortus, novas excitat rerum facies, tandemque cudit, ex unitis corpuſculis, novas fabricas, novis actionibus correſpondentes. Effecta Caloris & Frigoris hiſce luctuoſis miſcelis, unice

deben-

debentur, quatenus inconſuetis modis humores nervoſumque genus noſtrum percellunt, pluribuſque modis diſponunt ad motuum modificationes vix enumerandas. Illud demonſtrant effervescentiæ liquorum ſalinorum, nunc calidæ nunc frigidæ, ſemper tamen ventoſæ.

Ventis proprium eſt, ſtagnationem Aeris præcavere. Aer & aqua in eo conveniunt, relatione habita ad utriuſque partes contentas, quod mediante motu valido, à ſuis excrementitiis & oneroſis limis purgari debeant, aliàs motus inteſtinos concipere coguntur putridos. Ex putredine, acrium particularum origo, quarum malignæ actiones nimium cognitæ, in luctuoſis ſeſe manifeſtant corporum ſtragibus peſtiferis. Calor, quietis humidis particulis junctus, corporibus ſalino-terreſtribus communicatus, non poteſt non contexere formas aculeatas, cuſpidatas, uncinatas, ſerratas, uno verbo ab omni parte aſperas & acutas, læſioni violentæ idoneas. Hæ peſſimæ generationes, quieto in aere, Rore acri referto, copioſiſſimæ perſiſterent, ſi malignæ illæ coalitiones, ſufficientem temporis moram obtinerent ſua ſtamina contexendi & adaptandi, ut videmus in locis udis & paluſtribus, in ſtagnatione humorum putreſcentium in noſtra Machina in Vermibus & Infectis.

Effluvia aerem replentia, ſunt conſueta illorum locorum vegetantia corpora, ſuo ingreſſu & egreſſu, Vegetabilium & Animalium, illic loci degentium, humores diſponentia ad ſpecificas ſuſtentationes & generationes. Hinc Telluris ex varietate, prodeunt mutabiles corporum figuræ, ſcenam Mundi ornantes, quibus corpu-

ſculis naturalibus deficientibus, illæ pereunt, aut ſaltem plurima ſtrage afficiuntur. Quod patet, ubi ex ſtagnatione partium, figuræ & moles debitæ abolentur, aliæque violento modo inducuntur pernicioſæ illi Regioni. Hæc videntur, Ætherem familiarem & peregrinum Carteſianorum conſtituere, quamvis reverà nil minus quam Ætherem referant: Hæc præbent, florum & fructuum, tempore diverſo creſcentium, cauſas & pabula, ubi hiantibus ſuis oſculis avidè auram recipiunt Æthream dictam, circum folia, flores, cortices, ambientem. Exinde Sanitatis & Morbi, varii naſcuntur gradus, prout hæc magis minuſve convenire videntur noſtris poris. Imò indè motuum morboſorum hiſtoriæ propullulant, unoquoque fere Anno, in his aut illis accidentiis variantes. Tandem hinc deducenda venit, montanorum, vallium, planitierum, terreſtrium, maritimorum, fluminum, paluſtrium locorum diſcrepantia, quoniam in omnibus his halitus vaporoſi, miaſmata, & moleculæ inſigniter variant, ac per conſequens Incolas afficiunt.

Ex hiſce patet, hæc ſublimia eſſe unà cum inferioribus, ſecundum illud Hermetis effatum quod eſt ſuperius, eſt ſicut id quod eſt inferius. Saltem in Medicam, non alio modo incidunt doctrinam, niſi ratione habita ad corporeas concreſcentias, æque in minimis quam in maximis notabiles, ſuas formas & actiones offerentes, noſtræ aliiſque Machinis. Quæ inſenſibili modo nos afficiunt, ea vix Medicorum curæ ſubjiciuntur: adeoque Ætherem, Globulos luminoſos dictos, & Aerem, puriora & ſimpliciora velle inquirere, Medicorum eſſet inſania. Tem-

pus

pus enim terendo, & ſublimiora petendo, ea quæ eſſent ſummæ utilitatis negligerent. Contemplari & agere profectò nimis diſtant, ſic Medicus diſcedit à mero Philoſopho, ut ipſi ſuas relinquat Chimæras, in proprio cerebro effictas, tranſiens ad egregia Naturæ effecta, in Praxin veram redigenda.

Hæc ex Aere depoſita corpora, motus excitant inteſtinos. Motuum inteſtinorum, exordia, ab irregularium corporum, ſe mutuò penetrantium, miſcela & arietatione naſcuntur. Corpora ſunt diverſa, per conſequens, relatione ad ſe invicem, irregularia, per Aerem ſparſa, eaque ſunt ſalina, & hac ratione penetrantia, in poros aliorum corporum illis convenientium. Non conceditur ulla penetratio unius in aliud, quin ſimul ſuccedat expulſio diverſorum corporum ibidem ante hac nidulantium. Hæc expulſionis effecta quam primum apparent, ſtatim concuſſiones oriuntur, in vicinis, tandemque in remotis locis, unde omnia latera commoveri neceſſe eſt, ventiformi & ſalina partium agitatione. Hæc ubique occurrunt, in alterationibus, corruptionibus & generationibus corporum, per varium acceſſum & receſſum ſuperficierum, ſe mutuò tangentium & prementium, æque in Machina noſtra, quam in aliis fluidis,

Motus inteſtini, certas obtinent leges, à principio, per media, ad fines ubi pergunt neceſſarios. Hi fines, ſunt tendentiæ mechanicæ, quibus formæ rerum elaborantur, ſuis extenſionum terminis limitatæ. Quicunque igitur illos confundunt motus, & Naturam & Medicinam

ſe ignorare liberrimè profitentur, cum nihil æquè diſtinguendum veniat, in Morbis, in Sanitate, in Medicamentis, in vegetatione, in corruptione, in alimentis, in venenis, in fermentis.

Abſque aeris commercio, nullus motus inteſtinus. Quamdiu enim corpora ab Aere libera, tamdiu ab ejus influxu immunia exiſtunt. Eius influxus, eſt communicatio hæterogeneorum, aut ſaltem diſcrepantium corpuſculorum. Hæc per obſtantes corporum catervas acie ſalina viam parant, ac internis fluidis ſalibus ſeſe intermiſcent; poſtmodumque expanſiones materiæ terreſtri adducunt, unde ab omni parte preſſæ, circumrotione valida ſe mutuò fricant, atterunt, concutiunt, decutiunt, donec exinde lucta illa ceſſante novæ oboriantur partium coordinationes. Si aerem auxiliatricem non amplius obtineant, ceſſat impetus & vigor actionis, quoniam ceſſant influentiæ ſpirituoſæ ſalium, fervorem illum promoventium, non quoniam motus minor aut major adeſt. Hoc demonſtrant Antliæ pneumaticæ, Hermeticæ ſigillationes, & repletiones vaſorum, ut & olei ſuperfuſiones. Hiſce enim modis non merus Aeris niſus, ut Philoſophi vulgares dicunt, ſed illarum particularum ſalino-terreſtrium, Aeris regionem occupantium, influxus prohibetur, ne ad miſcelam violentam cum aliis fluidis tendat. Hinc humidior Aer, maximè idoneus illis motibus inteſtinis. Salia enim in eo maximè ſaliunt, id eſt, ad fluorem evehuntur, terraſque molliores inde redditas, ab omni parte conquaſſant. Prout idem cernere licet in fluidis, quantò magis

aqueis,

aqueis, tantò magis pronis ad illa bella inteſtina. Ideoque tempeſtates calido-humidæ, ſunt veræ & unicæ promotrices motuum inteſtinorum, & per conſequens generationis æquè ac corruptionis fertiliſſimi ſunt Authores.

Finis motus inteſtini, maximopere à prioris cauſæ directione dependet. In hiſce multum contribuere poſſunt, diverſitates texturarum illos motus admittentium aut impedientium. Nam requiritur diſpoſitio ad reactionem quam ſi non admittant, impunè tranſit corpus agens in alijs non in his. Sic peſtis datur Hominum, bruta non attingens, & ex contrario Bruta inficit hæc materia, quæ hominibus nullam infert noxam. Corpora agentia, non conveniunt cum effectis actionis corporeæ, niſi in minimis partibus. Semper tamen, aliquas ad illam molem & figuram diſponent particulas, illi actioni propagandæ idoneas. Præcipuus autem ſcopus, alteratio eſt totius corporis motu inteſtino laborantis, ad aliam ſuæ fluiditatis & ſoliditatis conſtructionem mechanicam. Quemadmodum ergo, ſemina in vegetabilibus, ſemen in Homine, minimam efformat molem reſpectu cæterarum partium, ſic etiam illa mobili prolificationi deſtinata corpora, exiguam complent portionem, reſpectu reliquorum. Eorum autem vis, Aere adjuta, in immenſum accreſcit, ſufficitque motui illi diſpergendo per totam maſſam, modo vires eundo acquirere poſſit, compilatione ſalium internorum ſub jugum mittendorum.

Reliqua effecta, putà emergenter colores, odores, ſapores, variique luſus Naturæ corporeæ, ab hiſce derivatur. Ipſe ignis terreſtris,

huic

huic aereo, non Æthereo motui, ſuas debet exaltationes, reſpectu humidi ad fluorem & ventoſitatem evecti, ſalia terraſque leviſſimas ſurſum ferentis & propellentis. Hoc demonſtrant ignes, in ollis clauſis detenti, in quas Ætheri & Aeri tenuiſſimo quidem, ſed non ejus humido patet ingreſſus ſtatim exſtincti. Idem obſervatur in inflammationibus cutis, per aeris excluſionem mitigatis, ut & in Morbis ardentibus, aere refrigerato & condenſato, vel humoribus incraſſatis aeris injurias arcentibus ſublatis.

Salia, commercio perpetuo, quantum in ſe eſt, Ætheris & Aeris fruuntur. Ignes, materiam combuſtibilem obtinentes, eandem amiſiſſe videntur, quam primum ſalibus deſtituta ſeſe ſiſtit terra, quamvis leviſſima. Hoc patet, in ligno putrido, in fuligine, in cineribus, in calce, & ſimilibus ſale interno privatis. Inflammationes igneæ, in noſtra machina nullæ conſpiciuntur, poſtquam ad vappeſcentiam pervenerint humores aqueo-terreſtres, ubi fugata ſalia, illud nobile effectum Lucis ſecum ſuſtulere. Calor igitur, eſt fluor ſubtiliſſimorum ſalium Æthere cinctorum, quorum ope reliqua corpora motum maximè ſenſibilem, nempe frictionem attritionemque concipiunt. Lux ſeu lumen, ex ipſis procedit complanatis & lævigatis terræ ſuperficieculis, inſtar ſpeculorum reflectentibus ac repercutientibus, radios Æthereos per aera ſparſos, à Solis materia, nobis adhuc ignota, emiſſos, cum vibratione admiranda, in quaſcunque Aeris regiones ſeſe diffundentes. Abſque dubio, hæ luminoſæ partes mul-

multum adjumenti acquirunt, ex aqueis expansis superficiebus, undulatione egregia hasce irradiationes, valde extendentibus, ut patet in repercussione luminis aucti ad remotissima loca, mediantibus speculis & mediantibus aquis. Hæ incidentiæ refractoriæ, ubi in unam conspirant radiationem, calorem & lucem valdoperè promovent, quoniam concentrari, id est, aggregari videntur illi radii, unitis viribus in motum salinum conspirantes; quod patet in refractione Nubium ad certa loca, in repercussione Solis ad montes & parietes. Salium eum esse motum, dignoscimus ex ipsis corpusculis eo tempore agitatis, semper valde salinis & oleosis, ut & ex Morbis acutis, nostros humores salinos pro causa primaria & procatarctica agnoscentibus.

Hisce non contrariantur, calores inducti ex mera duriorum corporum attritione valida, & ex ignea scintillatione silicum à Chalibe percussorum. Nam eadem est ratio, illorum motuum corporeorum, ad illa phænomena pervenientium, quæ in aliis, nec opus est tam subtili argumentatione Philosophica, de admissione solius Ætheris, &c. In iis enim, adsunt salia, latitantia in sumlphureis & densis terræ repagulis, quæ mediante vehementi superficierum concussione & decussione inde subsequente, ea fluida in capsulis illis antehac retenta & incluſa dimittunt, fortiori circumrotatione, in Aerem ubi exploduntur, explanata; in suis sphæricis superficieculis, specula circulantia repræsentantibus. Illud evincit, eorum corporum analysis Chimica, ubi Pyrites Silex sulphur salinum edit,

ferrum

ferrum ſeu Chalibs in igne ſcintillat. Illud manifeſtat, odor & ſapor ſalino-ſulphureus iſtorum corporum, poſt illam lævigationem proſiliens. Ulterius hæc comprobant, effluvia copioſiſſima, mediante ſola frictione ex corporibus etiam duriſſimis emanantia, quæ alias quieta, inodora, inſipida exiſtebant. Tandem actionum exindè per exhalationem meram reſultantium turba, cum enervatione reliquarum craſſiorum partium, pulveris ſub forma remanentium, illud ad umbilicum perficere videtur argumentum. Quæ ulterius proſequi poſſem, per igneos & ſalinos motus hiſce jungendos, ſed ſufficiet ea nullibi in Natura occurrere ignea effecta, ubi ſalium abſentia manifeſta datur, tam interna quam externa.

Salia ſui juris facta, tunc dicuntur, ubi extricata ex terræ carceribus, impune Aerem & Ætherem hauriunt. Aqua humido aeris repleta & cincta, dividere puncta rigida, eaque, ratione illius ſubdiviſionis, ad minus feroces & igneas actiones poteſt deducere, neutiquam autem motum illorum prohibere, quod patet in vegetatione & generatione corporum, ut & in eorum nutritione. Sed terræ, in ſuis cryptis denſioribus, illudendo aeris miſcelam, tollunt reactionem, neceſſariò ex illo influxu oriundam. Hinc parum ſollicitus eſt Medicus de omnibus internè contentis liquidis ſalibus, modo noſcat contextum illius terræ integrum remanſurum, in ipſis minoribus ſubdiviſionibus per motus propulſivos faciendis. Externam enim reſpicit permanentem figuræ conſtantiam, actionum futurarum abſolutam cauſam, quamdiu non extrà

illius

illius deſcriptionis mechanicæ leges, violentas per actiones inteſtinas, aut per vaſculorum rupturas abeunt, ut patet in plurimis ſalutaribus & innoxiis Medicamentis in ſua nativa forma, lethalibus & noxiis per artem factis.

Salia per aerem & aquam incitata, in anguſtiis preſſa, fluorem acquirunt Æthereum. Hic fluor eſt igneus, oriturque ab intumeſcentia terreni nexus, inflatione ventiformis illius materiæ incluſæ hanc cauſante. Hic motus tamdiu perſeverat, à principio ad finem, quamdiu illa ſubſiſtit cohæſio tumida, cum intercluſa aqua ſalina rarefacta. Ubi verò hic tollitur nexus ceſſant etiam effecta ignea.

Mollities terræ & flexibilitas aquæ, pro maximam parte pereunt in earum diſtenſione ultima. Terra molles acquirit proprietate per aquam, ut patet in mucagine, gelatina, viſciditate, & plurimis vegetationis effectis, ubi copioſiſſimus conceditur aquis ingreſſus, in illas ad longum ductas partes craſſas. Sed hæc proprietas diminuitur, acceſſu partium ſalinarum, haſce terras, à conſortio intimo aquæ diſtrahentium, quemadmodum in motibus fit inteſtinis & igneis, quamvis aqueum vehiculum agnoſcentibus. Eadem ad rigiditatem pergit, ubi aquæ ipſæ, non amplius externas, ſed tantum internas, occupare coguntur ſuperficies, nam cavitates illas replendo, & motu ventiformi, illas quantum poſſibile dilatando, externas ſuperficies magis ſolidas & duras reddunt, majuſque ſpatium replere cogunt. Hinc preſſiones violentæ in omnia latera Viarum quæ ubi non amplius diſtendere poſſunt, in ſe invicem adiguntur, mutuam in ruinam

nam conſpirantia corpora, deterendo, decutiendo, abradendo proximas corpuſculorum, bullæ inſtar inflatorum, ſuperficies, unde ardor ſummo cum motu continuatur. Ceſſant autem hæc effecta, diſruptis illis ſuperficietenus copulatis bullulis, aqua & ſalia dimittentibus. Hæc in Medicis apparent auxiliis, ubi partes quamdiu inflammatæ & diſtenſæ ſunt, tamdiu dolorificæ exiſtunt, ſtatim vero ubi detumeſcunt, ardor & dolor ceſſante, reſtante ſæpius vappida aqua, frigidiores reddente partes, Materiæ igitur ſubtilis invocationes non tantæ ſunt, ut locum primum in talibus ſibi vindicent, nam tanta ſæpius adeſt aquæ copia, ut illam extinguere poſſet, excepta parte illa exteriori, quæ non aliundè acquirit agendi efficaciam, niſi ab illa expanſione rigidiori. Illud probat punctura acus, in partibus inflammatis, ventoſitatem quandam efflantibus, cum ſubſidentia & mitigatione effectuum. Veſicatoria idem denunciant, ubi rupta vaſcula copiam limphæ acris præbent. Cataplaſmata, Emplaſtra, lintea ſicca applicata idem arguunt, liquidum nempè aqueo-ſalinum, ibidem contentum, quod & materiam puris ſuppeditat in Abſceſſibus, & aquam fætidam in Gangrena & Sphacelo.

Corpora qua mobilia, ſunt ſalina & aquea, id eſt, ſpirituoſa. Terra enim eſt immobilis, ſed formam præbet, pro tempore, quietam, ideoque ab ea nullus motus exſpectandus: Salia ſunt puncta, per commercium Ætheris & Aeris armata ad expeditiones igneas, quæ moderatæ per aquas, fluidi & ſolidi corporis formam induunt, omnia mundana complentem. Quo igitur fluidiora

diora èxiſtunt corpora, eo ſpirituoſiora, & per conſequens magis ſalina, cæteris nempè paribus, id eſt, relatione habita ad ipſam terreſtrem materiam. Quo fluidiora eo magis impetuoſa, ab aereæ miſcelæ copia, motum illum adjuvante, ut patet in ſpiritibus animalibus & halitibus ſpirituoſis. Diſpoſitio autem terræ, hic plurimum confert, nam ejus figura copulat aut disjungit ſpicula, & aquas, prout & calor externus vel frigus, haud mediocriter conducunt hiſce conformationibus in actum promovendis.

Sal terræ gravi & levi intimius junctus, graviſſime operator, in omnibus motuum Phænomenis. Non autem hic ſubintelligimus aquæ excluſionem, ſed ejus prædominium nullum ſtatuimus. Hoc in bile, oleis, ſolutionibus Metalorum & mineralium, tincturis, floribus, aliiſque innumeris patet; ut in Morbis ardentibus, Aphthis, corroſivis humoribus & malignis, per violentas ſuas actiones, in reliqua obvia. Exinde etiam motuum inteſtinorum ferociores ſubſiſtunt promotiones, in Fermentis, ſalinis acidis, oleis craſſis, calſibus ſalinis, aere contagioſo, contagioſis corporum effluviis, utpotè à ſale acri, terræ rigidæ aſſociato, ortum ſumentibus.

Terræ, motuum inteſtinorum ſunt Modificatores & directores præcipui. Modificatio à figura dependet. Figuratio à diſponente terra. Directio à penetrandi modo deſumitur, ubi nempè hujus corporis ingreſſus acquiritur, corpus excipiens aut liberè aut violenter illum permittit. Si liberè, dicitur motus naturalis & inſenſibilis,

quo-

quoniam interſtitia jam ſunt apta nata recipiendæ illi materiæ impulſæ, prout humores in noſtris vaſis debitè conformatis. Si violenter illud fiat, latera vaſorum arietatione illa læſionem ineunt ſenſibilem, hæc læſio eſt diſcontinuatio, modi autem illius diſcontinuationis admittuntur ſecundum impreſſionem illarum partium, ſuæ cùm figura externa procedentium, ut patet in inſtrumentis mechanicis.

Motus inteſtini duas habent tendentias, abolitionem priſtinæ figuræ per decuſſiones ſolidorum, inductionem novæ figuræ per adaptationem fluidorum. Primum effectum potiſſimè ſeſe manifeſtat, in fæcibus craſſioribus, in turbatione liquoris, & in mera depoſitione terræ abraſæ, quæ ſemper concomitantur motus inteſtinos actu exiſtentes. Secundum optimè prodit, poſtquam halitus plurimi invaluerint, & tandem ubi ſedatio illius motus conſpicitur, ſpirituoſum liquorem exhibens limpidiorem. Hæc effecta, indeſinenter per totum vitæ curriculum, in noſtra machina contingunt & continuantur, in alimentatione & ſeceſſu humorum. Ex fluidioribus autem productis actiones vitales emergunt, ex ſolidioribus fiunt depurationes & partium nutritiones neceſſariæ.

Fluida poſſunt fieri ſolida, & ſolida in liquamen fluidum reducibilia ſunt. Hinc omnia fluida ſunt minutiſſima ſolida, ſeu exiſtunt texturæ ſolidæ, æquè in minimis quam in maximis corporum molibus. Independentia igitur ſi tollatur, aeriſque ſalini impetus ſi prohibeatur, approximatio conceditur partium, ad lentorem primò, dein ad craſſitiem ſolidam pertingentium.

Ut

Ut patet, in pituita viſcida, in ſcirrho, in Calculo & obſtructionibus pertinacibus, ex fluido humore ortis. Sublato autem nexu arcto, poroſiori reddito corpore, Spirituum acceſſu, Ætheris influxu celeriori permiſſo, à ſe mutuò divulſæ ſuperficies, viciniæ mutationibus magis obnoxiæ evadunt, tandemque per circumrotationes aptam fluiditati figuram acquirunt. In utriſque, mutatio ſolidæ cohærentis figuræ, alterationum, Morborum & Mortis eſt unica cauſa.

Motuum inteſtinorum differentiæ, patent ex fine eorum. Finis eſt ultimum effectum, conſiſtens in determinatione nexus, ſitus & ordinis ſuperficierum, quietam pro tempore coordinationem ineuntium. Hæc quies, illi motui ſpecialiter dicata, relationem ſuam habet ad aliqua, non omnia corpora. Illa, ex receſſu fæcum acquiſito, & ex fluido-ſolidarum partium minimarum convenientia ortum ſumit, ubi poroſiorem ſtatum æqualem inivere corpuſcula ſalino-aqueo-terreſtria. Varietas illorum motuum, leviter tantum in aliquibus, in ſuis cauſis actionibus, & finibus cognita, non vero hucuſque perſpecta eſt. Illa tamen inquiſitionem ſedulam meretur, ut viam ſternamus magis diſtinctam & claram Praxi inſtituendæ, in morboſis & medicamentoſis effectis rite perſcrutandis. In hac autem parte, quam maximè peccarunt Phyſici, omnes illos motus ad generalem notionem ſuam revocantes.

THEORIA HOMINIS.

ORdo nunc expoſceret, ut motuum corporeorum hiſtoriam proſequeremur, eorumque viciſſitudines, egregias formæ mutationes proferentes, ſed hæc in Chymiæ deſcriptione, præſertim in ejus nobilitate & utilitate, tradidi, quæ ut credo ſufficient lectoribus curioſis. Haſce autem motuum leges & apparentias, nunc reſtringere animus eſt ad Machinam humanam ejuſque œconomiam, ut omne tollatur dubium iis, quibus detrectandi acris animus adhuc alto in pectore hæret, ac ut aliis cordatioribus Viris ſtimulus detur, hæc leviter à me exarata, ulterius proſequi, tandem exactius ad umbilicum perducenda; in majorem Medicorum honorem, & Ægrorum ſalutem, Galenicorum, Medicaſtrorum, Empyricorumque confuſionem. Quod ut bene vertat, Faxit Deus ter Optimus Maximus, in cujus Gloriam hæc ut cedant, ſupplex rogo, oro, precor.

Ex humo ſeu terra Hominem effictum, nemo, ſacrarum literarum gnarus, homo negaverit. Hunc ex pulvere terreſtri productum, in terram reducem fore, eadem ſacra pronunciant Biblia hiſce verbis, *terra es, & in terram converteris*. Forma illius terræ, ornatum ſuum à ſupre-

ſupremo hujus Mundi Architecto, Deo nunquam non venerando, per excellentiam acquiſivit, poſtquam per gradus, Aquæ & terræ, in multifarios ſeceſſus & motus jam tranſiiſſent, in exquiſitiori forſan exaltatæ terræ parte, ſit conjecturæ venia, pro humanæ illius fabricæ conſtructione deſtinata, quod videntur innuere plurimi, ex Theologis non infimi Viri, ubi rubram illam fuiſſe terram conjiciunt, utpotè ab aliis vilioribus diſtinctam. Hæc in prima creatione, exquiſita miſcela & motu æquali inſtructa, cum reliquis luminoſis ſalinis & levioribus ſpirituoſis aquis, perennes abſolvebat curſuum periodos, non interrumpendas, niſi per acceſſum & ingreſſum, vetitarum ſeu hæterogenearum ipſi corpori partium. Hæ admiſſæ, quantas non ciere motuum inteſtinorum turbas lethiferas corpori, iiſdem nimium concuſſo. Mentis inſuper æquilibrium in cogitatione, ſublatum eodem tempore perfectionis functionis priſtinæ abſque dubio expers fiebat, quoniam eadem hucuſque, in plurimis corporum exceſſibus, occurrunt effecta. Prima igitur, à motus propulſivi æqualitate declinatio, motui violentiori inteſtino anſam præbuit, funeſto acceſſu alius corporis, illa malignitate præditi. Continuatio dein ſucceſſit illorum motuum, ex confuſione turbulenta partium & particularum mundanarum, ſe mutuò afficientium, diverſas in moles ac figuras redactarum & ulterius perpetuò reducendarum.

Motus omnes, quoniam definire nec deſcribere ulli conceſſum ſit, ideò generaliora motus ſpecimina proſequemur in hoc corpore humano,

ex ipſius œconomiæ propriæ legibus, præmiſſis ſequentibus non ſemel inculcandis obſervationibus, maximi ponderis in Phyſica corpuſculari, nunquam ab experientiæ fonte aberrante.

1. Motum eſſe ſemper corporeum, eumque conſiſtere in valida translocatione.

2. Hanc loci mutationem fieri, per & ſuper alia corpora, cum repletione quadam omnium cavitatum.

3. Corpora mota eſſe diverſa, tam conſtantia quam inconſtantia in ſua figura, & mole.

4. Ea relativè opus ſuum peragere, tam reſpectu ipſius motus permanentis, quam ejuſdem variantis in ſuis effectis reciprocis.

5. Omnes corporum mutationes exinde dependere, nunquam autem per ſe, vel aliqua propria facultate, illas alterationes poſſe acquirere.

6. Effecta ultima motus corporei, prioribus comparata, unum agnoſcere quidem principium, ſed media admodum diuerſa, unde omnes creantur diſtinctiones, admodum perpendendæ in Naturæ inveſtigatione.

Machinam noſtram moveri & affici, omnes obſervant, ejuſque commercium nobile cum reliquis corporibus mundanis ſemper occurrit, illius inſuper debilitas, acceſſus & receſſus partium, in conſtantiam in omnibus accidentiis coarguunt. Unde hujus motus, unus idemque eſſe debet cum reliquis, ejuſque differentiæ inſignes, non aliundè accerſendæ, niſi ab iiſdem cauſis à quibus res mundanæ omnes hauriuntur. Prout autem Natura motus circumſcribi-

tur,

tur, certis, id eſt limitatis, alius corporis ſolidi terminis, in quibus exercitii ſui leges repperit, relationem habentes ad occurrentium ibidem corporum catervas, in tantum diſtinguitur actio hujns ab alio motu, in hac machina ab omnibus brutis, vegetabilibus & mineralibus diſtincta. Hi motus igitur lege Naturæ procedunt, tantummodo relatiuè ad hanc machinam, quamdiu nulla inſignior obſervatur violentia, conformationem illius turbans; præternaturales autem vocantur, ubi limites illi perfriguntur, ſolutioneſque continui adſunt cum inverſione figuræ. Hinc Sanitas eſt, conſtans ille motus, machinæ humanæ legibus obtemperans, Morbus, inconſtans exiſtit motus, legibus illi ſolutus.

Verum quoniam diverſa in motu verſantur corpora impoſſibile eſſet ruinam machinæ excipientis præcavere, ni in promptu adeſſent aliqua corpuſcula, illi machinæ propria, quæ ſua miſcela & occurſu, ſubvenire poſſent læſioni figuræ debitæ. Hæc tantæ debent eſſe exilitatis & ſoſolubilitatis, ut extempore ſeſe inſinuare poſſint præterfluentibus aut illuc appellentibus particuſis, ſic enim declinatio actu ipſo præcavetur, ne devios in tramites figura & actio procedant, eſtque tanquam medela perpetua oppoſita motibus inteſtinis & violentiis. Inſuper ob rigidorum corporum inſultus maximè ſuſpiciendos, mollia, flexibiliaque eſſe ea convenit, quibus hæc cura incumbit, textura leviſſima ramoſa nobilitata, ut ſimul ac ſemel blandas conſtituant vaginulas aciei illi obtundendæ, & aqueis vehiculis ad ſpiritualem fluorem evehendis, quod

utrumque competit oleosis subtilioribus terris. Particulæ hæ, directores modificatoresque corporum dici queunt, utpotè quarum auxiliis, unitates actionum & figurarum conservantur, quibus deficientibus, confusio omnis locum capessit, cum œconomiæ totius sublatione.

Diversitas partium in ipsa machina, non unis obedientium figuris corporeis, necessariò requirit distinctas etiam moles ac moleculas motas, appropriandas singulis illis distributionibus pororum, vasorum, canalium, majorum minorum, minimorum, ut sartum tectum ab omni parte perstet corpus humanum, in sua vegetatione. Hæc distributio dicitur alimentatio, quæ extraneis absolvitur corpusculis, ut fugæ aliarum partium, per motum abrasarum compensatio fiat. Extranea illa, antequam machinæ œconomiam subeant absque turbis, resolvi, attenuari, in fluorem reduci necesse habent, ut molliora facta absque violentia ulterius procedere queant ad interiora machinæ.

Huic operationi, immediatè adjungitur miscela modificans, ut in principio, & quasi à teneris, illis legibus assuescant. Horum modificantium duplices existunt functiones, fluidius nempe corpus alibile reddere, motum accelerando, & crassiores segregare partes inutiles. Talibus universa absoluitur vita, non intermissis hisce actionibus conspicua, singulis attamen in locis & loculis circumseptis, ab aliis nempe separatis per aliqua propria involucra, nativæ seu propriæ quasi illæ moderationes observabiles occurrunt, facultatum nomine delineatæ à Medicis, ut non solum iis partibus, sed universæ machi-

chinæ ſuppetias ſuas afferre poſſint, ex tot elaboratoriis, proprias veluti cauſas formas materiæ motæ exhibentes. Singulas igitur haſce internas operas nunc proſequemur, ut ordine ipſam ſcientiam medicam perpendamus.

Generatio hominis ex copula Maris & Fæminæ, requirit liquorem compoſitum, ſpirituoſum, balſamicum. Compoſitio, ex miſcela utriuſque ſeminis reſultat, in coitu prurientium vaſculorum ſeminalium, in certum alveum infuſa & congeſta. Hic alveus, eſt cavitas recipiens & poſtmodum fovens fætum, uterus dictus Mulierum. Hæc compoſitio exactior, ex duobus unum format liquidum, cujus proprietates multum differunt, à ſingulis decompoſitis, procedens ſua nova cum figura ad actionem novam, quam vocamus imprægnationem.

Hæc imprægnatio, eſt penetratio unius corporis in aliud. Spirituoſitas ergo ſalina, adeſſe debet illi ſemini, vaſcula quædam ſubeunti, ibidemque motum fluidiorem, lentioribus contentis humidis inducenti. Hæc, frictione celeri calidoque corporum exercitio acquiritur, ſalia enim hoc motu fluorem egregium acquirunt, ſuoſque carceres diſtendunt, ventiformes expanſiones ſibi vendicant, Aeriſque excellentiſſimo commercio nobilitantur, prout in motibus fortioribus fieri tradidimus. Spirituoſior reddita materia, vires eundo acquirit, auxiliantibus nervis, vividàque ſpirituum animalium irradiatione, ſeſe illis ſubtiliatis particulis adjungentium, unde quaquaverſum corpus percellunt. Loca autem quæ præcipuè ab iſtis petuntur, ſunt Uterus, Tuba fallopiana & ovarium. Corpus vero, ſpe-

cialiter huic fætificationi deſtinatum. eſt ovum ſeu ovulum, altius penetrandum & ab omni parte interiori commovendum. Hæc ovula, motum blandum inteſtinum concipientia, ſuas interiores, jam præexiſtentes, rudiores tamen, fætus futuri delineationes expandunt, quoad vaſcula tenella, fluidaſque magis tenues efficiunt, preſſioni & circumrotationi poſthac aptiores, unde principium Vitæ elucet.

Hæc ſpiritualis compoſitio, non admodum eminentia offerre debet ſpicula, alias læſionem illatura, ideoquè nimia efferveſcentia generationi contraria eſſet, quod patet in nimium ſalacibus. Balſamicæ molles oleoſæ partes, huic ſuccurrentes malo adſunt, ut ſimul cumæ penetratione blanda ſpecies alimènti concederetur, illis excitatis ad motum partibus. Ex hiſce, pleræque derivantur modificationes fætuum, characterum quaſi ſuorum impreſſionem inde agnoſcentes, reſpectu coloris, diſpoſitionis, reliquorumque accidentium corporeorum. Prodiens hac via primum Embrionis rudimentum, illud ulteriori indiget vegetatione, quam ab inſinuantium fluidorum exactiori miſcela acquirere pergit.

Hoc ovum aſſurgens, ſpatia majora petit, ſed ob tenellam interni fætus ſtructuram, fluidis innatare cogitur. Fluida hæc partim in ejus alimentum tranſeunt partim duplici membrana, Amnio nempe & Chorio, dicta, contra omnes externas defenditur injurias. Huic, pro communicatione alibilis ſubſtantiæ, vaſa Matri annexa adjunguntur, unde, tanquam per proprios rivulos, liquida ſuppeditantur alimenta, per umbili-

bilicum influentia . Os forſan, aura tenuior ſeviter ſubingrediens, ſufficit irrigationi & nutritioni roridæ illorum locorum , ut videmus in plantis, roriferum ſuccum, in mollem nutritionem tenellorum florum & foliorum convertentibus .

Ovum immediatè expergefactum ad fætificationem , lineamenta profert ſuo modo figurata ac ulterius figuranda . Figura hæc, quamvis in principio , aliquibus in notis differat à ſequentibus conformationibus , attamen hæc aptitudo, naturales illas ineundi figuras nunc adeſt, illaque ex levi fibroſa texturæ alteratione producitur . Sin vero complicata maneat , quaſi concreta maſſa , abſque ſeceſſu primæ coalitæ figuræ , moiæ producuntur , informes nempe carneæ maſſæ dictæ ; ſin ordo illius ſeparationis invertatur , figuræque delineatæ variis modis alterationes magnas ſubeant , perſtante vegetatione monſtra naſcuntur , prout etiam ubi perverſa adeſt uterinæ cavitatis anguſtioris & durioris conformatio .

Ovi prior eſt imprægnatio , ipſius autem materni humoris ingentem alterationem cernimus, ſeſe manifeſtantem poſtea in mammillarum ſeu vaſorum galactiferorum , apertura & functionibus , ac in plurimis aliis reactionibus à priſtino virgineo ſtatu differentibus Mutatio limphæ, requiſitum eſt neceſſarium , ut illa vaſa non ſolum referentur , ſed ulterius ad haſce vel illas elaborationes diſponantur , ex reactione earum particularum cum limpha vel Chylo .

Lac in illis vaſis elaboratum , non magis eſt Chylus , quam bilis , ſemen , urina , ac reli-

qui

qui humores, non ſeparati, ſed de novo producti, ex reliqua humorum maſſa. Lactis ortus & actiones illud evincunt, nam oritur ex illa reactione coitus, ſucceſſivè illa vaſa diſponentis ad hanc elaborationem, ejuſque fluiditas, ad acidum converſio, & ſapor manifeſtè diſtant a ſe invicem. Hiſce non obſtant Virgines lactiferæ, ab hiſtoriarum medicarum Scriptoribus, in medium productæ, nec Marium rariores lactiferæ mammillæ, nam hæ inter malas vaſorum conformationes ſunt referendæ, in quibus nimis turgidula vaſa ſerum album præbent, in aliis læſiones internæ, ubi pus lacteum effluit. Hoc enim neceſſariò contingere debet, in talibus locis, ubi diſpoſitio hæc naturaliter adeſt vehendi tale ſerum, facilè ad talem albedinem pervehendum, æque in Viris quam in Fæminis, prout ſæpiſſimè in praxi occurrere ſolet in mammarum vitiis. Sed hæc multis modis differunt, tam in copia, quam in reliquis requiſitis, ſi ritè hæc inquirat Medicus. Eodem igitur liquore, lac continuatur elaborari, ſenſim ubi mammarum vaſa fuerint conſtructa, per alluentes particulas illac fortius arietantes, donec & vaſcula reſpondeant dilatata, & humor ibidem collectus fuerit illi modificationi aptus, ut poſthac patebit, prout omnes alii liquores in corpore noſtro geniti aut generandi.

Plurima inſuper redarguunt humorum maternorum alterationes, quas cernere licet in alimentorum faſtidio, appetentia non alibilium, & reactione morboſa exinde reſultante, ac ſtatim ceſſante poſt fœtus excluſionem: ut & in remediorum perverſa, imo ſæpius contraria, actione,

ne, quam nec ante nec poſt paſſa fuerat.

Excluſio Fætus, fit per motum inteſtinum humorum, nimiamque vaſorum dilatationem. Motus ille ad acredinem perducitur, adeoque ipſa perrumpere cogitur vaſa attritione & roſione continua; dilatatio, illa reddit teneriora vaſa, illi motui minus reſiſtentia. Hinc irritamina Fœtui accedunt, quos ſtimulos ab ipſo fœtu grandiori deducere, non videtur rationi conſentaneum, ſed inconvenientia alibilis humoris, vaſorum ambientium tenera ſtructura, & nervorum motus major, hoſce proferunt conatus naturali excluſioni neceſſarios.

Partus differentiæ, ab ipſo uteris ſitu, ſeri glabri copia, & ſpirituum copia varia dependet. Uteri fundatio, ad ipſius Fœtus bonam aut perverſam conſtitutionem facit, in quantum relationem obtinet ad vaginam ſeu collum uteri, unde reſultat ejus niſus irritas aut bonus, producens partum difficilem aut facilem. Serum glabia ſua mollitie, lubricam reddit viam, ipſas fibras extenſioni magnæ aptiſſimas efficit, quæ alias rigidæ nimiſque duræ exiſterent, rupturam potius quam expanſion m permittentes, Spiritus animales requiruntur copioſi, ut muſculis, tendinibus, ligamentis, & ſimilibus major concedatur preſſio ac propulſio efficax ad fœtum enitendum. Spiritus enim, pleriſque actionibus ſupplementum virium extremum addunt, cujus ope effecta ultimum ſuum ac primum ſortiuntur finem, æque in his quam in aliis Machinæ noſtræ actionibus. Hic Spirituum impetus non ſponte accerſitur, ſed ex violenta motus inteſtini humorum fœtum & uterum ambientium pro-

du-

ductione, & læsione illis vasis annexis superveniente, unde dolores ex sensatione tristi, naturales advocant Spirituum illorum accessus, nervosos per motus irradiantes. Aeris grave respirium, vasorumque violentior divisio, ejulatum Fætus expoſcit, ut ea ratione pressio æqualior succedat.

Fœtus in lucem excluſus, aere & alimentis indigni vivit. Pressio aeris, circularem, per diversos attamen vasorum ambitus, propulsionem humorum promovet ac sustentat, vasaque ipsa tumida permanere cogit, quæ alias ad subsidentiam cogerentur. Corpuscula ex Aere ibidem depoſita, salinum quam maximè adjuvant motum, eorumque actiones primario nervos respiciunt & ventriculum, ad motus nempe celeriores obtinendos, per omnes machinæ solido-fluidas partes. Verum quoniam hi salsuginea qualitate instructi motus, tantum respiciunt divisiones, sensus auctos, motusque inteſtinos magis quam propulsivos, ideo alimenta iisdem injuriis occurrentia mitigant feroces insultus læsionum, sensationes acutas, corruptelasque plenarias figuræ humanæ, quæ inevitabiles absque his essent, per jacturam ruinam necessariam.

Alimentum igitur primam meretur considerationem, quatenus nullo modo separabile à machina jam elaboratà ac in lucem producta. Fœtum ideò ex ptofesso hic, sed breviter præbere volui, ut de reliquis eò magis constaret. Assimilationis aptitudo ad corpus humanum, ejusque partes in fluidas balsamicas conversio, constituit primam alimenti naturam. Hæc proprie-

tas

tas nunquam conceditur toti fluido corpori, ſed tantum illi parti, quæ ſucci alibilis qualitatem acquirit, poſt motum inteſtinum & miſcelam in ore & ventriculo, ut & ſeceſſum in principio Inteſtinorum, tanquam continuatis viis ad id opus propriè deſtinatis. Hinc fluida alimenta, æque ac ſolida, eaſdem ſubeunt leges, excepta hiſce in locis, ibidemque pro tempore moram trahere coacta, quamvis approximationem maximam obtineant requiſitæ conſtitutionis alibilis, ut patet in lacte, juſculis, Emulſionibus & ſimilibus poſt aſſumptionem coagulantibus, reliquoſque motus inteſtinos neceſſarios incurrentibus. Unde nutritio per Cliſteres nulla, niſi quædam ventriculo ex illis locis particulæ communicentur, quæ modificationem inire poſſint alimentis naturalem. Exinde etiam, optimorum alimentorum perverſa reſultat figura, illa ubi fluida modificantia aberraverint à ſuo ſtatu, imo exindè delectus ciborum & phantaſiæ varietas naſcuntur, ex illo nempe concurſu & reactione corporum, illa loca nervos afficientium.

Rectores alibilis ſucci, in hiſce primis locis ſunt, primo ſaliva, tanquam limpha ſpumoſa, ſale muriatico tenui dotata. Hæc, non per maſticationem ſolam communicanda venit, quippe ea durioribus tantum competens, majorem ad partium alibilium ſubdiviſionem & miſcelam uberiorem ſalivæ, contractione & dilatatione partium oris, copioſius ex glandulis ſalivalibus exprimendæ, parum facit ad partium modificationem ſed potius ad fluiditatem generalem. Limpha magis tenuis, ſecundum hic locum obtinet, ad ſpiritualiorem ſucci alibilis generationem,

quæ

quæ ex nervorum tenerrimis fibris ſtillans, ſubtiliat expreſſos nunc ſuccos, ulterius ac ulterius perficiendos. Hujus ope independentia partium, ac perfectior fluiditas communicatur, cum reſervatione ſedula figuræ appropriatæ. Glandulæ in & circa ventriculum, deſtinatæ iiſdem ſuffulciendis operibus, unà cum vaſis limphaticis, conſpirant ad illam cum fluido miſcelam, fluidiorem & idoneam, ut acquirat alimentum, motum, molem & figuram.

Hæe operatio, plurimis nominibus inſignita fuit à Phyſicis ac Medicis, nunc hanc nunc illam ſententiam amplectentibus, unde digeſtionem, concoctionem, fermentationem, corruptionem, illam nominarunt, prout nempe his aut illis motibus inteſtinis hanc accommodare voluerunt. Nos omiſſis omnibus aliorum ſententiis, unicuique libertatem committimus, quaſvis amplectendi aut rejiciendi pro lubitu, parum de refutatione ſolliciti, propriam tantum offeremus, quam Lectorum judicio ſubmittimus. Certum eſt hic dari motum inteſtinum, eumque gravem, ut patet ex mutatione illorum corporum, quam ſubterfugere ipſa nequeunt fluida ingeſta. In confeſſo etiam eſt, acceſſu aliorum corporum fluidorum, illum motum determinari ad quaſdam figuras inde proſilientes, nam quoad continuationem motus, illa per ſe duratura, non intercideret ex defectu alluviei aliorum humorum. Ex potu enim, ex Aere, & proprio fluido propagaretur in infinitum, unde hæc requiſita, tantummodò reſpiciunt leges illas Oeconomiam internam ſtabilientes. Salium præſentiam in limpha, præſertim in ſaliva, neceſſa-

ceſſariam non ſolummodo, ſed planè naturalem eſſe, evincunt ipſius ſalivæ analyſes, non per merum ignem Chymicum, ſed per meros motus inteſtinos in Aere libero conceptos, ubi acido-muriatici ſalis manifeſta indicia præbent, Chymia ejus ſal volatile elevat & ſal muriaticum, ejuſdem cum ſale communi naturæ, fixum in cineribus relinquit elixiviandum. In aliis noſtri corporis humoribus, idem fere contingit, mutatis mutandis, abſque ſalis conſortio autem nulla pars, ſive ſolida ſive fluida, proſtat, niſi cum detrimento ipſius machinæ. Eadem manifeſtantur, in fame, & appetitu nimio, roſionem ventriculi, ſaporemque acrem ſalinam limphæ depaſcenti communicantibus, ut & in ſaliva jejuni hominis inſtar liquoris ſalini metalla rodente. Aquam adeſſe, facile evincunt omnia experimenta etiam rudiminervà tractata, ad minimum in duabus tertiis partibus reſpectu totius compoſiti. Terræ etiam copiam ſat magnam hic occurrere, unuſquiſque concedet ſobrius, ſed eandem levem oleoſam & illi uſui deſtinatam, nondum ita conſideravere Medicorum filii. Reſtat igitur ut hæc demonſtrentur, antequam ad concluſionem feſtinem.

Salivæ mutatio, ejus conſiſtentiam ſtatim variat, nunc in fluidiorem, nunc in hos, nunc in alios ſapores & reliqua accidentia, unde abſolutè ejus terreſtris nexus variatio enaſcitur. Aquæ enim non alterantur quà aquæ ſed tantum quà mixtæ diverſis terris. Itidem de ſalibus dictum & demonſtratam eſt, unde illi corpori competit vacillanti in ſua extenſionis quieta cohæſione, quod terræ tantumodo poſſe

adju-

adjudicari indicavimus. Quamprimum ergò ſalivæ inconſtantia apparet, neceſſario ejus actio deviare debet, quod ubique occurrit in valetudinariis, ſalivæ alterationes continuò præbentibus. Illud in re medica tam familiare eſt, ut demirer, hiſce obſervationibus leviter tantum imbutam hucuſque fuiſſe Medicinam. Saliva enim acrior reddita, motus auget inteſtinos, ad modum omnium liquorum Chymicorum, alimentaque citiſſimè divellit, acrem exinde ſuccum proferens, fami augendæ, ſenſuique nimium acuendo idoneum, inſuper irritatione ſua fibras ſæpius rodentem & vellicantem, tam in ſuperiore quam in inferiore ventriculi parte. Hinc nauſeæ, vomitus, lancinationes, bilioſæ acredines & amarores os infeſtantes, diarrhææ, dyſenteriæ, exurgunt, corpus miris modis inquietantia. Hæc fixiori ſale acido, rigidæ terræ filio, inſtructa, varias profert lentioris effectus operationes morboſas, magis auſterum ac acido-aſtringentem humorem, minus alituræ idoneum procreat, grvamina acuta, ructus nidoroſos, ex conflictu hujus aciditatis cum oleoſis tenuibus emergentes, tandemque Scorbuti incunubula pertinacia profert. Eadem vappeſcens, alimenta relinquit inertia, languida, onus non alimentum corpori inferentia. Salivæ quidem mutationem, aut præcedunt aut ſubſequuntur, aliquæ in aliis locis mutationes, ſua miſcela ſe mutuò perturbantes; ſed alitionis vitia neutiquam oriuntur, niſi præmiſſa fuerit vitiatio ſalivæ, exceptа læſione ventriculi &c., unde ſpecificè ad hanc illa referri debet & exinde propagatio ad reliquos inevitabilis exiſtit.

Præ-

Præparatio alimentorum, fit mera concuſſione corporum alitioni inſervientium, fluidas partes in ventriculo evomentium, modificandas per limpham. Hæc concuſſio, ad frictionis validæ gradum pertingit, unde motus inteſtini prima ſpecies eſt, neutiquam autem ad ulteriora pergit abſque damno Machinæ: Quemadmodum in frictione, attritæ mutuæ ſuperficies, exhalationes præbent inſignes, ſuam attamen indolem nativam reſervantes, in imminutis illis ramentis, ſic & indè ſurgunt effluvia tenuia, ſuum ſpirantia effectum, in odore, ſapore, reliquiſque attributis. Ut in corporibus ad motum inteſtinum feſtinantibus, attritiones ſuperficierum præcedunt, ſenſimque continuatæ ludos ſuos tantum abſolvunt, ſic in hac operatione illa primordia, non autem ultima effecta inteſtini motus obſervantur. Nam ſi diutius pergant hæc excepta ibidem deliteſcentia, ſtatim turbæ inferuntur Oeconomiæ; ut patet in retentione nimia alimentorum, in abuſu fermentantium, ut fructuum dulcium reliquorumque in fermentativum motum pronorum; in inflammatione & fluore acri bilis, motum acriorem inteſtinum proferentis; in crudioribus aqueis ad putredinem vergentibus, vel ad acorem declinantibus.

Ut ad ſubſultationes leves alimenta deducantur, ſaliva & ſpiritibus animalibus opus eſt. Eorum enim acceſſu quaſi decorticantur à ſuis exuviis, tandemque diſponuntur ad naturalem Machinæ figuram, in corpore renovandam. Hinc non ineptè ſtatui poſſet, nutritivum ſuccum comparari per ipſos humores, ſibi congeneres par-

tes adaptantes ex aſſumptis, attritione & frictione valida imminutis. Nam ſine illorum acceſſu, nunquam ſubſequeretur illa elaboratio, ut patet in conſumptione corporis varia, ex nervacei humoris defectu. Tandem eorum appulſu, prohibentur illa corpora ne ſui juris facta, ad ſolutiones majores pergant, quod alias fieret, ubi ſibi relicta, plerumque putrefactionis aut fermentationis ſigna inirent.

Hæc fluidi alibilis retentio in ſua figura, perſeverat in toto corpore, alluvie nempe muci balſamici, incruſtantis parietes intergerinos vaſorum, continentium humores circulantes. Ob facilem vero motus inteſtini acidi conceptionem, bilis ipſa ſale lixivo oleoſo nobilitata occurrit, illam actionem extinguens ſua tenui miſcela, in ductibus iis vaſis proximis, ut inteſtinis tenuibus & in canaliculis viſum ſubterfugientibus. Ea enim ratione, duplum obtinetur commodum exaltatio nempe fluidi ad majorem fluiditatem, & enervatio acidi in Ventriculo concepti, quæ duo requiſita abſolute ſunt neceſſaria, pro conſervatione illius ſubſtantiæ, nutritioni poſtmodùm adaptandæ.

Calor noſtræ machinæ, ex hiſce emanat fontibus, ventriculi nempe motu graviori, leviorique acrium bilis partium reactione in Chylum. Fortius namque agitatæ ad colliſionem mutuarum ſuperficierum particulæ, ab omnì parte æthereos accerſunt impetus, ſaliumque tenuium oleoſis particulis ſtipatorum, commercium nobile ſero intermixto facilitant, ad ſpirituoſum ſtatum ſimul evehendum, partim in roridas exhalationes diſpergendum, partim fluidiori Chylo

jo jungendum . Quæ Roris nomine veniunt , ſunt ea fluida , quæ maximè extricata ſeſe offerunt, & ſubtilitate ſua nervorum poros afficiunt, ibidemque immediatas & ſenſibiles , non rarò etiam extemporaneas actiones in Machina noſtra edunt, ut patet in pleriſque ſubitaneis effectubus alimentorum , medicamentorum , venenorumque aſſumptorum . Eaque ſunt, quæ propriè calorem & motum , excellentiori in gradu, edunt , abſque longis temporum intervallis refocillantia , alterantia , extinguentia vitam noſtram , ſenſorium enim commune citiſſimè occupant , velociſſimis cum reactionibus in noſtros Spiritus . Hæc quotidiana demonſtrat experientia, in pleriſque hominibus abhorrentibus ab hiſce aut aliis alimentis , quorum immediatus uſus, incognita hucuſque efficacia, vix ac ne vix quidem lethalis exiſtit , ubi ventriculo ingeſti cibi ad exhalationes illas per motum ſuſceptum coguntur , ut innumeræ teſtantur hiſtoriæ . Imo exinde Antipathiæ ita dictæ effecta , per mera corporum variorum effluvia , explicanda veniunt , ubi nervis oblata ſpirituoſiſſimo illi nectuntur humori , turbas poſtmodum miras excitanti.

Exinde etiam patent vires , medicamentorum quorundam , non ſolummodo Chymicorum, ſed & Galenicorum , magis citato pede procedentium , in his quam in aliis , ad ſuos eventus . In iis quippe corporibus , ubi eximia ſalium ac oleorum tenuium eſt abundantia , ibi effectuum virtus æque ac agendi celeritas eluceſcunt , quatenus ad ſubtiliationis minimæ gradum pertingere queunt moræ impatientes particulæ, quamprimum minimos etiam motus gradus ſubire ne-

ceſſitantur, ab Æthere & Aere facillime corripiendæ. Quæ vulgo calida, in diverſis gradibus, à Medicis Galenicis nominantur. Sic Tincturæ, Eſſentiæ, Spiritus, Olea, ſalia volatilia Chymicorum ejuſdem farinæ ſunt, magis tamen defœcata corpora, ob eam rationem maximè activa, nam concordant non ſolummodo cum hiſce halituoſis partibus, ſed inſuper ſua aſſumptione eas evaporationes augent, ad ſenſus & motuum manifeſtam exaltationem, ut patet in appetitu aucto, in medicamentorum ſtimulatione, & ſimilibus per talia efficiendis. Si vero hæc in fumos roridos mediante igne redegeris, omnes hi effectus magis ſuſpiciendi, tam celeritate quam ſua vehementia obſervantur, prout etiam in caloribus nimiis noſtri corporis, in ſyrio æſtu, in bilioſa acredine humorum, eadem locum habent, ut in morboſo ſtatu latius. Haſce igitur æthereas internas vocare licet actiones, noſtram machinam ab omni parte irradiantes, ſuiſque corpuſculis minimis propria figura inſtructis beantes, eodem modo ut Aeris regio, congeſtis ſcatens moleculis radiis ſolaribus nobilitatis, ad nos defert per inſpirationem communicanda effluvia ſeu miaſmata, ad effectus diverſiſſimos properantia quoad ſanitatem, morbum & mortem noſtrorum corporum. Quæ omnia eò majore procedunt niſu, quò illæ Solis irradiationes fuerint vehementiores, corporaque ad motum evecta exſtiterint minus magiſve abundantia, ac in figura & qualitate, à noſtra Oeconomia recedant vel accedant, ut vitam aut beatiorem aut miſeriorem Incolis adferant, indubitato & abſolutè neceſſario effectu.

Suc-

Succus alibilis ex ventriculo expreſſus, dicitur Chylus. Hic nihil aliud, niſi pars perfectior oleaginea, reliquis fluidis intermixta, exiſtit, ad alios humores pergens.

Sanguineæ maſſæ infuſus Chylus, nil recipit novi niſi quod illa tinctura rubra obducatur ac diluatur. Ipſe Chylus, continens fluidiores expreſſas partes ex alimentis congeſtas, tantummodò albedinem init ex ipſa miſcela ſalivæ, ſucci nervei, de quo poſtea, limphæ & tenuiſſimæ bilis. Eatenus perfectus eſt Chylus dicendus, quatenus hiſce directoribus modificationem neceſſariam acquiſivit, non autem ob naturam illius ſucci ex cibis expreſſi, qui tantummodo lac aut juſculum aliquod mucagineum referret. Multò minus ex fermentatione perfecta, nullibi exiſtente in elaboratione humorum Naturali, (niſi quis leviuſculè, ejus principia, non longum progredientia, admittere velit) eam expiſcatur formam debitam. Ex contrariò, hæc ejus naturalem inverteret balſamicum ſtatum, ſenſibuſque moleſtationem non levem afferret prout ſuperius. Sed ad modum aquarum, diverſitatem ſuam à miſcelis levioris terræ limphaticæ & ſalinæ recipit, in quantum hæc interfluens cernitur illi latici, tam in ſaliva quam in bile, & reliquis humoribus illuc appellentibus. In hac autem confluentia, chylus plurimum nutrimenti conſiſtentis ſanguini confert, ab eodem verò parum recipit, niſi tinctura. Illud teſtatur illorum utrorumq; humorum independentia à ſe mutuò faciliſque partium ſeceſſus in aqua, mediante phlebotomia, ubi extractus recens ſanguis, aqua dilutus, rubedinem à ſeroſa ac chyloſa parte ſegregatam

profert. Hæc igitur tinctura, non altas impreſſit actiones ipſi chylo, ſed ſuperficialem cum illo inivit ſocietatem, juxta ſe invicem ubi obambulant corpora. Vaſa autem ſanguifera, ipſum nobiliorem ad motum invitant, ſuoque conſortio profligatas reſarcit jacturas ſubtilium corpuſculorum, per diaphoreſin amiſſorum, quas inſuper magis firmat contra Ætheris ac Aeris injurias, ſuis ramoſis craſſioribus, fluidis tamen, particulis.

Chylus in venis & arteriis circumvectus, ulteriores ſuſtinet elaborationes, contractione fortiori vaſorum & alluvie diverſa limphæ. Contractio vaſorum majoris ponderis, duplex in corpore obſervatur, prima in Ventriculo, ſecunda in Pulmonibus occurrit, utraque admodum neceſſaria, ad ſubigendas moles nimias, eaſque mediante hac conquaſſatione intimius miſcendas cum tenuioribus particulis. Seceſſus fæculentiarum, ex decuſſis ramentis oriundarum, per frictionem & attritionem mutuam, hac ratione facilitatur, puriorque indè reſultat humorum fluor, ſpirituoſis effluviis cinctus. In Corde, duo hæc præſertim effecta prodeunt, ex ipſa Chyli miſcela ſanguinea & concuſſione eorundem in ventriculis ejus, poſtquam per totum venæ & arteriæ pulmonalis curſum, haſce contractiones jam ſuſtinuerint, tanquam præparatorias operationes, abſolvendas in ventriculis & auriculis Cordis. Sola hæc validior propulſio ad miſcelam feſtinans exactiorem, per pulmonum tractus & conicam Cordis cavitatem, ſufficit ſpumoſæ rarefactioni ſanguinis, abſque ulla motus inteſtini manifeſti præſentia. Illud enim preſſiones & conquaſſatio-

nes

nes craſſiorum fluidorum demonſtrant, in ovi albumine & vitello, in ſapone cum aqua in ſanguine coagulato facile ad fluiditatem mera concuſſione reducendo. Floridior ejus color, partim ex miſcela recentis albi Chyli, partim ex iiſdem motibus concuſſoriis derivatur, ut patet in mixtione albi & rubri pulveris, ſeu in dilutione obſcuræ rubedinis.

Aeris impetus, hic conſiderationem quidem meretur, ſed vix majorem, quam in ventriculo, ſi moleculas reſpicias ſalinas illos humores nobilitantes, imò minorem, quam circa alimentorum imminutionem primam. Saliva enim, ſpumoſa in ſua ſubſtantia, includit Aerem ejuſque interſparſas particulas ſubtiles, communicandas ſucco alibili. In deglutitione, ac potatione, haurimus Aerem à tergo prementem, abſque cujus vi elaſtica propulſio ceſſaret, undè in ciborum duriorum maſticatione, aura veſcimur Ætherea copioſa. Ventiformes etiam expanſiones, circa illa loca, in flatibus & ructibus conſpicua idem redarguunt, quæ plerumque maxima ſunt, uſu aqueorum Aere turgidulorum, ac tempeſtate ventoſa. Pulmonum verò intumeſcentia ac detumeſcentia inſignis, ab Aeris in & egreſſu quidem dependet, ſed inde non ſequitur Aeris reliquias graves ad ſanguinea vaſa deferri, illaque ab ipſis penetrari, ut alterationem manifeſtam illis corpuſculis afferant. Quicquid illud mutationis effectum ſit, nullibi demonſtrari poterit, Aerem in cauſa eſſe quà Aerem admixtum, cum illud impoſſibile exiſtat ex circumſtantiis judiciosè trutinatis. Acceſſus autem copioſior ejuſdem in Pulmonibus, propulſivo motui

tui perpetuando in tota machinæ cavitate inſervit, nam ad nutum pulmonum reciprocæ contractiones & dilatationes vaſorum fiunt.

Fruſtraneus autem, in reliquis omnibus effectis, non eſt Aer, quippe ejus craſſiora corpuſcula ibidem in fluore circumvolitantia, irretitionem haud difficilem, in ſeroſis & limphaticis partibus, admittentia, ſeſe annectunt ſuperficiebus ac poris dilatatis, humido illo ſemper irrigatis, unde, ſua ulteriori inſinuatione, pergunt ad crypta interiora pororum, in tunicis, fibris, glandulis, aliiſque vaſis exiſtentium. Hinc ſubtiliſſimæ conceſſæ mixtiones, miris modis alterant Spirituum internorum ſtatum, & per conſequens, partium ſolidarum in fluidis humoribus exiſtentium craſin leviter aut graviter mutant, viribus unitis ubi procedere Ætherea, cum gravioribus contentis ſalibus juncta obſervantur. Quæ ſufficienter deſignant, ipſum ſanguinem, non quà ſanguinem ab aere mero affici, ſed ejus admixtas partes, maximam ejus miſcelam & compoſitionem conſtituentes, Chylum nempe & ſerum.

Mutatio particularum Aerearum, functiones noſtras extempore alterant. Illud evincunt communicatæ hæ partes, noſtram ubi fluido-ſolidam conſtructionem inquietant, functionumque celerem aut tardum ubi abſolvere cogunt curſum. Ipſæ etiam cogitationum modificationes non ſemper immunes ab ea alteratione permanent, nervorum enim ſtatus illis motibus quam maximè percellitur. Idem obvenit in vegetabilibus ac animalibus brutis, ab Aeris injuriis dictis admodum agitandis, nunc ad vegetum nunc ad

corruptum ſtatum, ex illa partium miſcela tendentibus,

Eaſdem obſervationes Chymica Ars, in plurimis experimentis offert, viſibilem corporum mutationem acquirens, ex ſola Aeris in ipſa corpora arietatione Morborum effecta toto, ut ajunt, cœlo variantia, ex iiſdem cauſis haurienda, infinitas proferunt differentias, ubi aut temporum mutationes occurrunt, aut regionum diverſitates luſtrantur, aut halituum, ex interiori terræ gremio, ferocia inſolita Aerem inquinaverit. Nam hæc omnia unum in finem conſpirantia, noſtros afficiunt humores, tandemque per eoſdem, partes ſolidas corripiunt, ut patet in Morbis epidemiis, endemiis, pandemiis, ſporadicis, contagioſis & malignis, atque præſertim in pulmonalibus, utpotè ſtatim ab Aeris influxu ſenſibiliter afficiendis.

Ex Chylo ejuſque rudimento, emanant reliqui humores. Per Chylum, hic non ſtrictè aſſumimus, liquorem illum planè album, ſed ſuccos quoſvis Chylificationi ineundæ aptos. Hæc enim albedinis apparitio, non ſemper æqualis eſt, nec omne fluidum alibile in hanc conſiſtentiam vertitur ſed mutatis mutandis balſamicæ mucagines ſero intermixtæ, chyli vel alibilis ſucci nomine venire poſſunt. Ipſa etiam limpha, levi acido perculſa, albedine chyloſa inficitur, quod deſignat ejus præſentiam non levem, facile ex calore fortiori, abſque additamento ullo, inſuper enata..

Primarius noſtrorum humorum latex, Sanguis dicitur. Hujus authoritas, ex motu maximè conſpicuo invaluit. Oceanus noſtræ machinæ,

ideo

ideo non ineptè dictus. Ex ejus enim nutu, reliquæ dependent propulsiones, in tota noſtra machina conſpicuæ. Inſuper in eo, tanquam in penuario, reliqua uſui futura abſcondita latitare videntur, exinde per motus ſecernenda. An vero ſexcentæ, imo plures ibidem lateant partes, prout Hippocrates ejuſque Aſſeclæ volunt, illud iis probandum relinquo. Saltem ex natura fluidorum patet, ea ex diverſis componi, eaque non ſolum ſegregari à ſe invicem poſſe, ſed ulterius de novo conſtrui. Formas autem rerum apparentes, eſſe tantum meras adaptationes harum particularum materiam componentium; quas inconſtanti modo, nunc in has nunc in alias figuras invertunt, unde innumeræ, ex una eademque forma & materia, reſultare queunt figuræ. Haſce autem figuras ibidem præeſtitiſſe, nemo homo dixerit, ſed aptitudinem adfuiſſe materiæ, ex qua producantur hæ formæ, figuræ & moles tantopere diverſificatæ. Hoc autem non ſoli ſanguini, ſed etiam reliquis fluidis proprium, ut aquæ, oleo & miſcelis aqueo-oleoſis omnibus, prout cernere eſt in vegetatione omnium corporum, eorundemque alteratione inſigniter multifaria.

Sanguis propriè dictus, eſt tinctus rubedine liquor, violentiori modo in ſuis vaſis preſſus. Rubedo tincturam præbens exiſtit in parte ejus maximè ſalina-oleoſa, per calorem ex Chyli ſpirituoſa parte ſecernenda. Hæc pars, eſt minima illius liquoris totaliter ad viſum rubentis, reliquæ enim partes ſunt limphaticæ & chyloſæ, ut apparet in ejus analyſi per aquam. Rubedinem ipſam à ſalium adminiculo proficiſci, arguunt

guunt ſalia volatilia, illam admodum intendentia, ut & motus acres humorum in morbis calidis, ſanguineum ruborem valde intendentes. Defectus ruboris, ex defectu ſpirituum volatilium ſalinorum oriundus idem probat, in morbis hydropicis & chronicis. Unde vis hujus tincturæ maxima eluceſcit, in ſale tenui volatili, motu egregio ubi incitantur hæ leviſſimæ particulæ, ubivis colorem ſuæ terræ ſulphureæ diffundentes.

Sanguini non ſoli conceditur circulatio, ſed etiam reliquis humoribus, ſua vaſa perreptantibus. Hæc verò maxime in eo obſervabilis, ob preſſionem Aeris, & contractionem pulmonalium & ſanguiferorum vaſorum, per totum corpus ſparſorum. Quibus accedit Cordis manifeſta pulſatio, cum ejus vaſorum contractione & dilatione ſenſibili, ſanguinem de loco in locum protrudentibus. Hinc fluxus refluxuſque ejuſdem notabiliores, per vaſa ſatis ampla, & rubedine ſua optime ab aliis diſtincta, quod non æque in aliis liquet ac in hiſce.

Circulationis effecta ſpecifica, ſeu illi propriè competentia, ſunt preſſiones generales humorum & attritiones texturarum ſolidiorum. Hæ propulſiones, ex hoc fonte ſanguineo derivatæ, communicantur reliquis humoribus limphaticis, lentius tamen in ſuis vaſis procedentibus, vibrationes enim in omnia latera vaſorum, per totum corpus diſperſorum, fiunt illa veloci contractione & dilatatione, ipſa contenta fluida nullibi in ſtagnatione detinentia, ſed vi de loco anguſtato in locum magis patulum exprimentia. Unde reciprocæ non autem univerſales ſunt illæ

vaſo-

vaſorum compreſſiones, nempe in ſanguiferorum vaſorum dilatatione, limphaticorum conſtrictiones apparent, & è contra. Multum etiam diſcrepantiæ, hæc phænomena exhibent, reſpectu ſitus illorum tubulorum & canalium, diſpoſitorum in varios ordines & nexus partium fibroſarum, nunc ante nunc poſt oſſa, duritiæ ſua ſolida, montium inſtar & ſcopulorum, vires illius impetus pro magna parte eludentia, alterantia, infringentia. Ut apparet in montium ſerie, hunc mundanum motum dirigente, ac in variis plagis terræ modificant, ſæpiuſque contraria effecta edente in hoc quam in non longè diſſito loco. Muſculorum interventus, non minimam hiſce operationum differentiis anſam offert, obliqua ſpirarum coordinatione, declives reddens vel intercipiens fluctuum æſtuationes majores, unde hic torrentis inſtar rapiuntur, illic rivulorum profluentiæ blandæ apparent, iſtic fluenta obſervantur æqualia, alibi concurſus vorticoſi, colliſioneſque variæ ſeſe manifeſtant, prout nempe vaſorum, viarum interſtitiorum, obſtaculorumque reſiſtentium occucurrerint connexiones, numeri, diſcrimina.

Plurima exinde accidentia ſurgunt, ſenſus noſtros incurrentia, ſi altius effecta illa inſpiciamus, imo hac ratione perſcrutari queunt pleraque mutationum phænomena, circa colores, odores, ſapores, frigus, calorem & ſtatum corporum. Attritio enim ex hiſce emergit cauſis, utpote ex propulſione ac circum rotatione particularum oriens. Hæc languido modo procedit, in majoribus rectilineiſque vaſis, ob minorem parietum intergerinorum renitentiam, in quibus

appro-

approximatione non tam arcta premuntur ſuperficies, latioribus in alveis vagantes, unde minor ſuccedit partium, texturas illas conſtituentium, frictio & concuſſio, & inæqualior contactus, aliquas non omnes premit ſuperficies, pleriſque illum in medio ſubterfugientibus. Validior autem conſpicitur, in anguſtioribus ac obliquis viis, ut & ubi renitentiæ magnæ ſeſe ſiſtunt in viarum interruptarum proceſſibus, ibi enim ſuperficierum numerus major, denudatas relinquere cogitur texturas, admodum per cellendas à ſolidis vaſorum tunicis fibroſiſque contextubus, motum illum modificantibus & certas ſub leges deducentibus. Decuſſiones igitur ramentorum, à vulſioneſque detritarum partium terreſtrium tunc maximæ cernuntur, ſub fæcum nomine poſtmodum obambulantium, tandem ad ſua amandantur loca extrà corpus ejicienda. Simul tunc in tenues reſolvuntur auras, decarcerati Spiritus ſalini Ætheris motui obedientes, calidum continuantes ſenſum & motum corpori quam maximè vitalem, unde circa illa loca, ſemper omnia effecta functionum majora, ſeſe præbent, æque in Sanitate quam in Morbo. Fluidior inſuper humorum ſtatus inde emergit, quoniam pelle ſeu involucro denſiori, per frictionem illam, depoſito, poroſiores ac leviores iſtæ evadunt texturæ, tenui terra tantum inſtructæ, ſpirituoſiſque particulis nobilitatæ, ad independentiam ſuperficierum majorem pronæ.

Hæc neceſſaria reſolutio, facilem reddit vaſorum ramificatorum repletionem, pororumque anguſtorum occupationem ab hiſce liquidis tenuioribus, ut vegetatio ſeſe in omnem extendat

par-

partem, & communicatio motus & ſenſus, ab uno ad alterum machinæ extremum abſolvatur, non interrupta vaſculorum & fluidorum propagine.

Eadem methodo, Chymicæ digeſtiones, macerationes, inſolationes, blandioreſque exhalationes liquidorum perficiuntur, ut purum ac magis ſubtile corpus, ab impuriori craſſioriquè parte ſegregetur. Hæc ita ſegregata motui & penetrationi, magis apta nata evadunt, quæ alias ſegniora exiſterent in ſuis actionibus, prout patet in eſſentiis, Elixiriis, tincturis, compoſitionibuſque eorum, ubi plura intimè junguntur, ad unam figuram & actionem conſpirantia, quod etiam in ſanguine palam fit ex variis compoſito. Aeris acceſſus æquè notabilis in hac arte conſpicitur, nam ejus moleculæ maximas inferunt accidentium viciſſitudines, quoad colorem, odorem, reliquaque corporum inde reſultantium attributa, poſtquam ſalium vigor varius, illius ope ſuſcitatus ac modificatus ſeſe obtulerit, in diverſis regionibus Annique temporibus, undè & vires quaſi de novo genitæ emergunt, omnibus ſæpius modis inter ſe diſcrepantes.

Divortia humorum, ex ſanguine ſe cedentium fiunt per filtrationes & miſcelas. Filtratio hæc, eſt percolatio humorum per ductus poroſos, ſive tubulos anguſtiores, alioque modo diſpoſitos, ad eos recipiendos deſtinatos. Hæc ſola contractione vaſorum majorum perficitur, quà mediante liquidiora intruduntur, craſſioribus præterlabentibus, utpotè minus ad illam penetrationem ineundam idoneis. Sufficit igitur exilitas molis cum independentia particularum, ad illas minores

res cavitates ſubeundas, ut irrigentur omnes alvei etiam faucibus arctiſſimis inſtructi, cum præexiſtant jam talis generis particulæ in ipſo ſanguinis latice.

Sanguineæ autem tincturæ immutationes, ejuſque modificationes variæ pari paſſu ambulant, in hiſce percolationibus, quarum cauſa aliundè petenda venit. Pororum enim diverſitas non ſufficit, nec convenientia corporis ſolventis & ſolvendi hic invocanda eſt; quoniam exilitas tanta concedi poteſt, ut corpora fluida minora exiſtant poris, adeoque impunè ingreſſus permittant abſque figuræ ſuæ mutatione; ſolutio vero hic nulla fit ad mutuam permeationem obtinendam, alias orificia ſemper depaſta ab alluvie, hiatus in magnos excreſcerent non conſolidandos, unde ſtagna ex læſione illa, vel ab ſceſſus generarentur peſſimi. Requiritur ergo aliud corpus, dirigens illius figuræ debitam coordinationem & alterationem ordinis, ut naturalis inde naſcatur humor, illis vaſis ac tubulis ſpecificus, qui ex limpha mucaginoſa in illis loculis elaboratus exiſtit, properans ad occurſum externorum fluentorum. Prout in ore ſaliva, huic uſui primo deſtinata, in promptu adeſt, ſic circa extimas oras eadem occurrunt limphatica corpuſcula, huic reactioni anſam præbentia.

Hæ mixturæ leviores inferre ſeceſſus ſolitæ, ſimul coordinat ſuperficierum nexus ad graves & ſerias Naturæ operas tendentes, ita tamen, ut hoc interventu, lapſus figuræ convenientis ſemper præveniatur, craſſioraque involucra eliminentur. Non opus eſt, hic multos diluere ſcrupulos, nam res ipſa loquitur in actione om-

omnium naturalium corporum fluidorum, ſe mutuò præcipitantium vel exaltantium, ſimulac liquores diverſi confunduntur, abſque magna turbulentia aut exæſtuatione particularum, ut patet in aquis diverſis puteálibus, fontanis, mineralibus, ſalinis & cæteris. Etiam hæc teſtantur, operationes humorum è diverſis locis emanantium, remotiora loca afficientium, in ſano æquè ac in morboſo ſtatu, ut ex utero, renibus, vaſis ſeminalibus, liene, abdomine &c. caput, pectus, cerebrum reliquæque ſuperiores partes vitiantur.

Appulſus ad partes ſolidas, etiam nunquam concedi ſolet, niſi cum hac illave modificatione humorum illuc deflectentium. Hæc præparat eoſdem, appropriandos ad illum uſum & mutationem naturalem dictam, quatenus abſque magnis turbis miſcelas recipiunt conſervatorias. Succeffivæ igitur, non ſubitaneæ fiunt alterationes, ſenſim ac ſenſim properantes ad ſuæ molis & figuræ leves inverſiones, ita tamen ut in plurimis retineatur ordo eorum corpuſculorum tantummodò in aliquibus particulis differentiam ſui ſitus & nexus permittentium. Sic in imprægnatione Uteri, lento paſſu Mammillæ turgidulæ evadunt, tandem diſtendendæ lacte, veluti noviter generato humore, ad illas partes defluente. Sic alimenta, pedetentim in Chylum reliquoſque humores conformantur, donec ad perfectum corporis nutrientis ſuccum convertantur, poſt longas motuum ambages. Sic potus vinoſi copia inebriant tandem, ubi neruos occupaverint tenues halitus, ſenſorium commune offuſcantes. Unde præparantium mucaginum portio ſufficiens,

ficiens, ſemper ad fores orificiorum vaſorum adeſt, tanquam cuſtodiam exercentes, nequid ingrediatur niſi legibus illius œconomiæ internæ ſubjectum, ut pacata omnia evadant in progreſſivo motu. Dein pinſando ac imminuendo, per motum anguſtiaſque viarum, in vaſis illis exiſtentium, hæ ingreſſæ ulterius ſubiguntur particulæ, tandem ad intimiores receſſus accommodandæ.

Totalis figuræ priſtinæ ſublatio nulla, ſed tantum partialis, ex hiſce accedentibus motibus, miſcelis, colaminibus, ut oboriatur neceſſe eſt, ne vitæ vegetativæ ac ſenſationis munia interpellentur, ſed placidè procedant, quantum poſſibile motu inteſtino graviori prohibito. Sufficiunt attamen, hæ quamvis leves alterationes, gravibus Naturæ luſibus exequendis, ita ut vilipendendæ non veniant, quoniam minimæ ſæpius circumſtantiæ res ipſas admodum variare ſolent. Hoc enim modo, eadem corpora fluida occurrentia diverſis ſolidis, vix perceptibili eorum quantitate imbuenda, diverſiſſimas edunt actiones, nunquam abſque iis ſperandas. Hæc patent in Venenis, in mineralibus Terris aſſumptis, imò ſæpius in immediata alimentorum actione, corpus Spirituali modo percellente, in quantitate exiliſſima.

In Chymicis illa vulgatiſſima ſunt, ubi corporum actiones diriguntur ad normam illius miſcelæ, ut & motus quem inire coacti fuere, in digeſtionibus, macerationibus, infuſionibusque variis. Ipſæ præparationes Remediorum, quantum à ſe mutuò differant, mediante leviſſimo particularum quarundam acceſſu & receſſu, te-

ſtantur olea, ſalia, Spiritus, terræ, tincturæ, & ſimilia, plane alias à nativis viribus operationes exhibentia, in ſubſtantia, in ſolutione, in mixtione, ante, in & poſt motus conceſſos.

Hæc inſuper Galenicæ præparationes demonſtrant, dum recentia à vetuſtis diſcrepant, ſolida à fluidis, cruda à coctis, ſimplicia à compoſitis. Quamvis circa quantitatis & qualitatis externæ affectiones, vix aliquid occurrat ſenſus noſtros afficiens, tamen in uſum medicum tracta tantopere variant, ut fidem pene eludant. Eadem ratione, humores noſtri varietate admirabili gaudent, ex illis, mixtione nempè & motu, mechanicis inſtrumentis, Macrocoſmum & Microcoſmum noſtrum continuò afficientibus.

Si quis autem hic hærere videatur, neſcius quomodo illa inter ſe conferre, circulationem nempè uniuerſalem fluidorum in noſtro corpore, cum retentione quarundam ſpecialium molium & figurarum, ſingulis in fluidis exiſtentium: Ille expendat, haſce partes ſolidas, ab æſtu valido ſanguinis eſſe aliquo modo remotas, eique aggeres eſſe objectos, ex fibris, valvulis, tortuoſiſque ſinubus canalium & pororum, unde maximum confuſionis periculum præcavetur. Dein ubi preſſiones ſuccedunt violentiores, contractio horum vaſorum, anguſtationem haud parvam illis communicat, appropriatam excluſioni plerarumque violentiarum, unde injuriæ arcentur. His adde proprios vorticoſos vel circulares motus, ſingularum fluidarum particularum, renitentiam validam ingreſſui externarum alluentium proferentes, unde arcentur à communicatione

nimia

nimia vel æquali omnium fluidorum. Præcedentibus etiam jungi poſſunt, majores minoreſque concordantiæ earundem ſolidarum texturarum, fluidos humores continentium, quæ non ſemper nec ubique miſcelas admittunt, ſed à ſe invicem ſecedunt, mutuis particulis intactis, ut & pororum inconvenientiæ, ob molem & dependentiam magnam in hiſce aut aliis humoribus. Circulatio etenim non adeò exacta obſervatur, ut illa abſolutam ac uniformem commixtionem & motum omnium liquidorum involveret, neutiquam, nam ea præſertim obſervabilis in ſanguine, tanquam Microcoſmi Oceano, lentius autem & planè diverſo modo in limpha aliiſque humoribus noſtri corporis, procedit ille motus propulſivus, ut tandem nutritionì inſervientia, fixas acquirant ac ſtabiles pro tempore ſedes.

Eadem occurrunt in Aere, Aquis terra interiori, plantis & reliquis corporibus, fluiditate veloci inſtructis. Plurima in Chymicis ſeſe produnt experimentis, ubi fluida ſe mutuò non penetrant, ſed immota ſuper ſe invicem permanent, ubi etiam diverſitates fluidorum notabiles ſeſe offerunt, in ſuis actionibus notabiliter diſcriminatæ, ut paſſim in illa arte obvium.

Varietas humorum inſignis in toto corpore, non ſolum ſeſe extendit ad jam inter ſe ſenſibiliter diſcrepantes liquores, putà bilioſos, ſanguineos, limphaticos, ſed & inter bilem & bilem, ſanguinem & ſanguinem, quam maximè vero inter limpham & limphas varias. Hæc diſcrepantia, motibus atque reactionibus omnibus anſam præbet eximiam, imo inde petendæ veniunt Oeconomiæ noſtræ leges.

Sanguinem in ſua maſſa conſideratum, inter ſe mutuò planè convenientes non obtinere partes, nemo inficias ibit, quicunque ejus levem analyſin tentaverit. Verum hunc ſæpius toto cœlo differre non ita cognitum eſt, ideoque hujus differentiæ modos proſequi, per ſequentia, unuſquiſque poterit ſedulus naturæ Miniſter. Quæcunque motu violentiori aut tardiori circumvecta, mutua preſſione ſe fricando atterendoque ſuperficierum alterationem magnam, inferunt, ea hac ratione ordines & ſuperficierum contextus mutant. Hæc autem in ſanguinis curſu, ſemper obſervantur, ubi nunc veloci in venis ac arteriis Cordi proximis, ut thorace; nunc vulgari, in locis magis diffitis, ut abdomine & capite; nunc languido, in remotiſſimis artubus Brachiorum & Crurum motu procedere ejus partes obſervantur. Hinc ejus ſanguinis non in omnibus una facies, ſed ejuſdem raritas, levitas, denſitas, gravitas, aliaque attributa non minimi ponderis in ſuis operationibus mechanicis, multum diſcrepare ſolent. Hæc ex ipſis morbis, diverſas partes occupantibus, in quibus ſanguinea miſcela ſuas tenet vices, hauriri poſſunt, ubi tenuitate ſpirituoſa rutilante in hiſce, oleoſa gravi purpurea qualitate in aliis, reſinoſa ſeu ſulphurea craſſa & livida in iſtis partibus opus ſuum exequitur. His jungi poſſunt innumera accidentia, hanc apparitionum ſcenam concomitantia, è quorum fonte haurienda poſtmodum medicamentorum effecta variantia, in hiſce & aliis Morbis. Exindè rimandæ Morborum adventitiæ reactiones, machinam ipſam diverſimodè conquatientes, prout ipſa fluidi illius

lius diſpoſitio, vehementius exæſtuantes ſuas protrudit exhalationes & procellas, reliquos humores violento inſultu ad nutum ſuum trahentes. Ramoſæ enim, ſubtilioribus ſpiritibus turgidulæ ſeroſis ſanguinis partibus vires addunt, & hac ratione limpham ulterius commovent, unde totum corpus concutitur. Illud patet in motibus inteſtinis, ſemper ob oleagineam miſcelam fortioribus, in corporibus quibuſvis; qui enervantur in iiſdem per debilis ſeri admixtionem, languidum tendentes in motum; iſtic motus malignis inſtructus corpuſculis, venenoſam acquirit indolem, conſtanter in ſua figura & motu procedentem, ut in ſolutionibus continui, gangræna vel ſphacelo obſervare eſt, plerumque ſeſe in talibus Morbis manifeſtante. Hæc & ſimilia perpetuò occurrunt, in morboſis partibus variis, calida, frigida, maligna ſymptomata edentibus, prout nempe illorum locorum naturale vel ſanum fuerit antehac miniſterium: ſic etiam in læſione actionis debitæ, figuram ac molem particularum non ſolum hæc loca adaugent in copia, ſed ſimul etiam ad ſalinum motum & penetrationem majorem diſponunt, unde numeri, ponderis, & menſuræ æquilibrium ſublatum cernitur in illis elaboratis fluidis, vitiata in parte ſolida hoſpitantibus.

Sanguini præter rubram oleagineam tincturam nullas ulteriores, nec extraordinarias ineſſe particulas cenſemus, niſi eaſdem, quas in aliis humoribus obſervamus, cum levi ſaltem diſorepantia.

Fermentatio in Sanguine nulla, multò minus ulla efferveſcentia in Corde. Aptitudo fermen-

tandi, requirit ſpecialem diſpoſitionem figuræ corporeæ, ut eum poſſit ſubire motum. Hæc, in aliquibus alimentis Ventriculo ingeſtis, adeſt, ideoque ſpeciem leviſſimæ fermentationis ibidem ſubeunt rarefacta corpora, verum hac proſequi nequeunt, ob admixta ea quæ omnem eludunt fermentationem, puta carnes, ova, ſeva, &c. Unde ab excluſa ſeri copia, fermentativo motui continuando tantoperè neceſſaria, intermediam recipiunt actionem inter fermentationem, efferveſcentiam & putrefactionem, quod patet ex calore, flatibus, halitibus, odore, ſecretione & reliquis inde oriuudis effectis. Quibus omnibus, concuſſio & conquaſſatio ſolido-fluidorum, extremam imponunt manum, ut intimius aſſocientur, & ſegregentur corpuſcula, inde exprimenda. Fermentationis fines, hic nunquam, nec in ullis noſtri corporis partibus cernuntur, nam Spiritus ardentes nulli, acida perfectiora nullibi reperiuntur in ſtalu ſano. Fermentantium & in fermentationem pronorum abuſus, illud optime evincunt, ubi corporis noſtri Oeconomiam maligno modo turbant & exagitant, per violentos ſeceſſus.

Efferveſcentia in corde eodem jure ableganda venit, ad fungoſa cerebri commenta. Hæc enim, nimis ad rapidos ac ſpumoſos motus cogens corpora, violentas potius ageret corporum ſtrages, quam vegetationi placidè, inſerviret, ut patet in ejuſdem effectis, in præcipitatione, coagulatione, ſolutione vehementi, concuſſione horrida partium, reliquiſque phænomenis inde hauriendis, nunquam in humorum motu naturali conſpicuis. Adde, efferveſcentiæ originem unicè de-

pen-

pendere, à concurſu violento acidorum ſeſe vi inſinuantium in poros merè terreſtrium & alcalinorum corporum, hic nuſquam ita apparentium. Exinde concludimus, motus hoſce exulare à noſtra Oeconomia, ſuis naturalibus motus legibus utente, niſi quis malit etiam leviſſima principia motuum inteſtinorum, pro integris illis ac prefectis obtrudere, quod abſurdum vel foret, vel omnem motuum confuſionem ſecum traheret.

Lympha, eſt aqua vegetativa noſtri corporis, functionibus præcipuis inſeruiens. Hæc partim ex Sanguine, vel potius ſeroſa ejus parte, partim ex ventriculi alimentis fluidioribus mucaginoſis lympha jam imbutis, emanat. Serum ſanguinis exiſtit lympha crudior, & proprie vehiculum eſt partium craſſiorum chyloſarum ſanguinis, facillimè una cum rubentibus ab Aeris refrigerio poſt venæfectionem coagulantium. Convenit enim cum lympha, balſamica ſua figura, congelante ſuper ignem, ad modum albuminis ovi, à quo tamen in aliis differt experimentis, puta in affuſione Sp. vini rectificati olei tartari per deliquium, &c. quæ coagulum inferunt albumini ovi non ſero ſanguini. Crudior eſt reliqua lympha ob minorem fluiditatem & ſpiritualitatem, forſan conceptam à Chyloſis craſſioribus alimenti particulis, ſæpius ſeſe illic exonerantibus, ubi ad ſanguinis laticem pertingunt, antequam nempe motu ſufficienti attenuatæ fuerint particulæ lacti ſimiles.

Ipſa alimenta præbent lympham, mediante ſalivæ intermixtione & humoris gaſtrici dicti, ex glandulis ſtillantis in ventriculum. Hæc enim

expreſſa, per motum & compreſſionem ventriculi, in quantum non admodum balſamica-oleoſa, priſtinas recipiunt in viribus auctas figuras, à partieulis oleoſis & mucaginoſis alibilium intermixtis. Hiſce accedunt potus dulcioris partes farinaceæ, facillimè cum ſuis ſpirituoſis liquidis ſeſe ſucco alibili intermiſcentes, tandem in lacteam ſeu chyloſam lympham concreſcentes. Partes autem quam maximè oleoſæ, per calidum motum exaltatæ, primò flavæ, poſtmodum ſeparatione fluidi illius intrinſeci magis aquei rubræ evadunt, ſanguinem conſtituentes. Utræque vero hæ lymphæ, nondum ad perfectionem evectæ ſeſe offerunt, ſed tantum ad modum Aquæ pluvialis, quibuſvis miſcelis & mechanicis ſtructuris recipiendis aptæ natæ exiſtunt, attamen irriationis omnis prima inſtrumenta exiſtunt, unde reliquæ modificationes aquarum reſultare videntur. Quemadmodum igitur aquæ ſemper neceſſariæ in motibus propulſivis & inteſtinis corporum, ſic etiam hæ lymphæ appropriata conſtituunt vehicula, craſſioribus corpuſculis in actum deducendis, imo ſæpiſſimè iiſdem dirigendis ad diverſas tendentias.

Lympha in duas potiſſimum dividitur ſpecies, ſubtiliorem nempè & magis craſſam. Subtilior duplex eſt, primo quæ in nervis elaboratur, ac in cerebro ad ultimam perfectionis notam deducitur; ſecundò, quæ ex ipſo motu propulſivo & inteſtino, per meram frictionem & attritionem humorum & alimentorum, in halitus vaporoſos reſolvitur, partimque ventiformem init figuram. Hæc ubique, ſed præſertim in Ventriculo & Pulmonibus ſeu Cordis motu elaboratur, poſtquam

quam motus validiores inire coacta alimenta craſſa, ac chylus ſanguini per venas infundendus, plurimos dimittere halitus conſuevit, rorida evaporatione corpus totum pervolitantes. Eodem modo ut in omnibus contingere ſolet motibus, Aeris beneficio & mutua preſſione peractis innumera effluvia protrudentibus, quibus vicina occupantur loca.

Exinde duo prodeunt commoda, Oeconomiam noſtram valdopere ſuſtentantia, ad leges ſuarum naturalium functionum exacte præſervandas. Primo, ut vaſa, ab omni parte diſtenſa, humida & mollia ſerventur, rore illo ventiformi, tanquam aura blanda undique cincta. Secundo, ut Aeris ingreſſus non abſque illa miſcela modificante procedat, ſed ejus injuriæ arceantur, veluti proprium aerem ſpirante noſtro corpore. Hæc quantæ ſint neceſſitatis, reperiunt illi quibus defectus illius humidi tenuis adeſt, ob alimentorum penuriam, in oſcitatione famelica, belgis de *Geeuvvhonger* (unde quaſi ſuffocantur animique deliquiis atrociſſimis ſubjiciuntur, ut & ii, quibus pulmones laborant, perpetuo in tuſſim proclives, ſi aere liberiori afficiantur, ejuſdem autem immunes, ubi aerem propriis exhalationibus in anguſtias coactis repletum inſpirant, Mucago enim volatilis, impedit ne partes nimium ſalinæ aeris inficiant vaſorum fibras & tunicas, extremaque nervorum oſcula, ut ſæpiuſcule mediante rore contingit, peſtiferam vel quamcumque contagioſam aeris modificationem tollente; ut & in mollibus Zephyris acredinem aeris mitigantibus; prout etiam in medicamentorum halitibus, oleis, ſpiritibus, ſalibus volatili-

tilibus, corpus noſtrum ſolo odore ſuo refocillantibus. Sunt hæc vera moderamina acrium & igneorum effectuum, quamdiu molles diffundunt aqueas exhalationes, flexibilitatem & poroſitatem partium ſolidarum, quantum poſſibilè conſervantes, alias enim oleum igni addunt, id eſt malum ſenſibiliter augent in. Morbis acutis, prout poſtea in practicis obſervationibus ulterius liquebit.

Quæ in nervis perficitur, ſub nomine Spirituum animalium ſeſe Medicis præbet, nomine effectis egregiis celebris, vix autem in ſua idea penitus perſpecta latitat. Igneam ac lucidam lymphæ partem hic produci, veroſimillimum eſt, quoniam ejus actiones radiorum ſolarium adinſtar velociſſimæ exiſtunt, ac merè igneæ evadunt, ubi rapidiori curſu concitata, inflammationes profert, ſenſuumque violentas exacerbationes incitat. Veriſſime igitur, ſpirituoſiſſimæ lymphæ nomen poſſidet, ob exaltationem ſpirituoſioris ac tenuioris lymphæ imperio Animæ immediatè ſubjiciendæ. Ejus inſuper functiones vividæ, imperantes toti corpori quà fluido quà ſolido cernuntur, ut abſque illius nutu, nihil producatur in motu & ſenſu naturalibus, nec circa ipſam vegetationem, nec circa debitas cogitationum modificationes.

Idem igitur in noſtra machina, hoc velox fluidum, Naturam ſpirituoſiſſimi ſulphurei corporis æmulans non niſi in vivis, per eximia phænomena conſpicuum, peragit, quod globuli Ætherei luminis, in aere & toto hoc mundano ſpatio per excellentiam agere obſeruantur, ſua penetratione, luce, & calore.

Aſſi-

Assimilatur etiam spiritibus tenuissimæ texturæ subacidis volatilibus sulphureis, Chymica arte prolectis, texturam integram diutissime in corporibus conservantibus, eorundemque fluiditatem egregiam promoventibus, hisce enim privata corpora langueſcunt ad corruptelam prona.

Floridus ergo in suis omnibus circumstantiis nostræ Oeconomiæ status, seu perfecta sanitas, ab hisce dependet particulis bene constitutis, quoniam in reliquis ad umbilicum deducendis humoribus, earum auxilio opus est, prout in vegetatione, accessu luminis solaris & particularum salinarum, quævis corpora apicem suæ figuræ ac molis acquirunt. Hæc patent in obstructione, flacceſcentia & subsidentia Nervorum, ruinam sensus & motus, à negata spiritualis illius humoris influentia, secum trahentia, ut & in nimio ejus defectu, aut aquositate seu lymphæ vappeſcentia, ubi vividæ requisitæ irradiationes, pro maxima parte abolentur aut retardantur, inter nebulas & aquas crassiores, totum corpus occupantes. Contrario autem modo sese res habent, in nimio eorundem motu progressivo, ad unam nempe partem violentius Spiritus hi deflectentes, arietatione sua insigni, sensum ac motum augent, cum inflammatione acri. Eodem modo, prout Syrii solent æstus, ex radiis solaribus producti igneos motus inferentes illis locis, quibus nimis diu insistunt, deficiente humido illa corpuscula temperante.

Eadem est ratio effectuum sensibilium, ex acriorum salinorum ac oleosorum abusu procedentium, tam in Alimentis, quam Medicamentis,

tis, imo & in Venenis. Hæc enim nervoſum genus per excellentiam afficientia, inſtigant Spirituum limphaticorum motum progreſſivum & inteſtinum, æthereiſque plurima extricatas aſſociare cogunt particulas, unde Aer internus nimium ſubtilis, humoren admodum attenuati, lucidaque Spirituum igneorum effecta in apricum prodeunt, leges motus maximoperè exacerbantes.

Limpha craſſior, propriè limphæ & ſeri nomine Medicis cognita, eſt aqua noſtri Microſmi, diluens & vegetationi inſerviens. Hujus actiones ab ipſius figura varia reſultantes, ſunt innumeræ ac admodum variantes pro Natura ipſius loci, in quo nidulatur & elaboratur. Comparativè ſeſe habet ad aquas mundanas, diverſa crypta ſubterranea perluentes, varias exinde particulas terræ differentis avellentes ac ſecum vehentes, unde ſpecies aquarum poſtmodum reſultant diſcrepantes. Hæc quantoperè faciant, ad eventus praxeos Medice rite dirigendos & cognoſcendos, ii facile perſpicient, quibus aquarum diverſarum miſcela, miros Naturæ luſus ob oculos ponens, cognita fuerit, omnem ſæpius corporearum actionum ſubverſionem aut emerſionem accelerans aut retardans. Hinc ad majorem rei tam neceſſariæ elucidationem, ſequentia ſunt conſideranda.

1. Partes ſolidas eſſe varias, ac certis modis diſtinctas in noſtra machina.

2. Eas obtinere fibras quaſdam contextas, & cavitates ex illi fibroſis partibns conformatas.

3. Haſce fibroſas contextiones eſſe varias, ac diverſo nomine inſignitas, putà membranas, tendi-

tendines, glandulas, nervos, ligamenta, &c.

4. Dari insuper massas distinctas ab aliis, filaminibus fibrosis attamen, continua cum aliis serie, conjunctas, in certis appendicibus seu extremitatibus.

5. Singulas hasce massas, propriam quasi figuram cavitatum obtinere, ab aliis semotam, & sua motus libertate utentem.

6. Fibrosas hasce texturas, esse porosas & pervias, vasellis, massulis & canaliculis propriis instructas.

7. In hisce omnibus, humores contineri, premi, modificari ac pro tempore detineri, in illo exercitio ibidem prosequendo.

8. Hosce humores, tandem ulterius ad vicina loca pelli, ubi ad miscelam transire coacta, pristinas deponunt, novasque de novo acquirunt modificationes.

Solidarum partium varietatem Anatomicus ostendit, ibidemque constructiones distinctas à se invicem, visendas tradit. Fibrosa vasorum involucra præbet, eaque nominibus suis discernit. Massas præbet separatas, ut Hepar, Pulmones, Cor, Ventriculum, lien, Renes, pancreas, Cerebrum, glandulas innumeras, aliaque id genus referentia. Tandem pervias ac porosas omnes hasce partes majores, minores & minimas esse, ad oculum demonstrari potest, & Anatomicorum Filii illud satis superque exhibuere. Ita ut nihil dubii ea in re permaneat, nisi ipsa demonstratio diserepantiæ ipsorum humorum ibidem commorantium, quæ sequentibus ratiociniis & experientiis naturalibus eluçidabimus.

Lim-

Limpha in principio, merum jusculum existit alimentorum. Hoc transit in succum humanum, accessu limphæ humanæ. Ille succus primo albicans, sensim dilutior & limpidior evadit, per immediatam penetrationem limphæ spirituosæ & extricationem partium tenuium, ope calidi motus, unde attenuatio maxima illius prodit. Ad hoc punctum ubi pervenit, dicitur serum in genere, quamdiu intermixtum sanguini manet, ac nullam specificam videtur iniviſſe determinationem, nisi talem; quæ relationem ad totum corpus habere potest, ut aqua pluvia in Mundo.

Hoc serum, extra sanguifera vasa delatum, tunc primùm limphæ nomen acquirit. Hujus elaboratio, in propriis fit vasis, nempe glandulis & vasis limphaticis. Hæc vasa non admittunt serum, nisi cum levi ejus alteratione. Alteratio hæc, ex aliqua miscela tenui fit sese offerente in primis illorum ductuum viis. Hæc miscela producitur ex limpha, ibidem in cryptis illis angustioribus elaborata, sensim ex angustissimis vasculis excidente, per expulsionem & irrigationem meram internorum parietum. Hæc limpha, ex fibris & tunicis colligitur, & verè essentialis est ei parti, quoniam diutissime ibidem hæsit, ac per angustias illas reptando, eundo, redeundo, pinsationum ultimos acquisivit modos, quam maximè necessarios ad illam reactionem obtinendam. Hæc congesta, circa interiores vasorum cavitates etiam minimas, dicitur mucus. Hic mucus, est species medullæ balsamicæ & vitalis illis partibus, nam ejus defectus est ruina locorum.

Hi

Hi muci, eò ſubtilioris magiſque ſalinæ Naturæ, quò anguſtiora fuerint loca, in quibus procreantur. Hæc ſubtilitas, ex preſſione & frictione reſultat, terræ nexum ſolutiorem reddente. In hiſce, figuræ debitæ conſervatio permanet, & per conſequens actio nobilitata prodit. Hæc figura, illis non omnibus locis propria & peculiaris evadit, ac perſiſtit, quamdiu ſolida perſtat partium cohæſio, ſuo modo determinata. Ad modum igitur aquarum, internas terræ noſtræ cavitates replentium, hæ limphæ ſeſe ſiſtunt in diverſificatione locorum, diverſis mineris & terris dotatorum, ſenſim per alluviem externæ aquæ abripiendis. Sic aqua fontana, rupeas & arenoſas; aqua putealis, limoſas; aquæ thermales, ſulphureas; aquæ minerales, metallicas vehunt partes, quibus nomine & actionem diſtinguuntur.

Miſcela harum limpharum, novas proferunt actionum ideas. Actio à figura dependens, neceſſariò involvit figuræ revolutiones, ubi in hac cavitate talia, in altera iſta, in tertia neutra effecta proſiliunt, ab utriſque præcedentibus diſcrepantia. Hæc ulterius confirmant extirpationes aliquarum ſolidarum maſſarum, ſecum vehentes negationem illius humoris limphatici. Sic Hepate obſtructo, ceſſat productio Bilis & biliosæ limphæ, idem in liene, vaſis ſeminalibus & reliquis contingit. Non ſola etiam hæc loca, tali modo laborare cernimus, ſed etiam remotiora, quæ diverſimodè alterata cernimus, ex defectu illius miſcelæ conſuetæ, in naturali ſtatu. Sic negata elaboratione bilis, Icterus producitur, totum corpus defædans, functiones

ple-

pleraſque retardans, ex defectu illius ſalis lixivi oleoſi. Sic ſeminalium vaſorum abolitio aut obſtructio, feroces refrænat cogitationes, vocem imminuit, barbam impedit, &c.

Prout in motu inteſtino, ſic in omni miſcela, duo effecta occurrunt, ſeceſſus nempe & coordinatio. Utraque hæc effecta, abſolutè neceſſaria machinæ noſtræ, in toto perſiſtunt vitæ curriculo. Prius effectum, quam diu leve exiſtit, inſenſibili vel conſueto Oeconomiæ noſtræ modo agens, inutilia aut impura ab utilibus & puris ſegregat. Hoc, ultimum exaltationis punctum inducit, in quantum oneroſas partes dejicit, figuram exactam determinans.

Seceſſus, fit per motus inteſtinos. Hinc motuum inteſtinorum perpetuationes adſunt, quamdiu vita noſtra ſuas abſoluit & proſequitur functiones. Hi autem motus, principia eorundem obtinent leviora, fines autem nunquam aſſequuntur illorum motuum conſuetorum, in Chymicis operationibus, abſque detrimento univerſali Oeconomiæ Humanæ. Proximæ cauſæ illorum, ſunt hæterogeneus fluido-ſolidorum alimentorun concurſus, & calor ex frictione & attritione particularum proſiliens, impetu ferociori ſeſe quaquaverſum diffundens, ut & Aeris imprægnatio gravis. Impedimenta progreſſus æqualis eorum motuum, ſunt continui affluxus particularum extranearum, actiones priſtinas divertentium, ac ad alium motum deducentium, ut patet ex inſinuatione Bilis, &c. Hæ enim partim impediunt priſtinos motus, partim illos tranſire cogunt ad contraria effecta, ut patet in plurimis ſanitate gaudentibus, nunc hæc nunc illa iniquè ferentibus,

pro-

propter diſpoſitionem humorum variantem.

Seceſſus partium, in humoribus ex duplex, fluidus & ſolidus. Hi modi, nullatenùs diſcrepant ab omnibus aliis, nam eadem eſt externi motus ratio, in quibuſvis motibus inteſtinis, duplici illo modo conſideratis. Fluidus partium ſeceſſus, ſeſe manifeſtat in ſudoribus & urina. Sudor, eſt pars tenuior, fæces leviores repræſentans ſupernatantes, ut & halitus ſubtiles exindè evaporantes. Ideoque conveniunt, hæ ſubtiliores fæces cum aliis, in effectu ultimo, nam utræque collectæ & exhibitæ purgant. Tranſpirationes inſenſibiles, comparari queunt cum halitibus tenerrimis, ex eodem motu productis, nervos narium ſæpius in utriſque laceſſentibus. Hæc effluvia, quamdiu minora poris & glandularum minorum vaſculis ſubcutaneis protrudunt corpora, tamdiu inſenſibili modo pergere dicuntur, adeoque ſtatum Oeconomiæ integrum repræſentant. Ubi vero craſſitie, acie, & figura incedunt perverſa, pororum, canalium tubulorum & cavitatum parietes intergerinos inquietantia, moleſtantia, vellicantia, tunc labefactata variis modis Oeconomia obſervatur, ut poſthac latius, in inflammationibus, pruritibus, abſceſſibus & reliquis diaphoreſis inſenſibilis vitiis, Morbos innumeros inducentibus.

Urina, eſt colamen ſeri & limphæ minus balſamicæ, magis vero ſalinæ. Hæc, ſeſe extricare nequit, à conſortio reliqui ſeri, niſi per quandam reactionem, producendam à corpore extraneo. Corpus illud, eſt ſalſuginoſus humor, circa illa vaſa deliteſcens, & in iiſdem elaboratur. Salinus ille humor, eſt ſubacidæ naturæ, ad

muriaticum pertingentis, ſimul tamen de craſſo oleo participantis, ad modum Tartari crudi. Hic, leves inferendo præcipitationes, limphæ partes ſecernit ſeroſas ſale gravi refertas, à balſamicis & mucaginoſis mollibus. Quemadmodum ſudores, nunquam impunè dimittuntur ſine hac ſequeſtratione particularum, alias enim cutis, reliquaque exareſcerent loca nutrimento deſtituta. Urina, inſuper eſt pars maximè aquea, attamen ſale extricato copioſo referta, potuum & ciborum. In ea etiam reſident, olea ſeu tincturæ eſſentiales humorum, ex alimentis & potulentis ingeſtis, per colaturam & præcipitationem perſiſtentes.

Solidiores partes ſunt, excrementa Alvi. His etiam cerumen aurium annumerari poſſet, ſed vix tanta in quantitate illud apparet, ut inter excrementa annumerari debeat. Excrementa alvi, ſunt producta inteſtinorum, ex reactione bilis craſſioris cum limpha & Chylo, ad motus inteſtinos ſimul feſtinantium. Hic motus, videtur eſſe intermedius, inter effervescentiæ, & fermentationis leviſſima principia poſitus, oboriturque ex craſſioribus oleoſis alimentorum partibus, validius concuſſis & decuſſis, per bilis & ſeri abdominalis concurſus. Abſque dubio hiſce ſuccurrunt motibus halitus acidiuſculi, ex alimentis impunè ibidem delati, nam quò magis illi vigent ac incitantur, per fermentantia aut in fermentationem valde prona, eò magis hæc excrementa in copia accreſcunt.

Fætor excrementorum, ex illa reactione & inde ſuccedente præcipitatione emergit. Hoc teſtantur pleraque ſulphurea, præcipitationem ineuntia

tia ſummo cum fætore. Sic enim Bilis, cum acido congrediens precipites craſſas edit partes, abſque fervore ullo conſpicuo, fætidos attamen halitus, inſtar excrementorum quamvis edat. Putrefactionem hic nullam locum habere, demonſtrant deſtillationes, nullum ſal volatile aquam præcedens exhibentes, quod tamen fieri deberet, ſi mediante ſolutione continui hæc phænomena eſſent peracta. Fæcum ut & urinæ colores differentes, ex hac miſcela & reactione dependent. Color enim, variat triplici modo, primò per ſalia præcipitantia, aut certis modis afficientia corpuſcula minima ſolida liquidis interſparſa; ſecundò, terræ diverſus nexus & copula, ſitum, ordinem & cætera infinitis modis alterat, mediante acceſſu & receſſu particularum, ſuperficies illas alterantium; tertiò, motus propulſivi & inteſtini, eadem in effecta conſpirant, nunc planam, nunc aſperam, nunc laceram texturam, inducendo. Hinc color varians, duas agnoſcit cauſas, externam nempè & internam. Externa, eſt quævis arietatio, impetu ſuo majori minorive procedens; interna eſt tumultus varius ſimpliciorum particularum, bellum inteſtinum gerentium, è quibus tinctura, color, conſiſtentiæque emergunt innumeræ. Hi colores, ulterius ſeſe extendunt in ſuperficie corporis noſtri, undè facilis coniecturæ imo experientiæ locus conceditur, ſudorifera nempe corpora, etiam tales admittere diſtinctiones, ut in plurimis patet induſii commaculationibus. Hi colores autem, rem ipſam non variant, niſi levi & ſuperficiali modo, quamdiu motus inteſtini feroces, aut copulæ majores, figuræ alterationem

maximam non inferunt minimis illis texturis.

Omnes hi excrementitii humores, utrique adsunt ſexui, naturaliter & abſque læſione Oeconomiæ. Sed horum uſus maximus præcedit, antequam eliminatio ſuccedat, circa illas cavitates ubi pro tempore elaborantur & commorantur. Uſus eorum eſt ſalinæ ſubſtantiæ elaboratio, hiſce & vicinis vaſis inſeruientis. Hic ſal, eſt ſpecies muriæ ſeu muraticæ limphæ, ſenſum & actionem reliquæ limphæ ſtimulantis ad majores progreſſus, ut & ad conſervationem à prutredinis nota. Hinc vaſa ſeminalia, quam proximè ad illa loca diſpoſita apparent, ut eò ſalaciora evaderent, ac ad irritamenta voluptatis, eò ſenſibilius incitarentur. Ipſique ſudores, ſalini utplurimum guſtu ſeſe exhibent. Ulterius illud evincunt, partium illarum Morbi valde ſalini. Limpha igitur illis locis conſueta, nutritioni iſtarum partium inſervire cogitur, antequam in merum tranſeat excrementum ex corpore ſecernendum.

Menſtruus ſanguis in Mulieribus, an ſit ſpecies excrementi, multum diſceptatur inter Medicos. Hunc nullo modo excrementi naturam obtinere credo, ſed tantum extravaſationem eſſe meram humoris Naturalis ſtatuo. Excrementa enim, ſuum excernendi modum continuant per totum vitæ curriculum, hic autem in ætate tenella & provecta ceſſat, abſque ſanitatis diminutione. Excrementa integram admittunt reactionem, cum immutatione haud levi ſuarum partium, hic vero integer cernitur ſanguis extillans ex vagina Uteri vix mutatus, Excremen-

ta

ta odore, colore, aliisque qualitatibus vel accidentiis corporeis mutatis, sese exhibent, hic vero in statu permanet integro. Unde fæculentiæ esse nequeunt, sanguinis menstruationes, quoniam requisita pleraque, si non omnia desunt. Adde, quod ex rupturis diversorum vasorum, hæmorrhagiæ tales plurimæ occurrant, ut in hæmorrhoidibus, nephitide acuta, hæmoptoe, hæmorrhagia narium. Temporarias illas sanguinis profluentias, æque in his quam in illis, æque in Viris quam in Feminis, observamus. Imo ad vicissitudines motuum ac expansionum internarum, humores agitati distendunt, disrumpunt, dilacerant illa vasa tenella reddita, nunc his nunc illis Lunæ phasibus, ac externis Aeris accessibus illos motus intestinos foventibus. Dantur insuper Viri, mensibus singulis stillicidia sanguinea involuntaria patientes, ad modum muliebris menstruationis.

Menstruatio perficitur, motu acri intestino glandularum uterinarum. Hæc acredo, est species pruritus salini, eo tempore invalescentis, frictionem & rasionem magnam circa illa vasa producentis. Hæc actio oscula reddit hiantia, illaque nimium laxat, diæresinque concipere cogit, unde exstillatio seri & sanguinis colliquati. Modi illius motus, à salsedine excrementosorum halituum, ab Spirituum fortiori influxu post illam irritationem, ab cogitationibus lascivis, ab turgescentia humorum tenuium, ab vasorum magis minusve crassa textura, variare & incitari solent. Reliqua circa menstruum sanguinem indicia, ab illo motu intestino & differenti limphæ salinæ statu dependent, à qua suam, prout

reliqua, nanciſcuntur diſcrepantiam, in omnibus ſuis circumſtantiis. Non ſolus Uterus, ejuſque annexa vaſa, hoc affecta motu acri obſervantur, ſed etiam medulla ſpinalis, abdomen, caput, reliquaque illius Machinæ loca remotiora. Hoc patet ex ſenſu, aliiſque Phænomenis tempus menſtruationis præcedentibus, concomitantibus, ſubſequentibus. Illud demonſtrant etiam Morbi, iis temporibus periculoſiſſimi, ac vix ullam non ſolum curam admittentes, ſed remidiorum effecta non raro immutantes, undè etiam eo tempore à Remediis potius abſtinent. Effecta pathematum Animi, iis temporibus maximi cernuntur, ac veluti irradiatione quadam Spirituali, menſtrua profluvia immediatè aucta, alterata vel imminuta cernuntur, ex levioribus cogitationum ſuccuſſionibus, motus illos dirigentibus.

Menſes, ſunt plerumque deviantes à Lunæ phaſipus. Certa enim nulla datur menſtruationis periodus, niſi rariſſima, ac deflectit per omnes orbis motus, pro conſtitutione illius ſalacis motus inteſtini. Hinc figmentum eſt merum verſiculus Medicus, *Luna vetus Vetulas, juvenes nova Luna repurgat*. Color, conſiſtentia & revolutionum periodi, ab inteſtino motu, Spirituum irradiatione, & limphæ diverſitate dependent. Sic tardè recurrunt menſes, imo ſæpius abolentur, in Chloroſi, Cachexia, Hydrope. Sæpiſſimè luxuriant, in acredine humorum, in Spirituum copia, in motu validiori plethorici corporis ſingulis tribus aut duabus ſeptimanis. Ab acidi ſeri redundantia pallent, in grumos concreſcunt, lividi evadunt & fætidi

men-

menſtrualis ſanguinis fluxus. In relaxatione vaſorum ſpermaticorum, limphaticorum & glandularum, fluor non ruber ſed albus ſeroſus exiſtit, ſat diuturnus & frequens. Quod deſignat, à ſeri vel limphæ priori motu hanc profluentiam oriri.

Menſium retardatio, non eſt cauſa primaria mali in Virginibus & Mulieribus. Obſervamus enim plurimas, abſquè menſtruatione vita frui ſana, per totum vitæ curſum, dummodo minori humorum ferocia abundent. Plures etiam per aliquot menſes, imo annos, perſiſtunt abſque ullo incommodo, menſtruatione nulla apparent. Ipſi etiam menſes, non eadem ætate accedunt, nullo cum ſanitatis detrimento. Copia, duratio, conſiſtentia, menſtrui fluxus indeterminatus in pleriſque. In hac enim per octo, in illa per quinque, in iſta per tres, in alia per unum abſolvitur diem, quamvis æqua exiſtat in omnibus ſanitas. Sola igitur actio motus inteſtini, nimis diu continuata abſque partium aliquarum receſſu, & ſtagnatione perverſa corporum malè exinde figuratorum, in cauſa eſt, ut illiada malorum inde naſcantur. Si enim hic motus pereat, circa illa loca, perit effectum illorum, inde propullulantium corporum, ad reactionem ulteriorem tendentium. Illud patet in morbis Mulierum valde iis temporibus ferocientium, per motus inteſtinos acres reliquis humoribus communicandos, ſtatim mitigatos per ſublationem illius motus. Hi autem, ſi deficiant illis temporibus, Morbi mitiores exiſtunt, ſi vero extraordinariè ſuperveniant, peſſima præſagiunt. Medicamentorum uſus, illud quam maximè

evincet, verum quoniam de iis posthac acturi sumus; illa nunc præterire libet. Menstruus sanguis, fœtui alendo inservire nequit, utpotè qui accidentaliter tantum profluit, ex irritamine vasorum acri, non autem eo modo quo alimenta vegetationi tenellæ inservientia. Adde Mulieres menstruantes, per totum imprægnationis tempus, ipsaque menstrua sæpius in collo uteri tantum absolvi, & facile manifestabitur impotentia alituræ ex hoc fonte.

Corpora defæcata, puriores ineunt miscelas ac compositiones egregias. Hæ coordinationes corporum, necessariæ sunt, ut exactius superficies jungantur conformatione magis uniformi, post rejectionem hæterogenearum partium, illam æqualitatem turbantium. Coalita fluida, humores dicuntur, ex una scaturigine prodeuntes, ac inter se quodammodò assimilandi Limphæ diversæ speciem præbent, in quibusdam accidentiis variantem, in plurimis concordantem. Sic Bilis, ex fortiori partium frictione oriunda, amaritiei notam cum flavedine acquirit, postquam in suis vasis perfectionem obtinuerit, ipsaque Bilis specimina & primordia in ventriculo & glandulis vicinis, nimium agitatis ab acri oleosarum particularum æstu, sæpius apparent iis, quibus acria oleosa ac pinguia frequenti sunt in abusu. Attamen perfectio bilis, ab iis vasis & poris biliariis dependet, ex ejus tunicali humore & motu, illum humorem elaborante, alias in cassum Bilis exspectanda venit. Fortior Spirituum motus, materia acrior, copia olei, valde ejus abundantiam promovent, motusque intestini feroces ejus fluorem ac regurgitationem in

cam-

campum prodire faciunt. Ejus actiones seu functiones quænam sint, plurima torsit Medicorum ingenia. Fæcum eliminationi inservire nullus dubitat, ubi lubrica reddit intestina, eaque acredine sua stimulat, fluoremque fæcibus infert sufficientem. Sed non solas hasce, ejus esse actiones evincunt plurima, ubi lixiviali oleo, instigat serum & Chylum, ubi tenues profert halitus Spirituum & limphæ aciem foventes, ubi sensum acuit & stimulat sæpiusque ferociores inducit humoribus motus. Hæc enim patent in plurimis reactionibus, deficientibus ex ejus defectu & obstructione vasorum biliariorum.

Succus Pancreaticus, est pars notabilis limphæ abdominalis. Hujus effectum tantopere decantatum, à Celeberrimo Viro Sylvio non omnimodè ita rejiciendum videtur, quoniam ejus proprietas est fere ejusdem notæ, ut saliva. Uterque enim liquor accescit, si per se Aeri exponatur. An vero in statu naturali, ad eum finem evehatur, meritò dubitamus, saltem exindè liquet talem ei inesse potentiam, quam non omnes humores æquè possident. Ejus autem ulteriores proprietates, emicant in facilitate ad motus intestinos, austeros, acidos, serosos, flatulentos, schyrrosos, unde non minimam in sana & morbosa conditione nostræ Oeconomiæ authoritatem sibi vindicat. Lien, reliquaque vicina loca ejusdem sunt farinæ, respectu humidi illic producti limphatici. Hinc concurrunt in suis effectis, & conspirant ferè ad easdem tendentias, pondus nempe & gravitatem ut inducant reliquis nimium tenuibus & velocibus humoribus. Sua enim crassitie, & ad acidum austerum

ſterum proclivitate, conſiſtentia major adeſt reliquis nimium per ſe poroſis. Hinc ſcorbutica, melancholica, ſchyrroſa effecta, ut & Hydropis incunabula iis locis adſcribuntur. Exinde etiam dilutiones etiam plurimæ derivantur, Ventorumque internorum ſcaturigines, ex iis viciniſque locis petendæ utplurimum veniunt.

Semen, eſt limpha balſamica per excellentiam. Hujus proventus, in ſuis vaſis quærendus, unam cum reliquis ſortem ſubire cogitur, id eſt modificantes requirit particulas, in paraſtatis, vaſis ſeminalibus & reliquis ad id opus concurrentibus vaſorum fibroſis tunicis. Illud patet, eo eorum extirpatione, obſtructione, inflammatione, vappeſcentia ac mala conformatione, ſemen ejuſque opus extinguentibus. Spirituum copia, eò major in hac limpha quam in reliqua, ob ejus magis balſamicam ſeu glutinoſam, ab interno oleo dependentem conſiſtentiam, nullum enim oleoſum corpus, quod non ſpirituoſum & ſalinum ſimul exiſtat, ad terræ illius poroſitatem ſartam, tectam reſervandam. Ideoque hæc vaſa, tali in parte ſita ſunt, ut ab omnibus locis foveri & imbui poſſint medulla, ſale & Spiritibus animalibus. Copia enim adipis & axungiæ, non parva circa Renes, Inteſtina, reliquaque proxima loca; ſalia ex eorum reactione plurima reſultant communicanda vicinis; nervi implantati ſenſum Spirituum influxu gravi augent. An vero ſemen muliebre frigidius ſit virili, magnam involveret dubitationem, quoniam frigoris ideam ex actione, non ex Philoſophorum nec Galenicorum mera hypotheſi adipiſci nobis licet. Si verò, conjecturæ aut rationi humanæ

locus

locus cedatur, mobilius & fluidius, id eſt, ad motum inteſtinum pronius ſemen Muliebre cenſendum, quam Virile. Ratio in promptu adeſt, quoniam vaſa uterina humores, facile interno æſtu prurientes, continent, ſingulis menſibus ſuos motus continuantes & manifeſtantes in menſtruatione conſueta. Faciles hinc reſultare debent ex copula Maris & Fœminæ reactiones inteſtinæ liquorum ſeminalium, cum Mulieris ſemen ſit inſtar fermenti vivificantis & inſtigantis, ſemen virile, ad majorem attenuationem, & perconſequens penetrationem efficaciorem.

Differentiæ locorum, ſimul cum proprii humoris alluvie quadam, Aereas agnoſcunt modificatas partes. Hæ, in areolis & cavitatibus majoribus, conſpiciuntur, ubi interſtitia majora & hiatus adſunt inanes, inter ſingulas fibras concamerationem quandam vacuam craſſis humoribus permittentes. Hæc interſtitia variis inſerviunt uſibus neceſſariis, motui, diſtenſioni ſufficienti vaſorum, & humorum effluviis recipiendis, roridæ miſcelæ communicandæ, elaſticitati obtinendæ, frictioni partium impediendæ, & plurimis ventiformibus expanſionibus ac Morbis moderandis, qui alias ſemper lethales eſſent. Hinc Aere cinctæ partes, molli in undulatioae verſantur, flexibilem ſtatum retinentes. Non minimam inſuper, hæc concava loca Aereis propriis moleculis referta, addunt humoribus vegetationis ſuæ differentiam, ſed ſtrenuè res ſuas peragunt, ubi fovent & demulcent tunicas & fibras effluxu influxuque reciproco in poros. Eodem nempè modo, ut de Aeris

& Regionum diverſitate tradidimus, in Philoſophia Medica. Ventilationis illius Aereæ negatio, illud facile evincit, in Morbis acutis, ubi mediante inflamatione quaſi æſtu ſyrio uruntur, & hæ cavitates replentur vel anguſtantur. Quemadmodum Aeris nimia humiditas, Spirituum energiam enervat, ſic laxior ac humidior vaſorum ſtructura, ſeri copiam augens, Aerem illum reddit nebuloſum ſenſibus minus inſervientem, ut patet in Morbis frigidis. Mediante hujus Aeris & Spirituum animalium influxu, ultimi acquiruntur humorum fines, reſpectu ſuæ modificationis & vegetationis variæ. Exinde plurimi etiam proſiliunt Morbi, omnem Medicorum vulgarem induſtriam hucuſque ſubterfugientes, ubi ex Anatomia cadaverum, cauſas morborum inveſtigare pertinaciter expetunt, latentes in illis miaſmatibus viſui non facilè obviis.

Non opus eſt, hic ſingulos accerſere humores, ſufficit enim eos ad limphæ ſpecies varias reduxiſſe, eoſque in ſpecialibus ſuis differentiis inquiſiviſſe. Sic optimè notarunt Anatomici, diverſitatem limphæ ocularis, ſub nomine humorum ocularium, vitreorum, criſtallinorum, aqueorum, in ſuis tenellis membranulis, & tunicis verſantium, prout etiam in plurimis aliis locis. Haſce ſpecies, ad formam aquæ mundanæ agentes, ubi quis in ſuas actionum claſſes dividere & locare poterit, magnam profectò lucem Medicinæ exhibebit. Hac enim methodo partes affectæ ubi cognitæ, ſtatim remediorum actus patebit oppoſitus Morbis. Quantum autem pro tenello noſtro ingenio poſſimus, in ſequenti

mor-

morborum Theoria tentabimus. Succincta tamen & brevi descriptione, hanc rem aggrediemur, ut viam nobis calcatam, non tanquam omnibus numeris absolutam Methodum tradamus, sed quam ulteriori investigatione dignam, unusquisque observabit curiosus Naturæ minister, ad scientiæ & artis Medicæ sublimiorem acquisitionem.

FINIS.

THEORIA MORBORUM HUMANORUM.

UT Sanitas, convenientem involvit corporis quà fluidi quà ſolidi figuram; ſic Morbus eſt mera læſio illius figuræ. Per figuræ læſionem, actiones inverti debent quibus vis modis, tam in gravitate, levitate, pondere, numero, menſura ſuperficierum, in illis figuris peccantium. Actiones ubi mutantur, functiones etiam alterantur, & per conſequens Corpus illud laborat. Labores corporis, ſunt inconſueti motus & ſenſus, tranquilitatem illius Oeconomiæ turbantes. Hæc turbatio, dicitur Morbus, vel actio rei contra Naturam, ut Medici loqui amant. Contra Naturam autem nullum videmus motum corporeum, niſi in quantum relationem habent ad hanc Machinam, non verò ad omnes. Hinc Morbus, eſt rei alicujus motus, contrà Naturam Hominis inſiſtens.

Natura corporum, conſiſtit in legitima conſtructione ſolidarum, & debita preſſione fluidarum partium, vegetativo in motu perſeverantium, & ad eundem unicè tendentium. Vegetus

tus ille motus, eſt eſſentia ſpecifica determinationis omnium inde reſultantium functionum, dicebaturque Antiquis temperies vel Temperamentum corporum. Humana igitur fabrica, extra naturam corporum nullo modo poſita, eadem eſt cum aliis relatione habita ad conſtructionem illam mechanicam, fluidorum excercitia continua. Morbus ergo, contra naturam agit, deſtructione aut mutatione figuræ ſolidæ machinam conſtituentis, & alteratione motus humorum conſueti ſeu naturalis, cum functionum aliqua turbatione, ſeu impedimento.

Motus naturalis & vegetus, eſt is, qui minimam admittit confuſionem. Hic eſt motus propulſivus, aut leviſſimus inteſtinus, ex miſcela blandiori reſultans. Hac enim ratione, quam minimè à ſua recedunt figura, ubi juxtà ſe mutua fluunt corpora, vel leves admittunt, ſine læſione violenta, penetrationes & excidentias, vel molles adaptationes varias. Quæcunque igitur vi fiunt, violento cum ingreſſu, læſione, & motu inteſtino continuato & ſui juris permanente, illa omnia Morborum cauſas procatarcticas conſtituunt. Hiſce accedens elaborata figuræ inverſio, Morbum complet.

Corpora hæc, ſunt omnia quæ ab alimenti Natura recedunt. Morbus enim, eſt alteratio figuræ, quæ produci nequit, niſi ab alio corpore illam figuram corrumpente, adeoque hæc corruptela ex aliis cauſis provenire debet. Alibilia autem corpora, ſunt ea quæ hoc agere nequeunt, nam hæc ſeſe conformant figuræ corporeæ, unde neceſſariò aliundè petendæ hæ cauſæ. Quæ ab alimentis, petuntur cauſæ, non ſunt admittendæ

tendæ niſi in quantum, illud punctum attingere nequivere, vel in quantum Anguis in herba latuerit, vel in quantum alterationes continuatæ deflectere coegerunt ipſas partes alibiles à ſua figura. Sic crudiora, nimis acida & terreſtria nutritioni reſiſtentia; fermentabilia nimis acria ſalina; ſic infecta eorumque ovula, malignis qualitatibus inſtructa, vel aliqua venenoſa, ex terræ gremio inſinuata; ſic ipſi humores male in Morbis diſpoſiti, perverſas adferunt figuras alituram perturbantes, Morbos inducentes.

Ab alimentis recedunt, quæ motus violentiores, pertinaci & conſtanti cum actione proferunt per ſuam miſcelam. Motus violenti dignoſcuntur ex ſenſu, ſenſatio autem ex particulis motis, in nervoſum genus acrius illidentibus. Per motum enim frictiones & attritiones vehementiores, per eaſdem, effluvia ſalina tenuia, per hæc, arietationes inſignes & penetrationes plurimæ ad nervos, opeharum, acutæ reſultant ſtimulationes Spirituum, æſtuanti modo poſthac flagrantium. Hæc effecta, non poſſunt non producere ſenſationes triſtes, & conſequenter inferre læſiones, undè primordia Morborum. Ex hac valida corporum reactione, Spirituoſa ſæpius corpuſcula fortius inſtigata, vi ſibi viam parando quaquaverſum ruunt, derelinquentia ſuos carceres terreſtres & ſegniores aquas, relinquendas ſuo juri, minuſque poſthac activas evadentes.

Hinc duæ Morborum ſpecies enaſcuntur, calidæ nempè & frigidæ. Hæc differentia, ab ipſa actione petenda ſenſuum, non autem motus. Calor enim & frigus, in ſenſu ſibi invicem oppoſita

posita existunt, non autem in motu, utraque enim movere non desinunt corpus, sed in motu sæpius validiori videtur persistere frigidus Morbi insultus, quam in calidiori, ut patet in horripilatione, rigore, convulsionibus plurimis.

Calidi morbi sunt duo, simpliciter ita dicti, & maligni. Diversitas horum, dependet ab ipsa materia morbifica, ubi balsamica consistentia, salina-oleosa vel rigida resinosa evasit, magis minusve acuta & constanti in suis actionibus. Calor, in motu humorum nostrorum, præsupponit duo vel tria potius observanda, ac à medico prudenti summoperè prosequenda, quoniam ab hisce, signa sua petere cogitur, morbifici motus insigniter variantis.

1. Calor, involvit sensationem auctam. Sensatio manifestat nervosi generis affectum. Affectio nervorum, indicat ferociores actus humanos, in quibusvis expeditionibus seu functionibus Oeconomiæ. Ferocientes actiones, prima belli intestini futuri indicia designant. Nullæ enim de calore querelæ Medicis obveniunt, sine his mali suspicionibus. Naturaliter enim, calidis absolvuntur motuum periodis, omnes nostræ internæ operationes, absque ullo tamen incommodo.

2. à Calore, motus vehementia cum acredine pergit. Velox motus, producit rapidiorem superficierum circumrotationem, propulsivo & intestino motu validioribus eo tempore existentibus. Hæc circumrotatio, motui accedens intestino, decarcerat Spiritus salinos & particulas oleosas, exinde sui juris faciendas, ubi decussæ partes terrestres obtusæ, puncta retenta dimit-

tunt, aut iisdem eminentias aliquas concedunt, in ſporoſiori reddita textura. Hæ eminentiæ, aſperas & acutas efficiendo minimas, antehac balſamicas particulas, non poſſunt non ubivis ſenſibili nimis modo afficere vaſorum fibras, tunicas, nervos, ligamenta, membranas. Is ſenſus, dicitur dolor, inſeparabile à calore effectum.

3. Per motum calidum, junguntur ſalia. Hæc conjunctio ſalium, in ſero & effluviis ſeſe prodit. In ſero, quatenus detritæ partes, ſalia dimittunt ſolvenda in proximo ſero, nam ſalibus proprium eſt in aquis diſſolvi. In effluviis, ob humidum Aereum, ſub forma roridæ limphæ ſeſe offerentem, proprium ſalinorum halituum receptaculum. Hinc Aereæ internæ partes, undique ac undique punctis illis acutis ſtipatæ, ab omni latere violentos exaltant inſultus, ubi ſuperficies omnes vaſorum penetrant, Spiritus igneo vigore percellunt, limpham acriorem & corroſivam reddunt, ſerum aqueum profligant, motusque inteſtinos graves excitant.

Hinc non mirum eſt, quod omnes Morbi calidi, & calores per excellentiam moleſti, corpus lædant. Læſio enim, ab extricatione illorum punctorum dependet, ſeſe violentius inſinuantium in latera vaſorum, præſertim eorundem contractione fortiori. Ipſa etiam vaſorum intumeſcentia, nimia expanſione humorum motu inteſtino turgentium, in cauſa eſt, cur ſufficientes nec concedantur contractiones, nec diſtenſiones molles eorundem ſuccedant, ob rigidum fibrarum ſtatum. Hiſce accedit, defectus elaſticitatis internæ, partim excuſſi, partim nimium

mium fervidi Aeris, etiam à tergo inquietantis, punctuaſque ſenſibiles adaugentis. Exinde vaſorum rupturæ, vel nimiæ abraſiones, vel nimiæ diſtenſiones procedunt, poſthac tonum viſcerum debilitantes. Inde ſubſequentes oriuntur vappeſcentiæ, vel perverſæ fluidorum figuræ, ubi in vapores coacti Spiritus corpus ipſum derelinquunt, illudque ad quietem reducunt damnoſam, vel ubi diſciſſa & diſcontinuata fluidoſolida, inſtar pultis commiſcentur in abſceſſibus variis.

Malignitas morborum calidorum, ex ipſo lædendi modo dijudicatur. Modi læſionis, in vulgaribus morbis, ſunt ſuperficiales roſiones, & inflammationes partium ſolidarum. Hæ, febriles adferunt motus, quibus inteſtina effecta miſcelæ acutæ, in fluidis ſolummodo accedunt. Inſuper partes inflammatæ, rubedine rutilanti inſigniuntur, igneo vigore procedentes in ſuis actionibus. In malignitate vero, omnes actiones ſunt graviores, ab omni latere erodentes, dilacerantes, & diſcontinuantes ſolidam texturam. Haſce actiones, concomitantur præcipitationes funeſtæ particularum, fœdum in colorem migrantium. Illis accedunt deleteriæ functionum abolitiones, cum convulſionibus, deliriis, gangræna, ſphacelo, reliquiſque effectis violentioribus, non ita in vulgari morbo conſpicuis. Pertinax virium conſtantia, earumque diutina continuatio, tam in quam extra corpus ſeſe manifeſtans, in contagii propagatione, non minimam eorum malignitatem deſignat, ex ſtrage obſervandam. Motuum inteſtinorum tandem vehementia, ad ultimum faſtigium evecta, ho-

rum morborum atrociam, vulgares miris modis ſuperantem, optime profert, ubi immediatæ actiones, vix principium ſumpſere, quin ſtatim ad medium & finem feſtinante pede pergant.

Maxima morporum calidorum differentia, petenda ab humore nervaceo, magis minuſve à cauſa morbifica affecto. Sic morbi vulgares ſunt, quorum motus, ad intimiores nervorum receſſus haud ita pertingunt, niſi leviori miſcela. Ut & quorum adytus, non tam facilis ad ſenſorium commune. Hæ enim viæ ſunt perniciſſimæ in ſuo progreſſu, ſtatimque vitales præcludunt functiones, violentiſſimoque influxu, ac tenui ſua aura homines necant, vel atrociſſima inducunt ſymptomata, in diverſis locis affligentia. Vires enim, materia morbifica ſubtilius ad nervos permeans, acquirit per Spiritus animales, auram internam æthereamconſtituentes, ut miaſmata per aerem calidiorem in æſtate ſparſa, medicamenta & venena per calorem & ſalia.

Morbi frigidi ſunt etiam duo, aquei, & terreſtres. Aquei ſunt, qui ex vappeſcentia & rupturis vaſorum, & tunicarum eorundem producuntur. Terreſtres, qui ex concreſcente limoſa terra naſcuntur. Circa frigus, hæc notanda, in quantum obvia ſuut effecta morborum, à calidis diffarentium.

1. Frigus, præſupponit minorem ſenſationem acutam. Senſus in frigidis ſæpius ſat moleſtus, ſed nunquam acutus, quoniam craſſiores exiſtunt moles corporeæ magiſque obtuſæ, gravantes & diſtendentes nonpungentes ipſa vaſa quamvis

vis ſalia adeſſe obſervemus, ſed fixiori planiorique terræ juncta. Ideo reſpectu illius conſortii, graves exercent ſed ſimul tardiores operationes, quoniam uon tanta cum facilitate motui Ætheris & Aeris obediunt. Gravia hæc corpora, poros nervorum prementia, nimiumque obſtruentia, ſenſum ipſum, ab irradiatione Spirituum intercepta, hebetant & retardant, non abſque moleſta cogitationum ipſarum inhibitione vel prolongatione.

2. Frigus, indicat moles auctas humorum. Augmentum molium corporearum duabus debetur cauſis manifeſtis, defectui nempe calori & penuriæ Spirituum. Calor deficiens, ſecum trahit alibilis humoris minorem motum inteſtinum, quoniam præcipuus caloris fons in ventriculo bene operante reſidet. Hinc enim, ſalia, olea, Spirituſque tenues, ex frictione & attritione alimentorum ingeſtorum copioſe proſiliunt, corpus ac præſertim nervorum genus alacrius incitantia & ſtimulantia, unde in frigido ſtatu, ab eorun corpuſculorum penuria, langueſcente nempe ventriculo, omnia frigido committuntur motui. Penuria Spirituum, exinde in campum prodit, pabulo illo nobiliori deficiente. Hoc patet, in ægris morbo frigido detentis, in vere & æſtate facilius ſuum morbum ferentibus, imo levamen Morbi perſentientibus ob acceſſum copioſius influentis materiæ ſubtilioris ſalinæ per Aerem ſparſæ, fortius in illos tardos humores arietantis, illoſque ad maiorem independentiam reducentis.

3. Frigus, concreſcere & coire ſinit Aquas & Terras. Hæc coaleſcentia fit, ubi oblongiorem

ineunt figuram, antehac ſphærulis ſimiles partes. Fibroſa enim hæc ſtamina, irretitioni mutuæ magis apta, ſuperficierum approximationi majori anſam præbent. Hinc craſſities & lentor exſurgunt, in illis partibus, ineptis poſtmodum ad permeationem ramificatorum anguſtiorum vaſorum. Ineptitudo hæc, obſtructionum & infarctuum mater exiſtit, hærere enim ibidem coacta corpora, limoſas accretiones permittunt, ſæpiuſque duras in formas conſolidantur fluido potiori expreſſo. Aqueæ partes, repentes tantum cernuntur per ſe, ac vix locum mutantes obſervantur, niſi ope ſalium & Aeris auxilio, intermixtiſque leviſſimis, id eſt, poroſiſſimis oleoſis terris, Æthereæ materiæ nobilioribus excipulis, ſpirituoſum igneumque receperint vigorem. Hæc tarditas, functionibus vividis contraria, cruditati, ut Medici loqui amant, humorum principium, omnemque morbi frigidi progreſſum præbet. Rupturæ vaſorum & læſiones violentæ, proprie non ex lædente, ſed onerante & vaſa ipſa nimium infarciente humore, producuntur. Hæc diſtenſio, etiam in cauſa eſt, cur in morbis frigidis, caloris intermedia effecta elucent, ubi vaſa infarcta majus ſpatium requirentia, vicina loca anguſtant, premunt, alterant, fricant, reliquaque ibidem inflammationis ſigna externa efficiunt, internis occupatis locis attamen frigore eodem detentis.

Morbi calidi, ſunt breves. Breuitas hæc, relationem habet ad tempus ſeu durationem morbi. Oritur, ex motu & violento operandi modo, illarum particularum acrium ac tenuium,

vi

vi ſibi vias quaſcunque parantium, ut breviter ad ſuos pertingant fines. Hæ actiones veloces, communes ſunt omnibus, independentia magna inſtructis corporibus, præſertim in puncta acuta terminantibus, quibus non facile reſiſtere queunt, aliorum corporum obſtantes catervæ, quoniam per ſuperficies, ab illis dividendas, tranſitum violentum acquirunt. Acuti, peracuti, perperacuti inſuper nominantur, diſtinctione quadam graduum motus, ſeu vehementiæ motus morbifici. In his relationem habendam cenſeo, ad materiam peccantem, & partes infeſtatas. Materia peccans ſi corroſiva & deleteria, partes afflictæ ſi nervi ſint, aciem ultimam violentiæ morboſæ conſtituunt. In quantum ab hiſce recedunt, in tantum minus vehementia ſunt ſymptomata. Malignitas morborum, à materiæ agentis figura & mole deducenda. Figura aculeata & uncinata, eſt peſſima, præſertim ubi ſuffulta terræ levioris, attamen rigidæ, conſortio, ad actiones continuatas pergit.

Morbi frigidi, ſunt longi. Longitudo, ab craſſitie & majori immobilitate partium dependet. Hinc enim texturæ diutius perſiſtunt, minoremque particularum jacturam admittunt, ob negatam Ætheris & Aeris arietationem violentam, ut & ob Spirituum penuriam. His namque alis deſtituta corpora, rependo ſeſe movent, pauciores vero dimittunt halitus, jacturæ maximæ Authores. Torpidi & obtuſi ſunt morbi, nam ſenſorium commune languidius ab iis partibus craſſis afficitur, nervique flaccidi, non tenſi ut in calidis, evadunt, unde he-

betiores fiunt non ſolum functiones corporeæ, ſed etiam cogitationes minori lumine eradiantes cernuntur. Maraſmus & cachexia, ſunt effecta ſeu accidentia ultima frigidorum morborum, ex ſuffocante quadam partium præcipitatione, figuram limphæ naturalem omnino invertente, motuſque vitales intercipiente.

Cauſa morborum, & morbus differunt ut ſal & motus exinde ortus. Ubi cauſa ibi effectum, unumque ab alio inſeparabile, ſic Morbus nunquam viſitur ſine ejus cauſa. Inveſtigatio autem cauſarum, ſua ſcatet utilitate, quoniam cognita cauſa, facilior eſt inventio remediorum. Cauſam comparavimus ſali agenti, quamvis terræ interventus adſit, quoniam requiritur penetratio & miſcela mutua ad reactionem tendentium partium. Hæc in fluidis quam maximè obſervatur, abundantibus ſale penetranti, terreas moles ſolutas vehenti. Hæc ſalina corpuſcula, ex Aere, effluviis contagioſis, motibus inteſtinis violentis, exercitiis, calore, & reliquis in hoc mundo & noſtra machina extricantur, poſtmodumque morbiferas lues inferunt. Hæc ubi ſenſum perturbaverint, fibris adhæſerint, functiones læſerint, nervos labefactaverint, morbos eorumque ſymptomata manifeſtant.

Salia ſeu puncta diviſa acuta, nomen acquirunt, cum adjectivo, in Morbis graſſantibus. Ex morboſo enim motu, turbæ fiunt inteſtinæ. Hæ turbationes terræ naturalem nexum ſolvunt, alioque in ſitu & ordine eædem ſeſe diſponunt, cum dejectione craſſioris cohæſionis. Levior exinde terra facto, magis ſalina & ſeroſa vei ſpirituoſa evadit, ubi puncta illa jam deligata, excel-

cellentiori Ætheris & Aeris commercio nobilitantur. Hæ denominationes, ab illa punctorum coordinatione, aliisque in ſenſum incurrentibus accidentiis, hauriendæ, non clare nec diſtincte à Medicis ullis, niſi generalioribus ſub terminis propoſitæ fuere, ita ut in hac parte Medicinæ ipſius ſcientia valde conjecturalis exiſtat, non tam facile ex illis obſcuris notionibus emergenda, niſi lento paſſu procedant.

Huic inquiſitioni, ſummopere proficua eſt perſcrutatio originis ſaporum. Sapor, eſt ſolubilis corporis diſpoſitio, ad affectiones papillarum nervacearum linguæ. Affectio hæc, eſt levis penetratio illorum pororum, cum intermixtione quadam ſalivæ ſolventis. Hæc ſolutio, nunquam abſque ſale procedit, ſed ejus ope ſapida fiunt corpora, ejus defectus inſipida efficit. Differentia ſaporum, à terræ mutatione dependent diverſa, in ſuo ſitu, nexu, ordine, ſalium diſpoſitionem & actionem alterantibus. Sic eadem quæ inſipida ſunt, ſapida evadunt mera frictione, aſſatione, fermentatione, ſolutione. In quibus motibus, coordinationes aliquæ locum habent. Acerbus ſapor, ex acido fixo & acri; Auſterus ex graviori acido & terra fixiori lenta; Amarus, ex reſinoſa aſpera terra & volatili acido, Acris, ex muriatico volatili & oleo duro; Dulcis, ex molli mucagine oleaginea acido fixiori interno copulata; Inſipidus ad gratiam tamen vergens, ex alcalinis volatilibus, intimius mucaginoſis & palſamicis incarceratis; Fætidus, ex ſale alcalino, lacera in textura terræ nidulante, oboriuntur. Quæ omnia, ſuos agnoſcunt terminos & leges motuum & figura-

rum

rum . Sapores in ore peregrini , plerumquè præcedunt aut concomitantur ipſos morbos , ſat ſæpius moleſti , ex motu heterogeneo humoribus illato .

Morborum ulteriores differentiæ, petendæ à lædendi modo & partibus læſis. Lædendi modus, ex ſymptomatibus patefit . Symptoma , eſt effectum ſuperveniens efficienti primæ cauſæ morbificæ. Ubi cauſa eſt acris humor, lædens & inflammans partes eſſe debet ſua Natura, ubi ad actum procedit, convulſiones, deliria, febres , erunt ſymptomata , ſeu accedentia effecta ad præcedentia . Quamvis ſtricte loquendo , ſint mera effecta, ex Natura malignæ rei ſequentia . Hæc autem , pergendo in ſuis actionibus, Medicis tradunt ſigna ſuæ efficaciæ & promptitudinis actionum proſequendarum , ab unis ad alias partes . Unde non abſque cauſa, ſymptomata diſtinxere à meris effectis vulgaribus . Symptoma, igitur proprie loquendo , eſt congeries effectuum, oriundorum ex progreſſivo & inteſtino motu materiæ peccantis , tendentis , ab una in alias & nobiliores quidem partes, ex quarum functionum læſione , variationes ſymptomatum naſcuntur . Hiſce etiam annumerandæ , præcipitationes colore vario inſignitæ , maculis cutim in ſua ſuperficie diſtinguentes, ut & abſceſſus non uno nomine provenientes, nec uno talo procedentes .

Partes læſæ , vel occupatæ materia lædente , morbo nomen & effecta tradidere diverſificata . Nomen ubique patet, nam illud eouſque invalvit , ut Tyrones interrogati de aliquo morbo , ridicule idem per idem reſpondeant, ex: gr: quid eſt

Cepha-

Cephalalgia, reſp: eſt dolor capitis. Melius fuiſſet interrogaſſe, quid ſignificarent Græci per vocem Cephalalgiæ, ſi à Græculis ſolis noſtra haurienda ſit Medicina, omnibus aliis Gentibus antiquis ignota hinc ſtatuenda, quod ſat durum nec demonſtrabile arbitror. Sic modus effectuum vitiatorum, nomen etiam impoſui, ut Epilepſia Græcis, Morbus caducus Latinis dictus. Magis autem conſiderationem meretur, diverſitas affectorum locorum, in quantum reactioni diſcrepantiam maximam præbet, tam in ſymptomatibus, quam in medicamentoſa miſcela & in fine ſuæ tendentiæ ſalutem aut mortem. Quamvis enim Titius, Cajus & Sempronius eodem externo laborent morbo, in uno tertio concordante, attamen hi omnes febri quartana laborantes, ſymptomata obtinent diverſa & Medela non eodem ſucceſſu adhibetur, omniaque ſibi invicem in his tribus contrarianti modo procedere videntur. Rationem ſiquis inveſtigare velit, inquirat materiam peccantem tanquam cauſam primam, partem affectam tanquam cauſam ſecundam. In hac inquiſitione eadem reperiet, quæ in Chymicorum ſalibus contingere ſolent, ubi acida in uno vocabulo conveniunt, imo ſæpius in effectu ſolvendi, ſed diſpoſitio, ex ſolutione illius corporis varians actionem & pleraque accidentia, poſtmodum infinitis modis differre videbit.

Pars affecta, pro ſtatu ſuæ naturalis limphæ, in ſtatu præternaturali ſeu morboſo agit. Sanitas enim & morbus, gradu motus diſcrepant. Motus autem, à figura & mole dependet. Actio ſeu ractio motorum corporum, ab eorum conveni-

venientia reciproca profilit, in determinatione nempe pororum & ſuperficierum relationem ad ſe invicem habente. In ſanitate, hæc omnia blanda ſunt effecta, quibus conſueti inſenſiles peraguntur motus, quoniam puncta tenera ac diviſa terræ molles & balſamicæ, aquæ ſpirituoſæ & leves exiſtunt. In morbo, omnia ferocia evadunt, inconſueto modo Oeconomiæ placidæ leges turbantur, puncta gravia & juncta, terræ rigidæ & limoſæ aquæ nimis leves aut graves fiunt. Unde ea quæ ad levem ractionem in ſtatu ſano, nunc ad graves motus inteſtinos feruntur in morboſo ſtatu. Quænam illa ſit differentia, facile in chymicis apparet. Muſtum enim dulce balſamicum exprimitur, levi in fermentatione ubi perſtiterit, dulcedinem ſpirituoſam magiſque fluidam ſeu penetrantem, minus balſamicam, induit; fermentatione perſeverante, acidam dulcedini vinoſæ gratiam infert; ulterius extenſa vel iterativa fermentatione, aceti Naturam recipit, dulcedine omni depoſita: in Aere relicta acida, vappæ putrilagineæ indolem acquiruut, maximè ab his omnibus diſſentientis. Eadem, in morbis contingere facile obſervatu erit, per omnes ſemel conceſſos & continuatos motus inteſtinos. Illud patet, in febri continua, mutata in quotidianam intermittentem; ex quotidiana, in tertianam; ex tertiana in quartanam; ex quartana in hydropem, icterum, cachexiam, & cætera humorum effecta.

Hæc, pro diverſitate magis minuſve ſpiritualis Limphæ, feſtinantius vel tardius ad ſuas actiones & reactiones pergunt. Illud ſequitur ex Natura corporum, quò enim ſubtiliora, eò magis

gis independentia à ſe invicem, nam hac ratione Æthereis optimè parent motibus, tenuique ſua textura poros anguſtiores aliorum ſubeunt cum facilitate. Spirtuoſitas, à ſalium tenerrimorum conſortio uberiore oriunda, mediantibus ſuis punctis, tanquam tot cuneolis diſſindendo ſuperficies, viam ſternunt ad interna penetralia. In hiſce, diverſæ magnitudinis latitantes particulæ unà cum incluſo Aere, congreſſus & luctas mirè excitant, quibus mediis, in ſudoriferos partim reſolutæ halitus, nervos omnemque poſtmodum humorum maſſam conſitant. Ex contrariò, ſalia incarcerata craſſiori terræ, & aquæ copia nimis diluta, Ætherem & Aerem auxiliantes minimè habent, & per conſequens minor fit in omnibus reactio, minor partium mutatio, minor Spirituum jactura, undè omnia tarda & longa. Hinc eæ partes ſolidæ, quæ in ſtatu ſano craſſiorem elaborant humorem, tardos proferunt Morbos, quæ vero tenues efficiunt, celeres, breves & acutos edunt inſultus. Vbi vero obſtructiones meræ locum obtinent, ob eaſdem rationes, irradiatione ſpirituali deficiente aut negata, Morbos frigidos & longos efficiunt, ſin autem ad aliqua, inerti & craſſa materia referta, loca, acceſſerint Spiritus ſubtiles & acres, æſtu eadem corripiuntur gravi, prout reliqua. Idem obſervare licet, in Anni variantis tempeſtatibus, nunc calidis nunc frigidis, nunc humidis nunc ſiccis. Eadem occurrunt, in diverſitate regionum & locorum, paluſtrium, maritimorum, montanorum, ſicciorum, tranquilliori ſub Aere aut ventoſo & turbulento ſitorum & ſimilibus, quæ omnia Morborum proprias

prias quasi secum vehunt species, calore, frigore & symptomatibus plurimis distinctas. Ulterius hæc patent, ex alimentorum & vitæ consuetudine, humores disponente, ad Morbos calidos aut frigidos.

Præcipua Morborum cohors, à limpha provenit. Limpha est aqua vegetans nostrum corpus, inter omnes humores copia prævalens, imò ipse Sanguis minima in sua parte, rubedine oleosa instruitur, sed maxima in parte limphaticas obtinet miscelas prædominantes. Omnes visibiles & observabiles actiones, ex mixtione resultantes, à limphæ constitutione dependent. Separationes & elaborationes pleræque, ad limphæ variantis motum & nutum fiunt, uno verbo functiones & facultates ab ea derivantur. Mutationes subitaneæ, in Mundo æque ac in nostra Machina, ab aquarum inconstantia prosiliunt. Unde ipsi limphæ inconstantiori, non sanguini magis oleagineo, injuriisque motuum externorum validius resistenti, Morbi eorumque ortus & progressus sunt imputandi. Si autem sanguinis aliquæ, in hac ttagœdia, sint partes, illæ ab ejus sero derivantur, communicante tandem suam malignitatem motusve intestinos ulterius serpentes; prout olea & seva, diutissimè motibus intestinis resistentia, tandem succumbere coguntur violentis liquorum ipsa cingentium nisibus. Sanguis igitur quà liquor rubicundus & oleosus, pinguedo & similia ramosa, sunt balsama Vitæ sanioris, quoniam Aeris & spiculorum salinorum injurias arcent & eludunt, quantum in se est.

Effecta Morborum, designant eorundem necessa-

ceſſarias tendentias. Cauſa morbi, eſt corpus cujuſvis notæ, humorum & partium ſolidarum concordem ſtatum turbans. Illa turbatio, eſt primum effectuum, verum hæ turbæ per motum inteſtinum continuatæ, inſigniter removent craſin humorum à priſtino ſtatu. Remotio illa, eſt quædam alteratio contextus partium fluido-ſolidarum, ad aliam diſpoſitionem pergentium. Hi motuum modi, certis limitibus coercentur, ut non in ruderoſas, ſed ſuo modo figuratas ire cogantur particulas, in quibus ſubſiſtere & acquieſcere videtur ille motus. Hæc acquieſcentia, eſt ultimum effectum illius morbifici motus in quo finis mechanicus apparet conſtructionis indè reſultantis.

Criſis, eſt motuum inteſtinorum ultima actio. Hæc, in ſalium extricatione valida ſeſe manifeſtat. Extricatio hæc, nunquam abſque damno & motu ſenſibili procedere poteſt, ſeſe in ſuo progreſſù manifeſtante circa partes tam ſolidas quam fluidas. Solidæ, vellicationibus ac puncturis moleſtis afficiuntur; Fluidæ motu fervidiori ſtimulantur, iis in effectis criticis. Utræque actiones, ſalium præeminentem activitatem denunciant, quam inire nunquam potuere, niſi poſt libertatem acquiſitam, ubi nempe ſui juris facta fuere illa ſpicula, ex Orco prodeuntia. Illa effecta patent, in ipſa criſium præſentia, & in earum exercitio illuſtriori, in quibus ſeſe offerunt viſendæ Hæmorrhagiæ, ex ruptura vaſorum læſorum; diarrhœæ violentæ, ex irritatione acri ventriculi & inteſtinorum; convulſiones, ex roſione & concuſſione maligna nervorum & muſculorum; Lypothymiæ frequentes,

ex

ex ſuffocatione peſſima Spirituum animalium & offuſcatione nervorum ſuppreſſorum, oriundæ; ex acidioribus prodeunt, muriaticis, & auſteris humoribus, ſi cum flatibus ſuccedant animi deliquia, vel ex ſolutione continui, per malignitatem corroſivorum humorum gangrænam inferentium, ſi cum ſudore frigidiori & jactatione dolorifica corporis producantur; ſudores, per excellentiam prorumpentes nati ex ſpirituoſioris ſalis extricatione tenui, ubi ſudor calidus & halituoſus, vel ex colliquatione vappidi ſeri ad acorem craſſum vergentis, ubi frigidus, mucagineus & ſeroſus prodit humor ſudoriferus; Abſceſſus, ex diſcontinuatione & inflammatione vaſorum, pus poſthac colligentium, id eſt, ad Ulcus tendentium. Qnæ omnia confirmant, actu exiſtentem motum ſalinum.

Criſes, rarius perfectæ cernuntur, in Regionibus frigidis. Ætherei influxus ſalini & calores, motus inteſtinos admodum fovent & promovent, ad ſuos fines ut concitatiori modo procedant. Finis autem eſt, decuſſio terræ gravis, & coordinatio terræ levis. Terræ levitas, à punctorum ſalinorum copia inducitur, poroſitatem majorem efficiente. Poroſitas illa, ſolubilitatem, ſalſedinem, ſpiritualitatem comites habet. Hæc motuum augmentum, penetrabilitatem majorem, & acutas ſecum vehunt actiones, ſenſum ſimul vehementiorem ſtimulantes, ſua cum ſpiritualis limphæ miſcela. Undè omnia fervida apparent, ubi auxiliatrices accurrunt particulæ Æthereæ & Aereæ, vaſa illa diſtendentes, fluorem humorum inſtigantes, calorem ipſum fortius accelerantes. Hinc enim terreni nexus rupturæ,

pturæ, decuſſiones obſtantium corporum craſſiorum, extricationes & conjunctiones ſpiculorum, unam in actionem viribus unitis conſpirantium. His accedentia Aeris miaſmata, moleculæ vario modo figuratæ, effluvia illarum Regionum, neceſſitant hæc corpuſcula, ut has illaſve ſubeant ſuæ figuræ leges, poſtmodum ad effecta varia tendentis. Hæc autem in Regionibus frigidioribus, non ita contingere, niſi difficulter queunt, quoniam texturæ humorum ibidem craſſiores, impetus Aeris minor, calorificæ actiones non tantæ, nec halitus tam tenues exiſtunt, ut ab omni latere inquietare, concutere, & ad motum malignum inteſtinum deducere poſſint, ſaltem non tam ſubitaneum nec tam viſibilem, humores agitatos. Hinc etiam Morborum malignitates, rarius tam conſpicuæ, nec tantopere graſſantes obſervantur, in hiſce temperatioribus locis. Ideoque criſes in calidis, rarius in frigidis Morbis, aliquandò apparent.

Quid motus inteſtini, differentiæ obtineant, reſpectu caloris & frigoris, illud abundè patet in omnibus reactionibus, modo, tempore & fine eorundem. Sic fermentatione, efferveſcentiæ & putrefactiones, decuplo celerius abſolvuntur in Æſtate, quam in Hieme frigida. Salium decarcerationes extemporaneæ, ſæpius inde ſuccedunt, cum violentia halituum, ad ulteriora loca ſeſe extendentium, & acerrimos ſapores offerentium, quæ Hieme, balſamica cum dulcedine grata motus lentiores proſequuntur, diu continuandos, ſine texturæ oleoſæ diſcontinuatione, & fluore ſalino.

Criſes quamvis non perfectæ concedantur, in-

tra aliquot dierum, à Galenicorum Filiis præſcriptorum, terminos coercendæ, attamen imperfectæ & non ita limitatæ, in Morbis eorumque eventu adſunt. Morbi, motu ſuo inteſtino, ſemper ab uno extremo ad aliud tendunt. Quamdiu illæ perſeverant tendentiæ, tamdiu continuatur Morbus. Hi autem motus, pro re nata, craſſitie nempe vel tenuitate humorum, in diverſis locis elaboratorum, tempeſtate Anni variante in frigore & calore, conſtitutione motus morbifici calidi vel frigidi, & materiæ peccantis differentia, ſpatia temporis propria requirunt, ut ad finem ſuæ actionis pergant. Hic certò certius ad futurus, tardè vel citò adeſt, prout circumſtantiæ corporæ magis minuſve reſpondent, illis decarcerationibus ſalinis. Salia libera quamprimum adſunt, non ceſſant inquietare corpus, ſed ſtatim ſuis indiciis ſeſe produnt, pungendo & ſcindendo. Ubi vero fugam tentare coacta, pro maxima ſubtilium punctorum copia, ſalia, corpus deſerunt, ex ſenſu nimio, fit imminutus; ex Morbo calido, fit frgidus; ex preſſione violenta fit infarctus & obſtructio. Hinc criſium inde terminatus eſt eventus, earumque tendentiæ ſunt imperfectæ & variæ.

Criſium indicationes perfectæ vel imperfectæ, ab extricati corporis ſalini natura dependet. Indicationes, ſunt ſpecies effectuum, ex quibus de futuris ulterioribus operationibus dijudicat Medicus, Naturæ operas in noſtra machina proſequens. Hæ, ex motu & actione dignoſcuntur. Motus reſpicit mera fluida, eorumque alterationes inſignes. Actiones, reflectunt ad partes ſolidas, à fluidis affectas & afficiendas, tandemque diver-

diverſis modis mechanicis diſponendas, in ſuo ſitu & ordine. Actio perfecta, ab ipſis ſalibus & ſpiritibus ſalinis, ſuo jure in ſolida membra vagantibus, aut in humida velociſſimo impetu circumactis, haurienda venit. Hæc pro figura & mole illorum punctorum, varios tradit Vitæ & Mortis eventus, præſertim ubi nobiles aut ignobiles invadunt partes, diverſimodè inquietandas. Imperfectio criſeos, dependet à miſcela terræ gravioris, & dilutione aquea, unde retardantur & prolongantur motus inteſtini, abſque ſenſibili alteratione & concuſſione corporis. Hinc illæ criſes, ſubterfugiunt ſæpius inveſtigationem Medicorum, naturæ opera ad ſuum cerebrum determinantium, non ipſius Naturæ luſus graves proſequentium. Præſtat autem Medico prudenti, in principio morboſi motus, medium ejus futurum rimari, ipſiuſque tendentias ex longinquo prævidere, ut obviam eat, quantum leges Naturæ illi permittunt, detrimento noſtræ Oeconomiæ. Ab ipſo motu, generalius conſiderato, ejuſque termino, tranſeo ad vulgatiora effecta ſeu accidentia motuum Morbi tam calidi quam frigidi, ut exinde eluceſcant egregia phænomena operum dictorum præternaturalium, noſtræ Machinæ tantoperè adverſantium.

Symptoma morbi, ejus indicia præbet, ſignaque confert medica. Morbus nullus ſine cauſa corporea, agente ſecundum ſuam figuram & molem. Hæc actio ſimplex, in principio eſt motus inteſtinus auctus, vehementiorem inducens ſenſum. Senſus hic eſt perceptio læſionis, in aliqua corporis ſolida parte nervis inſtructa, aut eſt ipſa nervorum irritatio nimia ac moleſta.

Læſio quovis modo conſiderata, in ſua nativitate eſt ſpecies inflammationis vel diſcontinuationis ſtructuræ vaſorum. Hæ inflammationes & diſcontinuationes, nunquam ſine pluribus motuum accidentiis procedunt, pro diverſitate progreſſivi & inteſtini motus, ad ſuas tendentias pergentis, & differentia loca aſficienda attingentis. Hæc tendentia & tactus varius, effecta prima mutat & alterat, unde effecta nova præcedentium effectuum dici queunt. Hæc effecta, accidentaliter ſubſequentia primos inſultus morboſos, ſymptomata à Medicis nominantur, quæ pro eventu ſuo declinantem Morbi naturam denunciant, ut ſignorum Medicorum claſſem compleant. Cum autem inclinatio ad morboſum ſtatum, ut plurimum ab acri motu exoriatur, à Morborum calidorum ſymptomatibus ordiemur.

Dolor, eſt principium Morbi. Senſus enim eſt triſtis & acutus, à re acuta procedens, unde ſalino corpori nimium copulato ejus effectum debetur. Quoniam defectus ſalium, involvit defectum motus penetrationis ignei, & per conſequens ſenſus cujuſvis. Morbi autem, à motu inteſtino præſertim oriundi, ſalium extricationem immediatè offerunt, ad nervos & ſenſorium commune violentius pergentium, cum arietatione & læſione acuta. Copulata etiam puncta, terræ leviori nupta, motu ſuo progreſſivo vaſorum latera ſeſe contrahentia, eminentiis ſuis acutis & aſperis, immiti modo rodunt, pungunt, ſcindunt, diſcontinuant, infarciunt, Differentiæ dolorum inde emanant multiplices, prout hæc aut illa corpora ſeſe itermiſcuerint,

illis

illis Æthereum motum ſequentibus particulis. Sic oleaginea mollia admixta, blandiores inducunt dolorificos motus; rigidiores oleagineæ particulæ, acutiores; uncinatæ, aculeatæ & cuſpidatæ acres comites hiſce junctæ, violentiſſimos exhibent cruciatus. Aquæ partes rarefactæ illorum ſpiculorum ope, diſtenſione dolorifica moleſtant ſua loca; rigidæ & induratæ terræ ſalinæ gravant infarctu ſuo, propria & vicina vaſa anguſtata. Unde dolores, poſſunt dici eſſentialia ſymptomata morborum calidorum, perſeverantia cum morbo & deſinentia cum eodem. Diverſificationes autem dolorum; à modificatione corpuſculorum acutorum, & differentia partium obſeſſarum oriuntur.

Inflammatio, eſt effectum motus dolorifici. Igneus ſalium vigor, præſertim ſeſe manifeſtat, ubi decuſſa graviora corpora, extricationi tenuium locum ceſſerint. Tenues hæ particulæ, antehac valde coercitæ in durioribus clauſtris, nunc ſui juris factæ per extravaſationem quandam fluidiorum incarceratorum, Æthereos Aereoſque ſequuntur nutus. Hi autem motus, inæquali paſſu procedentes, ob limoſas intermixtas terras, nunc huc nunc illuc deflectere neceſſario debent, cum arietatione ſenſibili circa anguſtiora quædam loca, illum impetum ſuſtinentia. Hinc ſpicula quædam, perterebrantia contextus eorundem locorum, diutius moram ibidem trahere coguntur; ſenſimque à tergo preſſa, vaſcula etiam minima violenter ſubeunt, dilatant, replent. Hæ ab aſperis illis, nimioque motui parentibus levioribus ſalino-oleoſis particulis occupatæ partes, perpetua preſſione

rapidiſſimaque Spirituum acrium trajectione, ſenſim ac ſenſim primò abraduntur, dein rigidiores ſiccioreſque ad viſum redduntur, ex nimia velocitate particulis aqueis inducta; tandem transverſim diſcontinuantur, ſi malum continuo actu & malignitate continuetur; vel ad quandam vappeſcentiam nimiamque mollitiem reducuntur, fugatis ſpiritibus tenuiſſimis. Dolori igitur perſiſtenti, ſemper ſupervenit Inflammatio, quæ ſi ſuperficialis ſit, cito profligatur, ſi interna diutius perſiſtit. Inflammationis modi, ex iiſdem ſcauſis quibus dolores, diſcrepare ſolent, nempe ex parte occupata, magis minuſve princeps miniſterium in noſtra Oeconomia poſſidente, & ex modificatione figuræ & molis ſalinarum & ſpirituoſarum partium lædentium. Motus inſuper celerior vel tardior, exhalationes corporum motorum negatæ vel conceſſæ, miſcelæ ac concuſſiones ſupervenientes, non minimam diſtinctionibus illis cauſam præbent. Sic etiam effecta ulteriora, exinde neceſſario emanantia, ab eodem fonte prodeunt, quoniam in uno loco ſubſiſtere nequeunt corpora ignem internum foventia, flammeas expanſiones halituoſas quàquàverſum dimittentia, toti corpori moleſtias plurimas creantia. Scaturigo Morborum ardentium eorumque propagatio, conſiſtit in Inflammationis determinatione.

Dolor & inflammatio, ſunt pathognomica & neceſſaria calidi Morbi ſigna. Quamvis ſymptomata videantur Medicis, ſeu acceſſoria effecta, attamen nullus morbis talibus detentus obſervatur, ſine his effectis illud deſignantibus.

Ideo-

Ideoque prima indicia, ex iis motibus exſpiſcantur. Dolor ab ipſa materia peccante provenit, inflammatio doloris augmentum & ſedem fixiorem materiæ illius exhibet. Ex iiſdem, tanquam Pandoræ pixide, propullulare ſolent ulteriora ſymptomata, mobilia & Prothei inſtar mutabilia, ſequentia.

Vigiliæ, ſunt effecta halituum acrium, Nervorum principium inquietantium, cum nimia tenſione & levi vel gravi ſpecie inflammationis eorundem. Spirituum animalium juſtò fervidior ſtatus, ex acri miſcela ſenſim è partibus inflammatis aſcendente, nervos nimium diſtendit ac aperit. Dolor tenſos eoſdem tenet in partem occupatam velocius irradiantes, & torrentis adinſtar ruentes Spiritus dimittens. Hæc continuationem ſenſus non ſolum fovent, ſed & cogitationes in hanc moleſtiam attentiores & pertinaciores detinent, unde Vigiliæ continuæ. Si autem quis, in Morbis calidis ſomnolentus ſit, illud non Morbo illi nec ejus motui, ſed materiæ craſſiori ſurſum elevatæ obſtruenti nervos adſcribendum eſt, ut patet in Aphthis incipientibus, Morbiſque malignis inchoantibus, tumultuoſo motu inteſtino fæculentias fulginoſas ſurſum protrudentibus, ea ratione ſomnum horridum vel ſuſpiciendum afferentibus. Si corpuſcula acria, tandem per illas obſtantes proruperint catervas, vigiliæ, omniaque atrocia invaleſcunt ſymptomata, eò malignora quò diutius ſuſpenſa ſteterint in ſuis violentiis internis. Inflammationes, ubi ſenſorium occupaverint, vigiliæ exiſtunt continuatæ cum deliriis furibundis, ſecus fit, ſi halitus tantum leviores fuerint.

Febres, ſunt motus extraordinarii Sanguinis, cum irregularitate effectuum externorum. Extrà ordinem procedunt, ubi concitantur per miſcelas reactionem gravem offerentes. Miſcelæ hæ, ex foco quodam inflammato proſiliunt, poſtquam vitiatam ibidem acquiſiverint figuram & molem, ſerum ſanguinis exagitantem. Dolor hiſce motibus accedens, febriles inſtigat motus, ob acres particulas ſimul à nervaceis humoribus incitatas ad majorem vehementiam. Irregularia effecta, occurrunt in Febribus, ab ipſius motus inteſtini ortu, progreſſu & fine oriunda. Frigus, plerumque febrilis motus principium conſtituit, ſaltem rigores & horripilationes acceſſum Febris denunciant. Frigidus hic motus, à craſſiori humorum turbatione & confuſione, ut & ex ſalium muriaticorum aut ſubacidorum effluviis, nervorum & muſculorum poros contrahentibus & obſtruentibus producitur. Hinc vellicationes & raſiones variæ, corpus ipſum concutiunt, & ſero craſſiori ad acrem acorem vergente, undiquè ac undiquè membra perfunduntur, frigore veluti congelantia, quoniam humores hi quam proxime accedunt ad aquam ſale Ammoniaco imbutam, eadem effecta proferentem. Calor ſiccus & urens ſuccedit Frigori, poſt motus illius continuationem, nunc breviorem nunc longiorem. Hic reſultat, ex iiſdem particulis imminutis, & poſt decuſſionem variam attenuatis, omnes motus exaſperantibus, cum acredine rigidiori, inflammationis generalis ſpecie, ſenſuque exquiſitiori omnis corporis. Quæ effecta, irritamini Nervorum, à ſalibus & oleoſis particulis extricatis producto, debentur.

tur. In hoc igitur effectu, vigor Morbi per excellentiam, in omnibus ſuis circumſtantiis adeſt, ubique motu gravi & acuto procedens ad ſuos fines. Tandem calor ſupervenit humidus, cutim nempe humectans copia ſeri expulſi, per ſudores. In hac operatione, ſufficienter demonſtratur, ipſas aquas mollitiem ſuam poſſe deponere, ſaltem quoad externa effecta, quam primum copulas intimiores iniverint cum ſalibus levioribus & terris ramoſis, illoque in motu poſſe perſeverare, quamdiu ipſa durat copula. Sudor hic ex ruptura illius copulæ proſilit, ſic enim aquæ ſeroſæ ſui juris factæ, è carceribus ſuis liberatæ, mollitiem priſtinam induunt, omniaque ſymptomata moderantur. Hæc moderatio duabus debetur cauſis, effluviorum ſicciorum fugæ, & reliquæ peccantis materiæ intricationi in ſero & terra limoſiori, per motus illos decuſſa.

Reliqua Febrium effecta, inflammationi debentur agenti. Effecta ſunt actiones, productæ ex ſua cauſa, quæ aliundè à corpore fortiori procedunt. Cauſa inquirenda, in maximè activis particulis, per motus inteſtinos & ſolutiones violentiores productis. Motus inteſtini & ſolutionis modi, in parte inflammata, frictione & attritione valida ſalina ſpicula extricante, ſeſe manifeſtant. Extricatione hac, ſeri fluor ſalinus ubivis ab omni parte ſe offerens, limphæ turbas eximias, terræ præcipites particulas, arietationes ſalium inſignes exhibet, vix uno nomine proferendas. Hinc progreſſivi motus indicia, primo in Sanguine, tanquam Microcoſmi Oceano, poſtmodum in ſpirituoſa limpha ſe produnt,

per

per pulſum, vigilias, deliria & jactationem corporis.

Pulſus, eſt cordis & Arteriarum contractio & dilatatio, æquali aut inæquali motu per totum vitæ curriculum procedens. Æqualitas motus illius blandi, ſanitatis ſigna præbet, inæqualitas ejus deflectentem indicat Naturam machinæ vacillantis. Hujus declinationis cauſa, ab humore aliquo incidente provenit. Humor iſtius efficaciæ, debet eſſe acris, ſenſum ut ſimul cum motu ſtimulet. Acredo, dependet ab eminentia punctorum ſalinorum, immediatè ad nervorum extenſas ramificationes pertingentium ibidemque vellicantium. Hæc acredo, innumeras ſuæ variationis figuras & moles proferens, infinitis modis fibras nervaceas laceſſit, humores rarefacit, conſtituit, premit, ut exindè pulſuum differentiæ, intra breviores terminos limitandæ vix concedatur, quicquid etiam Medici illud hucuſque tentaverint. Hæc autem circumſcriptio pulſuum, ſuis terminis aliquatenus coercendorum, brevitatis ergo ſequentibus delineari poteſt, ut ad pleraque Morbi phænomena ritè illuſtranda viam patefaciat.

1. In Morbis calidis pulſus eſt celer, velox, magnus, durus, creber pro Morbis & virium natura, id eſt, prout Spiritus magis minuſve integris, & corpuſcula ſalina oleoſa, in majori minorive copia exſtiterint, ipſos humores ſtimulantia, fibras inquietantia, tunicaſque vaſorum grauius aut levius percellentia, ut & pro virium conſtantia.

2. In Morbis malignis, pulſus ſunt celeres, inæquales, rari, intermittentes. Præcipua autem diffe-

differentia, in hoc caſu cernitur, in ipſa inæqualitate motus humorum, acerrimas inverſiones minitante, quoad vaſa & humores, ob particularum vehementiores reactiones, tam motum progreſſivum & inteſtinum augentes quam imminuentes, variis cum effectis ex improviſo ſupervenientibus.

3. In Morbis frigidis, lenti, languidi, tardi, molles, ac deficientes ſunt pulſus. Pleræque hæ pulſuum apparitiones, oriuntur ex defectu Spirituum & rarefactionis humorum, tardè repentium in ſuis vaſis, abſque ſenſatione magna opus ſuum abſolventium, unde irritamina conſueta circa fibras, tunicas, valvulas, ramificationes vaſorum deſint, neceſſaria in contractione & dilatatione ſufficienti acquirendis. Hæc ſigna, etiam ſe manifeſtant, in Morborum calidorum ultimis tendentiis & criſibus lethiferis, aut ſaltem periculoſis, ob eaſdem rationes, ut & ob læſiones funeſtas nexus fibroſi nervacei, ſenſum ſimul cum motu intercipientes.

Reliqua pulſuum diſcrimina, his adjungi poterunt. Vix autem tanta cum exactitudine obſervari queunt, tot pulſuum gradus diſtinguant Medici, prout in ſuis libris proponunt Authores practici. Obſervationes pulſuum, neceſſariæ ad motum diſtinguendum Medicis exhibent certiora ſigna præſentia, non autem futura, niſi in æqualitate vel inæqualitate eorundem. Æqualitas enim pulſuum, denotat non ſolum æqualitatem motus, ſed etiam miſcelæ exactius temperatæ humorum. Miſcela igitur exactior, ab ſalinarum particularum minori decarceratione & eminentia dependens, ubivis arietatione re-

gu-

gulariter procedente agere ipſas texturas deſignat. Hinc fibræ æqualiter eſſectæ, non facile unæ aliis obſunt, ſed quovis modo tenſæ & diſpoſitæ, humorum affluxui liberius & concordi modo reſiſtunt, eumque gravius ſuſtinent, quoniam omnes ſimul pati & agere videntur, unitis viribus rem proſequentes. Inæqualitas pulſuum, ab heterogenea particularum admixtione, & eminentia irregulari punctorum acutorum producitur.

Vigiliæ, ſunt conſtantes Nervorum tenſiones, cum leviori vel graviori ſalina acredine junctæ. Tenſio hæc, rigidos retinet nervos, influxui gravi ſpirituum animalium ſubjectos. Spiritus hac ratione agitati, indeſinenter ad cogitationes ſuas vagabundas reſpicere injungunt menti Cogitationes ſimul cum ſpiritibus, à ſtatu equilibrii poſtmodum declinantes, deliria inducunt, corpus ipſum debilitant, motus hæterogeneos accerſunt. Ex hiſce violentis preſſionibus & circumrotationibus, limpha ſpirituoſa, attamen temperata ſero, acris, ſiccior, & rigidior evadit, inſtar ſalium volatilium alcalinorum. Hinc puncturæ magis dolorificæ invaleſcunt, cum inflammatione accreſcente in partibus æquè fluidis ac ſolidis.

Ex vigiliis nimiis, jactationes corporis oboriuntur. Senſus enim perfiat acutus, membraque inæquali modo, ſemper doloroſo, perculſa, nunc in hunc nunc in alium ſitum ſeſe projicere cogitur, meliora quærens effecta. Jactatio hæc, præſupponit diſtinctionem partium occupatarum. Dolor enim & læſio, pari paſſu hic ambulant, unde Æger has aut illas partes magis evi-

evitabit, in decubitu ipso dolentiores. Universalis dolor cum deliriis, præcedentes obtinuit jactationes corporis, admodum inquietas & suspiriis intermixtas, ob malignas particulas salinas, nervorum poros validè conquatientes, tandemque ad ruinam trahentes. Vigiliæ enim ab inflammatione acri ortum sumunt, inflammationes & sensus à particulis pungentibns, undè continuatæ vigiliæ rarò absque aliqua læsione conspiciuntur subsequenti.

Deliria in Morbis calidis, sunt ferocia & audacia. Ferox audacia animalium, ab eorundem constitutione spirituosa & oleosa. Robusta inde facta membra functionibus fortioribus assuescunt. Consuetudo hæc animum illis addit, imo ad superbiam hosce instigat, ubi minoris fortitudinis homines, infrà se positos arbitrantur. Eadem hæc valet ratio in Morbis, assueti enim cogitationibus invidiæ, odii, amoris, &c. omnes hasce confusas nobis repræsentamus. Hinc primò, nobis ipsis tandem aliis irascimur, cum jactatione ipsarum cogitationum, magis ac magis invalescentium, per fervorem humorum nervos ac musculos destendentium, & ad quævis superbo modo patranda ruentium. Partes cerebri infestatæ, ubi inflammationem obtinent, ferocissima ac maximè suspicienda sunt delirantia effecta: ubi vero aliunde halitus acres ad ea loca deferuntur, minora sunt quamdiu fixa ibidem non tenuerint loca, ob superficiales tantum concessas actiones, circa extremitates sensorii communis & sublimis capitolii ipsius Animæ operantis. Hæc deliria, in suis variant cogitationibus & effectis, pro vitæ anteactæ consuetudine,

& diſpoſitione materiæ peccantis. Vita namque anteacta, cogitativas impreſſit fixiores ideas, earum rerum à teneris annis ipſis familiarium, quæ non tam facile delenda veniunt veſtigia in ipſis Morbis, undè plerumque circumvolvuntur in mente. Diſpoſitio materiæ, quantum faciat, ad modificationem cogitationum, patet ex Medicamentis & Venenis, jam horrida, grata, triſtia, hilaria, ſeria, jocoſa, audacia meticuloſa cogitationum ſpectra proferentibus; inſuper eadem patefiunt ex Alimentis, nos quoad cogitandi modum variè alterantibus. Omnes delirii fervidi ſpecies, ad robus nimium, ſpirituum igneos motus, & determinationem in odia, audaciam & violentas executiones, non confuſæ mentis, illa enim non patitur, niſi relativè ad corpus externum ejuſque organum nobis notum, ſed confuſi corporis, igneo illo motu perculſi ad furorem, Hinc Delirium ipſum, eſt actio Spirituum animalium, cogitativas imagines confundentium, nervoſumque genus extraordinario modo replentium, cum roboris accretione & rationis ſublatione.

Hæc ſunt primaria effecta Morborum calidorum, ubi ad extrema ferè ſymptomata aſſurgunt, in motus ipſius continuatione. Superveniunt etiam convulſiones, ad peſſimum ubi ſtatum vergunt mala, quæ non minimam alterationibus anſam præbent, ac præſertim quandò critica illuc accedunt effecta Morborum acutorum.

Convulſio, eſt inæqualis ſpirituum actio & penetratio, in poros nervorum & muſculorum. Actionis inæqualitas, ab heterogenea mixtura

&

& arietatione vacillante, in varias deviationes, particularum acrium, enaſcitur. Hæterogenea ea propriè dicitur mixtura, quæ ex confuſione plurium figura & mole differentium corpuſculorum emergit. Acuta ubi obtuſit, ramoſa ſeroſis, ſalina terreſtribus & aqueis conſociantur in humido, abſque exacta vel æquali ſolutione partium, in diverſitate ſuæ ſeparatæ figuræ & molis permanentium. Unde ſingula ſeorſim vadunt, & invadunt corpus, prout plerumque fit in dolorifica ſolutione continui per inflammationem, gangrænam & ſphacelum. Penetratio major fit, ab extricatione punctorum, flatulentam in expanſionem aut minimas in acutas moles tranſeuntium, torrentis inſtar raptorum,

Convulſio, eſt effectum motus putridi, aut ignei. Duo ſunt obſervanda in hoc effectu, determinatio & modificatio partium motarum. Determinatio, eſt ad Nervos & Muſculos, dilatandos & contrahendos vi extraordinaria. Aptitudo illius invaſionis requiritur, in humore ad motum illum ſeſe accingente, unicè per motum inteſtinum obtinenda. Motus hic inteſtinus, producere debet ſpicula acria, non balſamica nec acida. Balſamica enim figura, obeſt violentiæ omni, aciditas mera ad craſſitiem cohit corpora, dein penetranti motui inepta, quæ minimè cum convulſivo effectu quadrant. Fermentatio igitur & efferveſcentia, huic motui anſam nullatenus præbent, quoniam balſamicas, acidas & muriaticas elaborant particulas, convulſioni contrarias. Putrefactio autem, ſolutionem turbidam, limoſam & fætidam exhibens, obſtructio-

ctionem ex terra limoſa depoſita in hac parte, violentam penetrationem in aliam partem oppoſitam cauſat, unde Muſculi hi dilatantur, illi contrahuntur, fluxu & refluxu ſpiculorum ac ſpirituum incitatorum inconcinno & irregulari ad æquilibrii inverſionem uſque ignea aura prodit, ex parte vehementer inflammata, vigiliis, doloribus & acutis Febribus. Hæc ſæpius inſtar Phoſpori rapitur, effluvia acerrima proferens, muſculos & nervos altius permeantia, præcipuè in præſentia rapidiorum Spirituum limphaticorum, nimiam ad ſiccitatem deflectentium. Ideoque Morbi calidi & perperacuti dicti, convulſionibus maximè ſubjecti; minus autem frigidi. Cogitationes celerrimæ, ex improviſis obiectis horridis oriundæ, humorum feroces motus ſtimulantes, convulſionum etiam cauſæ eſſe queunt, quatenus unita vi unam in partem feruntur torri fluidorum æſtus. Hinc pleraque convulſiones generantia, ex Morbis malignis & materia Nervis lethifera in campum prodeunt. Hoc patet ex turbatione Humorum, leſione & contorſione partium ſolidarum, Paralyſi & ſimilibus Morbis indè exſurgentibus. Peſſima exindè ſigna, Medicis obveniunt per convulſivos motus, ſupervenientes Morbis calidis, ob violentiam morbificæ materiæ & ulteriores Oeconomiæ turbas Morbis ipſis accedentes. Convulſivi autem dantur alii Morbi, non tam funeſti quam atroces, quoniam in tali caſu, viæ ſatis amplæ, illique motui magis conſuetæ, corpuſque nondum depauperatum, exiſtunt, undè facilior reſiſtentia & ſubitanea reſtitutio in promptu adſunt. Quod patet in Epilepſia.

Ari-

Ariditas linguæ & ſitis, ſunt effecta inflammationis. Partes ſolidæ in ſuperficie ſua nimis extenſæ & tumidæ, facilem ſeri fugam ibidem concedunt, præcipuè circa linguam & os. Aeri vicinum locum, effluviis craſſioribus deſtinatum iter. Fluidi humores, diſtenſi à materia ſalina acri, Aere & Æthere gravi, in extimis texturarum ſuarum ſuperficieculis etiam aſpera cruſta duriori inſigniuntur, ſerum molle interius coercente, in progreſſivo motu limante, rodente & deradente vel diuidente ſuperficies majorum corporum. Exindè ſeroſæ limphæ effecta tolluntur, omniaque igneo motui ſubijciuntur rigida & valde tenſa membra, aquam expetentia ad ardorem extinguendum, ac partes emolliendas flaccidioreſque reddendas.

Rubedo ignea, eſt naturalis color Ægrorum calido morbo detentorum. Ruber color, in pleriſque ex ſulphurea & oleoſa materia, per ſalia exaltata, emergit. Approximatio major levis terræ ramoſæ cum ſale ſpirituoſo, eſt verus ignis & rubedinis productor. In his Morbis, eadem ſequuntur phænomena, ex motu & vigore talium ſulphurearum partium acriter evectarum, unde non mirum ſi rubedo ſanguinea magis extenſas acquirat ſuperficies, ipſaque mucago balſamica, ad oleagineam ſubſtantiam acrem & rubentem promoveatur, quæ ſeſe per totum corpus diſpergit, cum rutilatione inſigni, quamdiu frictiones à circumrotantibus particulis permanent integræ.

Colores, à rubedine deflectentes, in Morbis calidis, ſunt ſuſpecti. Quodcunque enim à naturali & conſueto ordine deviat, illud denunciat

motus ipſius malignitatem. Malignitas obſervatur, ex laceris texturis, in colore livido ad nigrum & cæruleum inclinante; ex denſis texturis, in colore albo, ad griſeum flavum & pallidum tendente; ex intermediis rugoſis texturis, in colore purpureo, ad obſcurum flavum & moſcheum colorem tranſeunte.

Tenſio cutis rubræ & ſiccæ, effluviorum acriorum Autor in Morbis calidis. Rubedo, eſt ſignum exaltatæ partis ramoſæ, quod punctum attingit per ſpirituoſa ſalia. Hæ exaltatæ partes, Æthereis parent motibus, facilè ſubtiliores extra peripheriam corporis avehentibus. Hæc effluvia rigida & acria, conſtanti figura prædita, conſtantes & pertinaces propagant actiones, in occurſu aliorum corporum, illi actioni obedientium. Hæc propagatio, eſt contagioſa lues, ex ſemine morboſo, proferens ejuſdem generis effecta morbifica. Hujus contagii, eo major vis quo intenſior ariditas, rubedo, calor & ad purpureum vergens color, exſtiterint. Deſignant enim actum fervidum & poroſitatem, accreſcentem per fugam ſalium, vi ſibi vias parantium.

Linguæ vitia, colore, tumore & ulcuſculis ſeſe manifeſtantia, ſunt acria effecta ſalivæ & limphæ ſtomachicæ. Color, plerumquè rubicundior ſolito, in vehementia mali exæſtuantis. In periculoſo ſtatu, declinat ad ſiccitatem & obſcurum ſtatum nigrum. In ſalutari eventu, ad album deflectit humidum, minus acria effecta concedentem. Tumor linguæ, ab infarctu craſſioris limphæ productus, deſignat ejus penetrandi vim & inclinationem ad motus inteſtinos,

cum

cum futura læſione. Ulcuſcula, demonſtrant malignitatem & atrociam ipſius humoris ſævientis, ſeſe in hæc loca exonerantis, unde ſæpius Morborum terminationes, ab intereeptis particulis labem inferentibus. Hoc patet in Aphthis, inflammatione linguæ & oris, ſimilibuſque eorum locorum inquinamentis violentioribus, ut Angina, &c. Depreſſio ſeu detumeſcentia linguæ, ejuſque purpureus color, pernicioſiſſimæ malignitatis deleteriæ ſunt præſagia, ut in Peſte, eique affinibus Morbis conſpicuum fit.

Inſomnia horrida, ſunt præludia inflammationis cerebri: Præludia hæc, naſcuntur ex effluviis nimium obſidentibus & vellicantibus nervorum principia. Spectra, ſunt confuſiones fæculentiarum ad cerebrum delatarum, pertinacius cohærentium, imagines fumoſas offerentium, quibus ſpectacula varia monſtroſa cogitanti Animæ obvolitare videntur. Hiſce accedentia effecta doloroſa, corpus à Cacodæmonibus quibuſdam affici imaginatur & abhorret Anima, corporeis inſtrumentis illuſa: Hæc, ſunt ſpecies Melancholiæ, in furorem facilè convertendæ, ubi in copia accreſcentes particulæ ſulphureæ-ſalinæ, cerebri loca proxima occupant, ibidemque inflammationes inducunt, deliriorum furibundorum autores. Defatigationes corporis, accreſcentes poſt ſomnum, mala ſunt præſagia, nimis corroſivi & nervos debilitantis humoris. Spirituum animalium inſuper penuria, mala figura, nimiaque partium principum debilitatio, in cauſa ſunt, ut nobilioris vitæ functiones ceſſent, ex reactione materiæ morbificæ cum humoribus orta.

Urina rubra, ignei motus eſt indicium. Per igneum motum, ſalino-ſulphurearum partium inteſtina frictio & attritio ſubintelligitur. Hæ particulas illas flammeo inſigniunt colore, fervidoque inſtruunt acri motu, quamdiu adhuc integri perſiſtunt contextus lævigati. Secedentes autem à colore rubro urinæ, indicia præbent inclinationis ad mortem aut vitam miſeram aut ſanitatem. De quibus ſignis ritè proſequendis, non per ſimplicem Uromantiam, ſed per motum & admixtionem variorum corporum, in diverſas tendentias & fines abeuntium, brevitati ſtudens, hic agere ſuperſedeo.

Morborum frigidorum effecta, ſeu ſymptomata præcipua ſunt, retardationes ſenſus & motus, præcipuarum functionum, Quamvis frigus non exiſtat oppoſitum motui, attamen prout diximus ſenſui ſummoperè obeſt, adeoque ſpirituum & nervorum efficaciam minorem deſignat. Si autem Morbi dentur, in quibus ſenſus etiam reperiatur exquiſitus frigidus, hi ex compoſitis oriuntur particulis, in morboſo incipiente motu gravius procedentibus. In principio nempè, ubi omnia in vigore adhuc perſtant Spirituoſo & ſalino, atque integræ adhuc viſuntur texturæ naturales humorum & nervorum nondum obſeſſorum. Medium enim & finis, tendentiæ Morbi frigidi, eſt imminutio ſenſus ſenſim hebetandi. Motuum etiam potiorum ſublatio, à morbo frigido invaleſcente ſemper exſpectanda, quoniam humorum craſis ad majorem craſſitiem, molem & nexum tranſire cogitur, Spirituum, ſalium tenuium & oleorvm privatione, quæ Ætheris & Aeris commercium nobi-

nobilius invocare ſolebant, ad majorem ſuperficierum independentiam obtinendam.

Limpha muriatica & ſeroſa eſt principium Morbi frigidi. Muriatica ſalia, ſunt compoſita ex acido & alcali quovis, ità tamen, ut prævaleat authoritas acidi. Hæc compoſitio demonſtrat molem, ſeu coacervationem punctorum ſalinorum, minori motui auſcultantium. Acida inter hæc numerantur, in quantum ex reactione muriaticorum reſultant, ubi ex ſua terra excidunt, ad fluorem majorem evecta. Hæc autem muriatica, & acida fixiori graviorique terræ conſortio inſtructa, oleoſæ obſunt texturæ, illamque coagulant & incraſſant, ſerique ſubacidi copiam adducunt, Spirituum animalium motum inhibentis. Hinc infarctus graves, & ventiformes partium diſtenſiones ſuccedunt oneroſæ, lentorem humorum promoventes.

Pallor & ingratus color, ſunt effecta præcipitantis acidi & muriatici ſalis. Præcipitatio, eſt ſuperficiecularum coacta accumulatio, per oblongiora ſalia ſphæricas & independentes particulas connectentia, cum violenta fluidi expreſſione. Hæc contrariatur tincturæ rubræ ramoſi Sanguinis, eamque obſcuro & ingrato livido colore inficit, parteſque mucaginoſas limphæ & ſeri ad caſeoſam ſubſtantiam cogit, unde floridæ rutilatio priſtina & fluor eximius humorum ſiſtuntur, tam in motu quam in miſcela exactiori. Serum igitur ſeorſim fluere coactum, pallore inficit cutim minus diaphoreticam, craſſa coagula tetros inferunt colores, limoſa & turbida ſua immixtione, inter ſeroſas haſce lentius fluentes partes, glandulas & poros ſubcutaneos

ubi replent. Hi fedi colores, ad flavum aut lividum eò magis inclinant, quò hæ præcipitatæ partes, magis à ſtatu nativo declinaverint per motus inteſtinos frigidos & conquaſſationes earundem varias vel putrefactiones ſupervenientes.

Colorum declinationes, ſigna præbent conſiſtentiæ & qualitatis corporum modificatorum per morboſos motus. Nulllibi major colorum varietas eluceſcit, quam in Morbis frigidis, ſunt enim terræ limoſæ progenies, craſſiori ſali & aquæ minus ſpirituali junctæ. Terræ autem cohæſio major, eſt magna colorum cauſa. Hæc terreſtria, cum ſubſiſtere diu nequeant, in fluctuatione inæqualis aquæ, variegationes offerunt colorum ſemper faciem ſuam mutantium. Immutatio hæc, cauſas agnoſcit, motum nempe ſalinum & inteſtinas concuſſiones, decuſſioneſque corpuſculorum, inter ſe mutuò ſævientium, in hiſce ſtagnationibus. Ex iis haurit Medicus ſequentia præcipua effecta, ſignorum loco venientia:

1. Color albus, eſt ſignum coagulationis lentæ & caſeoſæ, adeoque minoris motus partium. Acida enim muriatica cum ſero prævalentia, motum progreſſivum & inteſtinum, pro eo tempore ſiſtunt, tam in vaſis quam in humoribus. Quod patet in pituita viſcida alba, leucophlegmatia, pallore virgineo, linguæ & urinæ albedine, &c.

2. Color flavus denotat motum ad malignum infarctum tendentem. Flavedo enim in talibus Morbis, eſt ſpecies cachexiæ humorum. Oleoſæ nempe particulæ, ſpiritu tenui deſtitutæ, craſ-

ſas

ſas illas deponunt fæces, ad ulteriores motus poſthac inclinantes. Horum motuum tendentiæ, vergunt ad acorem & auſteritatem, diverſificatæ, pro modo læſionis præcedentis & partis occupatæ.

3. Color niger, laceræ texturæ ſigna præbet funeſta. Irregularis fluidorum conſiſtentia, à motu nunquam deſiſtentium, cauſa eſt illius effecti ultimi. Interceptio enim particularum in hoc loco, violentiori niſu pergere cogens particulas, in minus reſiſtentia ſeu apertiora loca, ibidem arietatione ſua inſigni diſcontinuationem promovent magnam, ob intermixtos cuſpides ſalinos fluidis illis in nimia copia junctos. His effectis, etiam alia accedit ratio, nempe acrium quorumcunque vehemens impetus, cum penetratione violentiori, in omnes dimenſiones figurarum & molium corporearum, ab iis diſcindendarum, ut patet in malignis Morbis, Gangrænam & Sphacelum inferentibus. In frigidis autem Morbis, ſucceſſivè hæc peraguntur, ſæpius ex albo coagulo ſeroſo inchoant, ad flavum ſenſim rediguntur ſtatum, nimia perſiſtente corpuſculorum interna ſalium & oleorum craſſiorum caterva, in livido & nigro terminantur, ſubſiſtente illo inteſtino bello, hoſtiliter in propria viſcera ſæviente, ad ruinam integram illis machinæ inſtigato, poſt decarcerationem exactiorem ſpiculorum, nunc unitis viribus properantium ad inſultus atroces. Hoc ſæpiſſimè etiam obſervatur in Morbis calidis in principio albeſcentibus, poſteà rubentibus, tandem nigricantibus partibus, ut in aphthis, &c.

Hi Colores dici queunt cardinales, plerique

enim alii ex eorum miſcela & coordinatione varia reſultant. Hoc patet in arte pictoria & tinctoria, ubi diverſimodè colorati junguntur pulveres, unum in colorem poſthac veluti colliquantes. Inſuper ex varia reactione partium, ſe mutuo alterantium in ſuis ſuperficiecularum texturis, ſitu, ordine, nexuque vario diſponendis, mutationes emergunt mirificæ colorum, graviter à Medico procequendorum, nec tam leviter rejiciendorum, prout à Philoſophis generalioribus aſſuetis fieri ſolet. Albedo itaque, tanquam ſpecies Morbi frigidi retardatique humorum motus conſideratur, à nimia coagulatione mucaginis, ſeriique expreſſione ſubſequente procedentis. Cui, palloris omne genus ſubjungitur, utpotè ab hiſce duobus effectis poſtmodum variegandis dependens, coagulo nempe caſeoſo & ſeroſalino-aqueo. Flavedo, eſt intermedia ſpecies Morbi, nunc ad rubedinem, ubi præualent acria, oleoſa, ſalina ſpirituoſa, vergentia in Morbis calidis; nunc ad obſcurum, ubi muriatica, acida, terreſtria craſſas, prædominantur, tendentia in Morbis frigidis. Huic adjunguntur rubedinis omnes ſpecies, in Morbis calidis rutilanti reflectione inſignes, in Morbis frigidis ingratiores minuſque reflectentes, ſed obſcuriori modo apparentes. Nigredo eſt Mortis ſpecies, in antehac albis partibus apparens, ubi ipſa corporum lacera textura, multis magniſque poris excavata, à materia corrodente maligna, corpora eorumque partes integrantes, obſervantur; à Lividitate apparente incipit hic color, deſinitque in nigro, unde omnes ſpecies cærulei ac lividi ad hunc referri debent. Ipſe etiam viror, virulentæ acredi-

nis

nis ſignum, à cæruleo & flavo productus, intermedias participare videtur vires, ab flavo acri & livido putrido deſumptas, unde ejus malignitas prodit.

Somnolentia, eſt effectum retardationis functionum. In hanc, proclives utplurimum ſunt Ægri, Morbo frigido detenti. Nervorum flaccíditas, limphæ ſeroſitas, minor ſpirituum irradiatio, defectus ſalium ſubtilium, autores ſunt hujus ſomnolentiæ. Vix enim ſuccedunt motus propulſivi, nec cerebrum ſufficienter expanditur, ut ſufficiat vigiliis, alacritatique corporis ſuccumbentis in ſuis actionibus. Contrarium autem videtur contingere ex Opio, aliiſque anodynis aſſumptis, quietem non ſomnum inducentibus. In tali quippe caſu, corpus calet, multum tranſpirat, vigiles ſecurè quieſcunt. Hic autem altum dormiunt, frigidiores actu exiſtunt, nec poſt ſomnos ſufficienter vigilant, magis ac magis tardi in omnibus ſuis functionibus redditi. Accreſcunt enim ſeroſi & craſſi humores, mediante morboſo ſomno cerebrum offuſcante, nervos debilitante, & vaſa replente craſſioribus coagulis.

Melancholia, eſt delirium meticuloſum, ex frigidis humoribus natum. Deliria audacia & furibunda ab inflammatione oriri indicavimus, quam ab acrium infarctu & progreſſu per anguſtiora vaſa produci demonſtravimus; hæc autem à fuliginoſa, craſſa, lividaque exhalatione ſublimia cerebri loca petente, enaſci credimus, Corpuſcula enim exhalantia, ideam ſuæ figuræ & actionis pertinacius retinentia, ibidem diutius cerebrum obſident, ejuſque functiones cogitati-

vas

vas retardant, attentius ſcrupuloſiuſque res ipſas rimandas offerunt, ac in eodem ſtatu quaſi figunt ideas cogitationum lentarum. Monſtroſæ ubi imagines, ad ſenſorium, conarion, aliaque illis ideis recipiendis deſtinata loca, deferuntur miris modis ibidem hærent, ſenſus inquietant, cogitationes percellunt, timorem incutiunt, omneſque corporis habitus alterant. Pro figura effluviorum, terras fuliginoſas, ut ita loquar, vehentium, ſalia acido-auſtera, vel ad acredinem vergentia, ſecum portantium, ex diuerſis corporis partibus prodeuntium, diverſificantur melancholiæ.

Melancholiæ cauſa, ex abdominis locis procedere probabile eſt. Lienem, antiquiores ſtatuere ſedem illius mali, verum an illud viſcus ſolum, hanc poſſideat facultatem, plurimi dubitarunt imo rejecerunt, utrique forſan eadem levitate & conjectura. Abſque dubio, locus proprius anguſtis non ita circumſcribitur cancellis, ſaltem hucuſque notis, ex quo ſcaturiginem ſuam haurit triſtitia menti à corpore illata. Abdomen autem, productor plurimæ ſalinæ limphæ, facillime ad acidum auſterum vergentis, in Morbis frigidis, non abſque ratione ſtatui poſſet fons illius effecti triſtis. Illud confirmare videntur ejus mollia vaſa, eorumque reactiones manifeſtæ in humoribus contentis, graves ad alterationes properantibus. Ventriculus enim, Lien, Pancreas, Meſenterium, Renes, Inteſtina, quibus non parere cogunt mutationibus aſſumpta liquida & ſolida ingeſta? Effluvia inde reſultantia, morboſo in ſtatu, quos non motus, borborigmos, murmura ſonora, flatus, ru-

ructus, distensiones molestas, fastidia, reliquaque extraordinario modo nos afficientia proferunt, caput ipsum petentia? Mens enim impotens sui ratiocinij facta, per seroſa, austera, nebuloſa crassa fumigia, reperiens corpus torpidum, ob nervos nebulis illis obsessos, flaccidos & enerves redditos, sibi suæque Oeconomiæ corporeæ metuit, ne destituta auxiliis sufficientibus, ab onmi parte miseriis hujus vitæ ærumnoſæ subjiciatur, unde timor. Hæc ab nebuloſis abdominis halitibus, perverse figuratas terræ moles vehentibus, posse & debere contingere, confirmant Aeris constitutiones variæ, nostras functiones & cogitationes percellentes. Sic tempore sereno, alacriores, nebuloſo segniores simus, Vere & Æstate promptiores ad omnia, Hieme & Autumno præsertim pluvioſo & nebuloſo tardiores existimus. Sic regiones calidæ & temperatæ, si defæcatiorem vehant aerem, penetrantissima producunt ingenia, hilaritati, audaciæ temerariæ & superbiæ dedita; regiones frigidæ crasso Aere donatæ stupidiora proferunt cerebra, melancholiæ, tarditati & humilitati magis subiecta. Hæc autem effecta, infinitis modis alterari queunt per studia, experientias mundanas, consuetudines vitæ, educationes, corporum ipsorum constitutiones, Aeris ipsius innumeras miscelas halituoſas, homines incolas afficientes, in Spirituum animalium directione, æque ac in vegetatione plantarum, stirpium, arborum. Concludo igitur, Melancholiam produci ex nebuloſis abdominis, crassioris limphæ cloacam in tali casu repræsentantis, halitibus, frigidiori & flatulento modo nervos & cerebrum

obsi-

obſidentibus & humectantibus, ad extinctionem magnam uſque igneæ irradiationis noſtræ animæ procedentibus. Eodem modo, ut omnia triſtiora & flaccidiora evadunt, per frigora, ventos ſeptentrionales, & nebulas nimias, ut & per pluvias diu continuantes. Rejiciendus ergo melancholicus ſuccus, antiquorumque atrabilaris humor, nullibi enim talis apparet, niſi in Morbis oriundis ex acido-auſtero limphas tardas, ventos craſſos, nebulas denſas efficiente, eo tempore ubi internus noſter Aer antehac deſcriptus, moleculis illis inquinatur & quaſi ab omni parte repletur, ita ut nullibi vividè permeare poſſint radii ſpirituales. Hoc confirmare videntur cadavera diſſecta, in iis namque viſitur extravaſatum in magna copia ſerum, thoracem & abdomen opplens, poſtquam cachectici, ſcorbutici & melancholici mortem obiere. Inclinatio ad pallorem, maculaſque lividas, leucophlegmatiam, flatulentiam horum, itidem évincunt.

Flatus, ſunt reſolutiones ſeri frigidi craſſiores, per motum inteſtinum ſuſcitati. Ventorum origines, ab aquis proſilire, in mundo patet, ubi per calorem & motum inteſtinum, quæ abſolute pro ventorum generatione requiri ſtatuunt omnes obſervationes, rarefacta humida, tam in cryptis ſubterraneis, quam in Aere ipſo, ventiformes in expanſiones coguntur. Hi qua maximè in ſeptentrionalibus locis, littoribus maritimis cinctis, vigent, violento impetu ſæpius Aerem & terram quatientes; ut & in Hydrophylaciis & Pyrophylaciis terræ interioris, terræ-motus horridos inferentibus, per ventorum

inter-

internorum creationem & nimiam retentionem in illis anguſtiis, undiquaque premendis & concutiendis. Ideoque non mirum, ſi refrigerium limphæ nimis ſeroſæ factæ, ab reactione inteſtina non ceſſantis in ſtatu Morboſo, ſed potius ad eandem evectæ per fluorem ſalinum & terræ craſſitiem, haſce inducat flatulentias, ſæpe abdomen validius diſtendentibus ad intumeſcentiam duram uſque, cum gravativo dolore.

Flatuum eadem eſt differentia, ut ventorum in macrocoſmo. Ventos demonſtravimus, non ſimplices ſed compoſitos procedere, de uno in alium locum procedentes. Compoſitio hæc accreſcit, per effluvia in Aere vario obvia. Actiones eorum, ex illa compoſita miſcela reſultantes, ſeſe accomodare ad alia corpora quibus occurrunt, unde effectuum variegationes emergere, luculenter Natura ipſa evincit. Hinc ubique eodem talo incedens, corporum determinatus motus, tam in quam extra noſtrum corpus etiam flatus, ructus, crepitus, pro diverſitate locorum & regionum internarum, ſua operationum accidentalium diſcrimina præbent. Aerei enim halitus, machinam noſtram replentes, in ſanitate æque ac in Morbo, vitioſis contaminantur particulis, per vapores illos, ſuo modo figurata miaſmata vehentes, Aerem illum impurum & contagioſum in partibus remotioribus efficientia. Partes ſolidæ, hiſce moleculis male figuratis inſtructæ, vellicatæ & moleſtatæ, multum detrimenti recipiunt, ab iis craſſis ſpiritibus, ut ita loquar, ad modum acidorum vel corroſivorum vel aſtringentium agentibus. Anguſtatæ inſuper viæ, auctæ ſpecies effervescentiæ, coagula hic illic tubulos

bulos intercipientia, Aerem illum craſſiorem ad ventoſitatem diſponunt, per vaſa majora ſe diffundentem ad exitus ſuos obtinendos, ſin vero in ramificationibus hæreant, tumefaciunt corpus, tormina cient, convulſivos, tanquam tot terræmotus adducunt. Diverſitas ventorum internorum patefit, per odorem, & ſaporem, reliquaque accidentia corporea, ut in ructibus nidoroſis, fætidis, acidis, inſipidis, frigidis, calidis, cum vel ſine dolore procedentibus. Quæ omnia, non meræ aquæ rarefactæ, ſed aquæ ſalinæ & terreſtri variæ debentur. Cur autem Morbi frigidi, magis ſubjecti ſint flatulentiæ quam calidi, ratio eſt minor diaphoreſis eorum corporum, gravior infarctus vaſorum, moleſque major partium ad reactionem lentam quidem ſed continuatas properantium, unde copia accreſcentiun vaporum Aeri intermixtorum, nebuloſa & ventoſa effecta edunt, quod in Morbis calidis ita fieri nequit, ob tenuitatem particularum, effluvia extra corpus feſtinantia, minoremque partium cohæſionem facile diſſipandam.

Morbi frigidi, in duas claſſes diſtincti, terræ vel aquæ prædominium agnoſcunt. Terreſtres particulæ ubi imperant, ibi flatuum vehementia non tanta, niſi in principio operationis morboſæ, ab aquæ reſolutione gravi, iis temporibus præſente. Infarctus vero pertinaciores, cum ſubſequente maſſarum repletarum duritie, premenți manui non cedente, ab iſtis terris condenſatis ſubſequuntur, cum ſublatione motus progreſſivi. Aquei Morbi, mollitie ſua conſpicui, & pallore cutis inſignes, flatibus divexant corpus, in principio, medio & fine actionum perverſarum.

rum. Fluor enim perſtans, ſaliaque ſolutas ad miſcelas tendentias, in talibus corporibus perpetua murmura ſonora effingunt, in flatus reſolvenda. Hoc patet in purgantium, humores noſtros ad inteſtinas actiones exagitantium, effectu flatulento, ſurſum non raro deorſumque ventos elaboratos expellente. Idem patet in fructibus horariis, potu aqueo, refrigeratione ſubitanea corporis, corpus undique flatulentum reddentibus. Hi ventorum ortus & progreſſus, non minimam præbent melancholiæ cauſam, poſtquam ſuis alis moleculas triſtes in ventriculum, faſtidio laborantem nauſeabundo; in cor, ad palpitationem redactum; in gulam, ad ſuffocationem conſtringendam; in cerebrum, ad meticuloſa deliramenta tranſiens, evexerint, ubique miniſterium turbantes. Exinde medicamentoſæ imo alimentoſæ miſcelæ, ſuas patiuntur tragædias, vel actiones, à naturali operatione differentes, ſæpiuſculè inverſo modo prodeuntes.

Ut languidæ ſunt actiones in Morbis frigidis, ſic minores ſunt doloris perceptiones. Dolor exquiſitus, à ſale acri & penetranti volatili ſulphure aſperioribus eminentiis inſtructo, ut & ab nervorum tenſione & inflammatione partium procedit. In his autem Morbis, omnia ex contrario ſuccedunt, ſal eſt fixius, muriaticum, acidum; nervi ſunt flaccidi aqua oppleti nebuloſa, irradiationes igneæ extinctæ pro magna parte apparent, unde ſenſationis munia debiliora exiſtunt, & per conſequens, doloris perceptio obtuſa, diſtenſiva & gravativa tantum ſeſe præbet. Dolor, pro ſua efficacia maxima,

in

in partibus vicinis obſervatur, preſſis & anguſtatis ab onere incumbentium maſſarum occupatarum. Hinc celer quamdiu adhuc perſeverat motus in vicinis locis, in anguſtas illas fauces arietat materia fluida, ibidemque dolores parit acutiores, ſi nervacei generis fuerint.

Ex ſenſus imminutione, fit tarditas & torpor. Tarditas oritur, ex muſculorum, tendinum & ligamentorum nimia ſeroſitate. Seroſitas, eſt ſpecies vappeſcentiæ, ex defectu ſpirituum animalium ortæ. Horum inopia, naſcitur ex ſalium tenuium, ſine adjectivo, id eſt, merorum punctorum diviſorum, nondum copulam ſenſibilem obtinentium; fuga, aut inverſione eorum ad majorem compoſitionem & ſtructuram, adjectivum verbum Chymicum ipſis conciliantem. Nervi hiſce obſeſſi, muſculorum motui reciproco ſubvenire cum nequeant, ceſſat eorum vigor naturalis, adeoque retardantur omnes facultates & functiones noſtræ machinæ, debiliter radiis luminoſis illuſtratæ. Torpor, cogitationes, animique dicta pathemata, æque ac ipſum corporis motum reſpicit. Laſſitudines ſpontaneæ, lætitiæ inverſiones aliquando ſine cauſa externa, inopinatæ ſubitaneæ conſtrictiones & abolitiones temporariæ motuum ſenſibilium, ex halitibus illis, auſteris, flatulentis, coagulantibus, ſuffocantibus proſilientes, hujus ſunt ordinis ac in hac Morborum claſſe effecta conſueta. Ex quibus languores omnes reſuſcitantur, quoad vaſa & vires; vaſa enim deſtituuntur ſua operandi energeia, vires in animi deliquiis & paſſionibus hypochondriacis dictis, debilitatæ prorſus conſpiciuntur.

Paſ-

Paſſio hypochondriaca, eſt torporis maximi productum. Paſſio hæc, frequens in ægris frigido Morbo detentis præcipue melancholicis exiſtit, ob frequentes ex abdomine halitus auſteriores & malignos, gulam veluti ſtrangulantes. Dicitur hyſterica in mulieribus, quamvis forſan Uterus ipſe innocens ſit, glandulis abdominis, in hac ſcena potiores partes tenentibus, quod evincunt eadem in Viris ſymptomata. Ex abdominis locis, hæc vitia prodire, probant murmura plurima, plerumque circa has partes ſeſe manifeſtantia, cum vertigine quadam in capite & nauſea in ventriculo. Cachexiæ etiam autor ſummus exiſtit hæc paſſio, utpote qua mediante humorum progreſſivus motus maximopere ſuſpenditur, exaltationeſque Spirituum impediuntur, ne ad ſufficientem independentiam liquores noſtri pertingant.

Cachexia, eſt limoſa vappeſcentia limphæ ſeroſæ. Hoc patet, ex maculis flavis, lividis, pallidis, obſcure rubris, cutim externam defædantibus. Producitur partim ex fuga, partim ex præcipitatione. Fugati ſpiritus, liquores deſerendo, eos turbatos relinquunt, cachecticorum colores æmulantes. Præcipitatio, terræ irregulares ſuperficies nectendo, quosvis procreat ingratos colores cachexiæ ſimiles. In mulieribus, dicitur chloroſis & pallor virgineus. Cum eo conveniunt leucophlegmatia, ſchirrus, Icterus, Scorbutus fixior, gradulevi ſolummodo diſcrepantibus, abſque dubio ob conſtitutionem in aliquibus differentem, in materia peccante & regione obſeſsa.

Catharri, ſunt muriæ limphaticæ ſenſibiles reactiones, circa collectiones vaſorum limpha-

ticorum, glandularum ſalivalium & nervaceârum partium in ſuperioribus locis. Reagere dicitur corpus, ubi poſt mutuam confuſionem duorum corporum, unum alius texturam ſubintrat eamque alterat & reciproce ab illa alteratur. Hæ alterationes ſeri copiam promoventes ex limpha balſamica non aliunde niſi à muriatico ſale craſſiori provenire queunt, ſatisfaciente duobus requiſitis, coagulationi nempe oleoſæ-balſamicæ partis & expreſſioni partis aquoſæ. Aqua hæc oneri exiſtens diſtendit vaſa ſalina facta vellicat & conſtringit vaſa quibus irretitur, unde catharroſi motus effecta proſiliunt. Hæc limphæ mutatio, halitibus debetur acidis nebuloſis, ex Aere vel abdomine illuc allatis, ut & retardationi frigidæ humorum, ſeroſas exhalationes & diaphoreſin ſufficientem non permittenti, ut capite detecto ſub dio frigido & rorido incedentibus vel decumbentibus accidit. Probabile eſt, ſalivales ductus eorumque ramificationes, unicas eſſe ſcaturigines catharrorum, ob ſalivæ facilem inclinationem ad muriam acidiuſculam; ejuſque metamorphoſes celerrimas ex primo ſtatu in alium, reſpectu ſaporis & conſiſtentiæ; tum quoniam os, ſaliva extempore ad ſalſugineum guſtum reducta inficitur in catharris incipientibus. Ex flatibus & catharris, ſimul quaſi conſpirantibus, ultima frigoris tentamina, ſe manifeſtant, in noſtra machina, ſudore etiam frigido apparente, in gelido corpore.

Tuſſis, eſt effectum catharri. Pulmones limpha muriatica detenti, viſcidioris pituitæ elaborationi anſam præbent. Pituita hæc ſalſa, lentore ſuo anguſtat vaſa, Aeris ventilationi deſtinata,

nata, ſimulque motus progreſſivos retardat, ob preſſionem hanc infirmatam. Hinc in principio catharroſæ actionis, ſuffocari videntur pulmones & gulæ ſtrangulatio quædam occurrit, totumque corpus frigore, gravem ſæpius horripilationem concomitante, afficitur, cum functionum plerarumque alteratione manifeſta. Serum enim illud accreſcens, diuereſin frequentem & copioſam reddit, urinamque dejicit plane aqueam, limpidiorem tamen magiſque rutilantem hydropicorum urinis, à quibus in plurimis circumſtantiis differt; flatus auget, ex reactione illa emergentes; alvum inſolito modo irritat, vellicatione inteſtinorum extraordinaria; appetitum dejicit, viſcida enim materia plicæ ventriculi obducuntur; nauſeam movet, ubi acrior muriatica eſt limpha fibras ventriculi ſuperioris nimium moleſtans & rodens; odoratum infringit, mucumque dilutiorem proflere cogit, oculorum humores ad lachrimas ſalinas adigit viſumque hebetat, &c. ita ut univerſale quoddam noſtri microcoſmi diluvium minitare videatur. Ex arietatione, vellicatione, & roſione illius pituitæ, diutium ſolito pulmonum bronchia infeſtante, moleſta producitur convulſionis leviſſimæ ſpecies, per tuſſim, illarum partium ſpecialem morbum, in campum medicum prodeuntem. Tuſſis igitur in pulmonibus, eſt Morbus familiaris à moleſta ſalſedine ortus. Hæc in frigidis Morbis, ubique fere obvia, ab Aeris frigidioris inclementia augetur & continuatur: ſubitaneæ ejuſdem mutationes, à calore nempe in frigus, à ſiccitate in humiditatem, à tranquilliori in turbulentum ſtatum, tuſſis inducendæ præcipui au-

tores evadunt. Cauſam hæ tuſſes agnoſcunt effluvia ſalina, Pulmonum reſpirio communicanda, quæ eò magis muriatica & acida, quò magis ex ſeptentrionalibus frigidiſque Regionibus elevata fuerint, ut & quo proximiora locis ſale muriatico quovis refertis, puta ſale communi, Nitro, ſale ammoniaco. Exindè etiam patet, veſpertinum rorem, ſalium illorum vehiculum eximium, eadem gignere debere effecta Catharri, ut ſufficienter demonſtrant regiones calidiſſimæ, Morbos catharroſos imprudentibus vehementiores communicantes, ex dio rorifero largius hauſto.

Tuſſis, eſt funeſta Morbi chronici tendentia. Per Morbum chronicum, intelligunt Medici longioris ducationis Morbos frigidos. Infeſtatio pulmonum, in talibus, eſt ſignum abſumptionis muci balſamici & denudationis vaſorum pulmonalium, à materia quadam ſalſuginoſa. Hæc ubi ſenſim increverit, ac ſupervenerit jam delaſſato corpori, ulterius deſignat, craſin humorum omnium defeciſſe in totum, æque quoad ſanguinem, quam quoad reliquos humores & vires. Hoc defectus, mediante concuſſione moleſta non ſolum accellerandus, ſed omnibus partibus minus reſiſtentibus communicandus, Cordis vitales functiones exſtinguit citiſſimè, contractioneſque ventriculorum languidas reddit, & non raras in his aut aliis locis vaſculorum tenellorum redditorum rupturas inducit, cum mortifera ſubſequente corporis ruina. Ut patet in tuſſi ſuperveniente hydropicis, ſchyrrhoſis, & per excellentiam cachecticis, incurabilem Morbum & brevem futuram vitam denunciante, æque in Æſtate quam in Hyeme.

Lin-

Lingua, ſemper humida adeſt, vix aliqua ſigna præbens in Morbis frigidis. Ut in calidis rubedo, ſic in frigidis albedo; in calidis ſiccitas calida, in frigidis humiditas frigida, prævalent; in prioribus enim ſpiritualis motus, in poſterioribus corporeus languor prædominantur. Lentos autem partium motus, non tantas admittit viciſſitudines, niſi ſucceſſive proferendas, ideoque ſigna æque ac Morbos tardius aſſequi poteſt Medicus. His accedit corporum ipſorum nimia craſſities, obſtans ſecretioni liberiori & permeationi vaſorum anguſtiorum, unde rarius ad extima illa loca graviſſima terreſtriora deferuntur, ſed tantum aquoſiora repentia per & ſuper illas ſuperficies, vix aliquam exhibent ſuæ figuræ differentiam, niſi aliquandò muco craſſiori obducta conſpiciantur loca.

Morbi frigidi, ſunt diuturni. Diuturnitas effectuum, dependet ab agentis corporis coſtantia. Hæc, ab ejus mole & denſitate procedit, ut & ab negata miſcela exactiori corporum agentium & patientium, unde preſeverant cum eadem figura in occurſu aliorum corporum. Inſuper obſervabilis eſt propagatio figurarum, conſtantes operationes proſequentium per motus inteſtinos & modificationes, ad eandem ſeriem ſuarum ſuperficiecularum redigentium obvia corpora, ei motui ineundo apta, ut patet in fermentatione per fæces, &c. Utrique hi modi cernuntur, in hiſce Morbis, majoris enim molis ſunt corpora, motubuſque inteſtinis auſcultantia, eoſque per augmentationem decuſſarum partium foventia, per vaporoſos ventoſoſque halitus, per craſſas limoſas terras, per ſalia graviora. Lentos hu-

morum, impediens magnam Ætheris & Adris penetrationem, impedit ne molus celeriores jacturam magnam ſpirituum adferant, nec ad independentiam tranſeant. Unde tardiora non ſolum effecta, ſed etiam operationes morboſæ materiæ, imo ipſorum Medicamentorum Morbis, oppoſitorum, tardiſſimæ vel nullæ ſunt efficaciæ in corpore frigidiori, ad ſolutionem ægritudinis obtinendam. Præcipua renitentia eſt, in vaſculis minimis & glandulis, mucum nullum balſamicum elaborantibus. Negatio hujus, involvit negatam vegetationem, modificationemque humorum naturalem, prout alibi demonſtravimus. Ubi fluida balſamica deſunt, ibi ſolidarum partium indebita fit connexio, Sanitati in omnibus contraria. Quamdiu igitur, alimenta nec Medicamenta Machinæ ſuccurrunt laboranti, tamdiu perſtat Morbus cum ſuis accidentiis.

Urinæ, ſunt aqueæ & pallidæ. Ex ſeri copia, ejuſque præcipitatione frequenti ex balſamicis limphæ partibus. Hæ, contextus ſui debilem nexum, per coagula & turbationes, facilè per meram calefactionem occurrentes, demonſtrant, & egregia phænomena motuum præbent per miſcelam ſalinam variam, quæ hic tradere nimis longum foret. Harum indicia, ſunt diſtinctiora in frigidis quam in calidis Morbis conſtantiuſque perſeverant in ſuis tendentiis, ſæpius per annos conſpicuis, quamvis externa colorum & conſiſtentiæ levis varietas, aliud ſuaderevideatur.

Pulſus molles, tardi & languidi, in Morbis frigidis ſunt. Hæc effecta ab ipſo motu languido humorum dependent. Inconſtans autem in hac occaſione pulſus, ſeſe dirigere, videtur ad utriu-

utriuſque Aeris, externi nempe & interni, nutum. Prout enim ſerenior illius fuerit diſpoſitio, eò exiſtit æqualior & fortior; nebuloſus ac turbulentus, eundem reddit inæqualem & languidum. Paſtus, ſeu alimentorum digeſtio, hunc etiam valdè alterat, pro repletione vel exinanitione ventriculi & qualitate ciborum & potuum. Ubi halituoſa effluvia vappida corpus obſident, pulſus indicia vix alterata obſervantur, quamvis oneri ſint, functioneſque Oeconomiæ proſternant. Senſibiles autem mutationes in eo oboriuntur, ex acidis, auſteris, nimiumque ſalinis vaporibus, nervos, muſculos, tunicaſque vaſorum validius afficientibus.

Maraſmus, eſt ultimum cachexiæ effectum, in Morbis frigidis. Cachexia eſt craſſior ac limoſior humorum conſtitutio, orta ex turbida partium præcipitatione & confuſione. Hæc confuſio, ramificationes minores vaſorum opplet, ad circularis motus impedimentum uſque. Hæc oppletio, cutim maculat & defædat, ingratis coloribus tingendam, ut patet in maculis ſcorbuticis & Ictero diverſo. Tranſpiratio, iiſdem mediis prohibetur non ſolum, ſed & corpuſcula nutrientia deficiunt illis in locis. Vegetatio exinde ceſſat illarum partium, cum marcore & conſumptione frigida, hippocraticam ubi faciem repræſentant, in dubitata Maraſmi ſigna. Maraſmus igitur coſiſtit in annihilatione vitalis & balſamicæ humorum figuræ, cum eorumdem corruptela lethifera, inde ſpeciem ſphaceli univerſalis corpus ad Lethum trahentis exhibet.

Morborum calidorum & frigidorum proventus, Aeri varianti debentur. Aer, quà corpus compo-

ſitum, operas proſequitur ſuas. Compoſitio hæc ab effluviis, miaſmata & moleculas infinitas portantibus oritur. Hec corpuſcula, proprias rerum formas ad actiones celerrimas trahentia, in quævis ſubjecta cum impetu ruunt. Aeris uſus hominibus abſolutè neceſſarius, per inſpirationem miſcelas offert corporeas, ſpirituali modo nos afficientes. Spiritualis dicuntur actionum modi, nervorum immediatæ affectiones, ſenſus & motus principis excellentiora Organa, cogitanti animæ ſubjecta, imperium in corpus obtinentia. Effluvia hæc, Pulmonibus, Ventriculos, fluidiſque omnibus communicata & perpetuò à nobis intromiſſa, aut violenter aut tardè nos diſponunt ad ſuum arbitrium. Violenter procedant, ubi ſalina copia prævalent & aptitudinem habent per obſtantes corporum catervas vias ſibi parandi, vimque diſcontinuandi ſuperficierum nexum, ſeriem & ordinem poſſident. Tardè agunt, ubi penuria ſpiculorum viſitur, aquæ prædominantur, minoremque convenientia penetrandi alia corpora obſervatur.

In violentia, ſolis radij ſpirituale effluviorum robur adaugent. Ab hoc enim lumine, igneus ipſis accedit vigor, ita ut ad animæ thronum citius pertingant operationes, fulminis inſtar vibratorum corporum. Irradiatio inſuper diuturnior, cum reflexione magis exacta circa terræ ſuperficiem, non poteſt non adjuvare illos halitus, accreſcentes ejus vibratione inſigni. Hi in Aere ſuſpenſi, ulterius ibibem ejus adminiculo attenuantur, acuuntur, & ad ſpiritualem fluorem evehuntur, ſuo modo figuratas in moleculas diſtribuendi. Tandem corporibus, eo ſub cælo degentibus, oblati, proferunt calidorum Morborum ortus & progreſſus,

ut

ut patet in regionibus calidis, ejuſdem nominis Morbis ſubjectis & ſemper ſubjiciendis, quamdiu ardores perſtabunt Aeris. Hinc in æſtate, Morbi adſunt calidi & acuti, ceſſantes in Autumno & Hieme, Morborum natura, ab hiſce acutis effluviis emergens, ſuarum actionum, effectuum & ſyptomatum agnoſcit diſcrepantiam, ab materiæ illius vitiata figura & mole, aliquibus in accidentiis alteratam pro parte ſolida obſeſſa. Quod patet, in Febribus, Morbillis Variolis, Purpura, Petechiis, Peſte.

